



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Tractatvs V. De Simplicitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

TRACTATUS V. DE SIMPLICITATE DEI.



Vplex in hoc tract. disputatio texenda est. Altera de ente composito, & simplici in vniuersum, atque ad eò de toto, & parte; de quantoque vniuersalissimè sumpto. Altera de Deo quatenus ente omniino simplici; deque ipsà simplicitate Dei.

DISPUTATIO X.

De ente composito, & simplici. De toto, & parte. De quantoque vniuersalissimè sumpto.

Hæc tria totum, compositum; quantum, vniuersalissimè sumpta fere in idem recidunt. Ob id de eis omnibus, & singulis agendum in hac disput.

QVAESTIO I.

Quid sit totum; quid pars. Quid ens compositum quid simplex. Quid quantum; & quid non quantum, vniuersè loquendo.

Totum dicitur quoduis vnum coalescens ex pluribus, & multiplicabile in plura. Pars autem dicitur quoduis eorum plurium, ex quibus coalescit, & in quæ multiplicabile est totum. Per particulam *vnum* conuenit totum cum vno genitum simplici, ex nullisque proinde pluribus coalescente; à quo per alias particulas differt. Est autem totum ita vniuersè sumptum duplex. Aliud potentiale. Aliud actuale. Totum potentiale dicitur illud, quod ita coalescit ex pluribus per aliquod genus conuersionis pluralitatis in vnitatem, in pluraque pariter per aliquod genus conuersionis vnitatis in pluralitatem multiplicabile est, vt talia plura intra ipsum totum suam non retineant pluralitatem, & mutuam distinctionem. Totum vero actuale est, quod ita coalescit ex pluribus per aliquod genus vniõnis, in eademque per diuisionem vniõni oppositam multiplicabile est, vt talia plura intra totum ipsum suam pluralitatem, & mutuam distinctionem retineant. Ad primum genus totius pertinet imprimis quoduis vniuersale, quod totum logicum, & totum potentiale appellatur respectu eorum plurium, ex quibus coalescit, & quibus est commune, & in quæ est multiplicabile iuxta dicta latè in Pharo Scient. de naturà vniuersalis;

& specierum eius disput. 17. per totam, quæ ad rem recolenda. Deinde dici etiam potest totum potentiale quoduis mixtum respectu elementorum, ex quorum mixtione coalescit per conuersionem in se eorum, & in quæ tandem per alteram quasi retrogradam conuersionem resoluibile est, intra quod elementa ipsa, vt non retinent suam naturam, ita nec suam pluralitatem, & distinctionem mutuam cum suà naturà identificatam. Præter hæc autem cætera quæque tota actualia sunt.

Porro ea plura, ex quibus totum potentiale coalescit, partes potentiales dicuntur respectu illius ex eo dumtaxat, quod tale totum & resultauit ex talibus pluribus per aliquod genus conuersionis pluralitatis eorum in suam vnitatem, & in illa ipsà potest resolui per aliquod genus conuersionis oppositæ suæ vnitatis in illorum pluralitatem. Ea verò plura, ex quibus totum actuale coalescit, partes actuales dicuntur eius, non solum quia ex illis per aliquod genus vniõnis, siue coniunctionis eorum resultauit; & quia in illa per diuisionem oppositam potest resolui: sed quia ex illis actu intra se cum suà pluralitate, & distinctione mutuà perseverantibus compositum perstat actualiter.

igitur, omisso toto potentiati. Nam de logico vniuersali in Pharo disp. citatà dictum est affatim. De physico autem ex mixtione conuersionis suæ resultans tractatur in Physicà. De toto actuali dumtaxat habendus nobis sermo est in præsentī disputatione. De quo proinde est intelligendum, quidquid de toto, loquendo absolute, dixerimus. siquidem apud omnes commuiter nomine totius prolato absolute totum actuale dumtaxat venit intelligendum.

Aduerto tamen primò hic, ne aliqua æquiuocatio subtepat, bifariam posse totum dici actuale. Primò: quia à toto potentiati distinguitur modo explicato. Secundò: quia actualiter existit à parte rei. In præsentī autem iuxta priorem dumtaxat acceptionem proceditur: præcinditur enim ab eo, quod totum existens actu sit, vel secus: imò & ab eo, quod sit possibile, vel impossibile. Totum itaque actuale, atque ad eò iam totum simpliciter (omisso potentiati) appellatur, quidquid ex pluribus formaliter in se inclusis aliqua ratione componitur, siue illud existens, siue tantum possibile, siue etiam impossibile sit.

Secundò aduerto, apud Mathematicos partem totius dici dumtaxat id, quod metitur totum, prout infra q. 2. diuis. 21. explicabimus. Nos verò cum Philosophis latius loquimur, partem-

temque totius appellamus, quidquid quoquo modo componit totum. Vnde, licet aliqui partes totius à partium vnione, medià qua ex partibus resultat totum, condistinguant, nos tamen vniversalitatis gratia nomine partis etiam intelligimus vnionem, & vniuersim quidquid includitur in toto, quodcumque aliud expresse non dixerimus.

6 **I**am ens compositum à toto nihilo differt, Synonymaque proinde sunt *compositum*, & *totum*. Ens autem simplex dicitur, quod partibus expers, arque adeo impartibile, seu indiuisibile est. Quare compositum, sicut & totum, in potentiale, & actuale diuidendum venit. Omissio tamen potenciali, de solo actuale erit nobis sermo deinceps. Vnde, quamuis ens simplex bifariam possit vsurpari. Primò pro experte partibus potencialibus quod toti potenciali oppositum est. Secundò pro experte partibus actualibus, quod toti actuali est oppositum. Nominem tamen entis simplicis, absolute loquendo, semper deinceps intelligemus istud secundum, ens scilicet carens partibus actualibus, atque adeo in eas indiuisibile, siue impartibile.

7 **I**am verò, *Quantum dicitur*, ait Arist. lib. 5. Metaph. cap. 13. *quod est diuisibile in ea, que insunt, quorum vtrumque, aut singulum vnum aliquid, & hoc aliquid aptum natum est esse.* Quasi dicat, Quantum dicitur, quod est diuisibile in plura, quorum vnumquodque intra ipsum eandem essentiam à reliquis condistinctam habet, ac habet consideratum seorsim. Vnde quantum iuxta Arist. in totum etiam, siue compositum videtur recidere. Aut certe pro eodem à nobis loquendo vniuersè vsurpatur. Siquidem quantum venit vniuersè appellandum iuxta communem vsum quidquid dici potest magnum, aut paruum; multum, aut paucum; æquale, aut inæquale; maius, aut minus, magisve, aut minus tale, &c. Omne autem totum, siue compositum huiusmodi est. Siquidem de omni toto propterea dicitur esse maius sua parte. Esse quippe æquale, vel inæquale; maius, vel minus; magnum, vel paruum; & alia huiusmodi proprietates quædam quantum sunt. Quo circa quantitas vniuersè dicitur ea partium quasi amplitudinem, quam quoduis totum habet oriundam à partibus ipsis, ex quibus compositum est. Quo pacto haud dubie plerique saltem antiquorum, cum Arist. quantitatem in vniuersum, quantumque conceperunt, (quidquid moderniores describerint), vt videre est in S. Tho. 1. p. q. 50. art. 2. Scot. in 4. dist. 10. q. 1. art. 2. Ant. Andr. 5. Metaph. q. 10. Nipho. disp. 9. Veneto. 12. Metaph. Argent. Durand. & alijs, quos refert, & sequitur noster Lynce lib. 3. Metaph. tract. 4. cap. 2. Vnde patet, quantitatem ita vniuersè sumptam non posse esse accidens physicum, seu prædicamentale, vt vocant, distinctum reipsà à rebus quantis, sed tantum accidens prædicabile, siue logicum. Quidquid sit de quantitate specialius sumptà pro radice extensionis, & impenetrationis corporum in ordine ad locum. De qua postea. Est tamen notandum, & si nomen *quantitas* vt pote abstractum, loquendo rigorosè, significet formam quanti prædictam; vulgò tamen plerumque iam vsurpari pro toto ipso concreto quanto; quemadmodum, & si nomen *entitas* in rigore significet formam entis, iam tamen communiter pro toto integro ente accipi solet. Quo circa & nos, vt cum omnibus loquamur, indiscrimina-

tim vsurpabimus hæc nomina *quantum*, *quantitas* pro concreto quanto. Porro diuisio qua quantum, seu totum in ea, quæ insunt est diuisibile, nihil est aliud, quam dissolutio, siue remotio vnionis, medià qua quantum ipsum, seu totum ex ijs, quæ insunt, est compositum, vt pluribus q. 2. diuis. 3. explicabitur.

QVAESTIO II.

Quotuplex sit totum; & quotuplex quantum in vniuersum.

8 **P**RO eodem iam omnino vsurpamus totum, atque compositum: quia quæcumque de toto dicuntur, de composito itidem veniunt dicenda, & vice versà, etiam iuxta communem vsum huiusmodi vocabulorum. Verùm, & si totum, & quantum, seu quantitas in idem etiam recidant apud nos loquendo vniuersè iuxta dicta; quia tamen iuxta communem vsum quædam accommodari solent quanto, seu quantitati potius, quam toti, & vice versà. De roto, & quanto, seu quantitate diuisim agemus, atque ita in præfenti quæstione primum totum, deinde quantum seu quantitatem in sua membra diuidemus.

Diuisio I.

9 **T**otum aliud physicum, & aliud metaphysicum est, & aliud mixtum ex vtroque.

Totum physicum appello illud, quod ex partibus physicè inter se distinctis compositum est. Cuius totius partes subinde partes physicè dicendæ veniunt. Totum autem metaphysicum dico tum illud, quod ex partibus siue formalitatibus metaphysicè, seu per rationem tantum distinctis componitur: tum illud, quod æquiuolenter dumtaxat, non verò formaliter est totum iuxta inferiùs dicenda. Cuius vtriusque partes, seu formales, seu æquiuolentes metaphysicè etiam dicuntur. Mixtum autem ex vtroque erit quodrum ex partibus physicis, tum etiam ex partibus metaphysicis aut formalibus, aut æquiuolentibus compositum fuerit. Quod duobus modis fieri potest. Primò, si distinctio metaphysicæ partium formalium, aut æquiuolentium supra integrum totum physicum cadat; vii distinctio animalis, & rationalis cadit supra integrum hominem ex animà, & corpore compositum. Secundò, si cadat tantum supra aliquam, aut aliquas partes totius physici, quarum partes metaphysicè cum reliquis partibus physicis confluant ad totum componendum; vii in denominationibus ex multis fundamentis oriundis sæpe continget. Quando verò totum aliquod ex pluribus formalitatibus diuersorum entium coalescit tamen distinctio earum à reliquis, quæ extra totum manent, sit metaphysicæ, tale totum simpliciter physicum dicitur: quia omnes formalitates diuersorum entium, ex quibus constat, vt supponimus, physicè sunt distinctæ inter se.

10 Hæc diuisio etiam quanto, seu quantitati quadrat apprimè. Quæ proinde eodem pacto in quantitate physicam, & metaphysicam, & mixtam diuisa esto. Omitto autem totum, quod formale ex naturà rei dici possit, vt pote com-

compositum ex partibus formaliter ex natura rei distinctis iuxta Scoticam distinctionem. Quia, cum talis distinctio sit impossibilis, ut in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 5. ostendi, & tale idem totum impossibile est. Omitto item totum virtuale ex partibus distinctis inter se virtualiter compositum. Quia, licet in Deo aliquæ formalitates virtualiter inter se sint distinctæ, non sunt tales in ordine ad componendum totum, sed in ordine ad alia munera, ut ibid. quæst. 6. expositum est. Quare totum aliquod virtuale non debet admitti. De quo iterum redibit sermo disp. 11. quæst. 3.

Diuisio 2.

Totum autem physicum in totum adhesionis, totum ordinis, & totum collectionis est diuidendum. Totum verò ordinis rursus in ordinis secundum seriem, & ordinis secundum proportionem. Et totum collectionis similiter in collectionis physicæ, moralis, & mentalis. Sumptis nimirum huiusmodi appellationibus à varietate unionum, quibus partes copulatæ, unitæ ve componunt totum.

Alia quippe est unio adhesionis, siue adhesiua, mediâ qua partes unitæ ita sibi mutuo adherescunt, & affiguntur, ut altera ab alterâ, nisi dissolutâ, sublataque tali unione, seungi nullo modo possit. Hoc genere unionis ununtur ad componendum totum, quod adhesionis appellamus, anima, & corpus, materia, & quævis forma, partes cuiusvis corporis inter se, ut aquæ, aeris, ligni, lapidis, metalli, &c. partes temporis, partes motus, partes caloris, frigoris, candoris, aliorumque accidentium. Unio vero ordinis est, mediâ qua ex pluribus partibus totum quoddam componi dicitur, quod totum ordinis vocamus. Idque aut secundum seriem; quo pacto ex pluribus entibus sibi ordinatè succedentibus vna series componi dicitur aut causalitatis, siue originis, aut connexionis, aut dignitatis, aut etiam temporis, & motus iuxta diuisionem serierum factam in Pharo Scient. disput. 15. Aut secundum proportionem; quo modo ex diuersis vocibus vna componitur harmonia, ex diuersis rebus vna pulchritudo, siue vnum pulchrum, & vniuersim ex diuersis materijs vnum quodvis artificiatum iuxta dicta ibid. Unio denique collectionis est, mediâ qua plura quæque in vnum colligi dicuntur. Idque vel physicè per propinquitatem localem, aut etiam temporalem; qua ratione ex pluribus arenis, vel granis vnus componitur acervus; ex pluribus pecudibus vnus grex; ex pluribus quibusque domibus vna vrbs, &c. Vel moraliter per aliquam sub ordinationem oriundam à libertate; quo pacto ex pluribus hominibus resultat vna ciuitas, vna respublica, vnus exercitus; ex pluribus Angelis vnus chorus, vna hierarchia; ex pluribus alijs rebus vnum Sacramentum, vna festiuitas, siue celebritas, &c. Vel mentaliter tandem per nostram intellectionem siue rationem; quo pacto quælibet omnino multa, quantumuis aliàs inunita, obiectiuè in mente nostrâ adunantur adunatione collectiuâ, unione, ve collectiuâ ununtur ad componendum totum, dum in vno sensibili phantasmate non per mo-

dum plurium, sed per modum vnus cognoscuntur, non vnitate vniuersalitatis, sed vnitate collectionis iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. ut quando quælibet omnino multa concipimus per modum vnus aggregati, vnus multitudinis, vnus numeri, &c. Possunt autem eadem multa aut omnes prædictas uniones, aut aliquas earum simul subire, omni fermè combinatione factâ. Quibus in casibus totum ex eis resultans aut omnibus prædictis modis, aut aliquibus totum erit.

Itaque totum physicum ex partibus physicè inter se distinctis compositum distinctionis, ac compendij causâ appellamus; aliud totum adhesionis; aliud ordinis; & aliud collectionis. Totum autem ordinis; aliud ordinis seriei; aliud ordinis proportionis. Et totum collectionis; aliud collectionis physicæ; aliud moralis; aliud mentalis. Eisdemque modis quantum tum diuidendum, tum nuncupandum est; proindeque & quantitas similiter.

Diuisio 3.

Totum autem, seu quantum metaphysicum in formale, & virtuale, seu æquiualeus est diuidendum.

Totum, seu quantum metaphysicum formale apello, quod ex pluribus formalitatibus inter se per rationem formaliter distinctis formaliter compositum est mediâ aliqua formali unione. Quæ etiam aut adhesionis, aut ordinis, aut collectionis, loquendo tamen metaphysicè, potest esse. Unione enim adhesiuâ metaphysicâ ununtur ex conceptu suo formalitates, quarum altera ut actus, & altera ut subiectum actus concipitur; tum quæ per actum essendi substantium identificata concipiuntur, iuxta doctrinam vniuersalem actuum traditam in Pharo Scient. disput. 8. & vniuersim, quæcunque per unione metaphysicam adhesiuam similem physicæ unitæ inter se, siue affixæ, siue adherentes conceptæ fuerint. Unione autem ordinis concipientur unitæ, quæ ex suo conceptu aliquam seriem constituerint. Ac denique unione collectionis, quæ per modum vnus aggregati, seu numeri formalitatum conceptæ fuerint. Totum autem, siue quantum metaphysicum virtuale, seu æquiualeus voco illud, quod, cum ex nullis partibus formalibus aut realiter, aut per rationem nostram distinctis compositum sit, qua tale est, perinde se habet nihilominus, ac si formalem compositionem, formalemque, & quantitativam latitudinem partium haberet in ordine ad subeundas denominationes proprias quantum, ac totum formalium. Proindeque dici solet suscipere ex conceptu suo magis, & minus. Sic bonum, quantumuis indiuisibile, æquale alteri, vel inæquale, maiusque, aut minus illo dicitur: tum proportionale, aut non proportionale; finitum, aut infinitum, &c. Sic cognitio, quantumuis indiuisibilis, magis, aut minus clara, magis aut minus perfecta, magisque, aut minus certa, quàm alia dicitur. Etenim, sicut in physicis alia sunt entia diuisibilia, atque adeo composita, & quanta formaliter, & physicè; alia verò indiuisibilia. Ita in metaphysicis alij sunt conceptus compositi, quanti, siue diuisibiles solum æquiualeenter, & metaphysicè; vs cernitur in exemplis positis. Alij verò indiuisibiles similiter, qui metaphysicè etiam consistunt

in indiuisibili, magisque, & minus non suscipiunt, vt sunt veritas, æqualitas, existentia, & alij huiusmodi. De quibus omnibus plura in sequentibus sunt dicenda.

14. Modò autem ex dictis in hac, & præcedente diuisione obiter colligendum est, quot modis totum, seu quantum, seu quantitas in vniuersum diuidi possit. Cum enim diuisio nihil sit aliud, quàm dissolutio, siue remotio, ablatio ve vnionis, medià qua partes componebant totum, seu quantum, seu quantitatem, vt q. 1. sub finem notatum est, penes varietatem vnionum varietas est diuisionum statuenda. Igitur per remotionem vnionis physicè ad hæsiu diuiditur totum, seu quantum physicum, quod ad hæsiõis appellamus, quæ proinde diuisio physica est: nec sine desitione, seu corruptione physicà alicuius entitatis physicæ talem vnionem constituentis accidere potest. Per remotionem autem vnionis ordinis pariter totum, seu quantum physicum, quod ordinis diximus, diuiditur: quæ etiam diuisio physica dissolutio est ordinis siue seriei, siue proportiois; nec sine physicà corruptione alicuius entitatis fieri potest. Per remotionem denique vnionis collectionis totum, seu quantum physicum, quod collectionis nuncupamus diuidendum venit: quæ diuisio, quando collectio est physica, corruptio est physica propinquitatis, qua partes totius collectionis censebantur vnitæ: quando verò est moralis collectio, vt diuisio, seu dissolutio ipsi opposita eueniat, vel est physicè corruptenda aliqua entitas physica, in qua vt existente fundabatur talis vnio collectionis moralis, vel est physicè ponenda aliqua entitas, in qua fundetur denominatio moralis opposita. Omnis quippe denominatio moralis, qualis est dicta vnio, vno ex his modis definit esse, vt alibi suo loco ostenditur. Quando tandem vnio collectiua mentalis est, diuisio ei opposita pariter in desitione ipsius consistit: euenit autem talis desitio, totumque collectionis mentalis simpliciter in mente manet diuisum, perseverantibus partibus, quæ tali vnione erant vnitæ, quando loco cognitionis, qua illæ per modum vnus collectiui cognoscebantur, succedit cognitio, seu cognitiones, quibus cognoscuntur vt plura. (Vniuersaliter enim ad diuisionem non sufficit corrumpi vnionem partium, sed insuper requiritur, vt partes perseverent: aliàs si partes simul cum vnione perirent, totum non diceretur diuidi, sed desinere esse). Dixi autem in casu posito totum collectionis mentalis simpliciter in mente manere diuisum: quia, si, perseverante cognitione adunante partes, accedant aliæ eas diuidentes, totum quidem in mente diuisum simul, erit, & indiuisum relatè ad diuersas sui cognitiones, vt notum est.

15. Iam verò totum, seu quantum metaphysicum, si sit formale, perinde, ac physicum, sua seruata proportione, diuiditur ratione nostra, per desitionem scilicet, seu remotionem metaphysicam vnionis formalis eius, siue ea sit ad hæsiõis, siue ordinis, siue collectionis, iuxta nuper dicta. Quando verò est tantum æquiualeus, seu virtuale, æquiualem dumtaxat diuisionem subire potest, vt æquiualem dumtaxat habet compositionem. Omnis quippe diuisio oppositæ compositioni correspondet proportionaliter.

16. Aliter præterea dicitur à Geometris vna quantitas continua secare, seu diuidere alteram, quando aliquid commune habent, partesque sectæ eo communi copulatæ in latera opposita

secantis cadunt, vt in duobus lineis decussatim positis, atque ita habentibus vnicum punctum commune, mutuoque in eo secantibus cernere est. Quæ quidem sectio, seu diuisio nec est pure mentalis; siquidem non per cognitionem dumtaxat, sed per alteram quantitatem diuiditur quantitas; neque est physica aliquo ex modis supra dictis; siquidem in tali diuisione nihil physicum perit. Dicitur ergo, vt condistinguitur à reliquis diuisio, seu sectio mathematica. Dicitur autem à Mathematicis vna quantitas diuidere alteram modo explicato; quia, quæ concipitur, vt diuidens, veluti approprians sibi, & quasi auferens ab alterâ illud commune, quo partes illius copulabantur, concipitur; quo fit, vt altera quasi desituta iam vnione suarum partium concipiatur diuisa.

17. Ex quibus rursus collige primò, posse quoduis totum, seu quantum mentaliter diuidi permanens physicè indiuisum: id enim fiet eo præcisè, quòd partes eius concipiantur per modum plurium. Secundò collige, per diuisionem aliquo ex dictis modis physicam nullum totum posse diuidi in omnes suas partes perseverantes, si nomine partium etiam includantur vniones: quia istæ necessariò debent corrumpi, seu esse desinere, vt illæ diuisæ permaneant. Tertiò collige, totum compositum ex re, & modo in suas partes perseverantes non posse diuidi: quia modus non potest perseverare diuisus à re; etsi res possit diuisa à modo. Quartò collige, per diuisionem mentalem bene posse quoduis totum physicum in omnes suas partes, vnionesque physicas reipsa perseverantes diuidi; quia diuisio mentalis nullam earum importat realem corruptionem. Id quod etiam toti metaphysico suo modo potest contingere. Quintò collige, in partes physicè indistinctas nullatenus posse totum physicè diuidi: quia non possunt physicè manere diuisa, quæ physicè sunt vnum, & idem; neque, quæ semel idem sunt physicè, possunt vnquam physicè esse distincta; quo locum præbeant diuisioni. Sextò collige, totum coalescens ex multis per solam collectionem mentalem, quale est vnum aggregatum, vna multitudo, vnus numerus, & similia, per solam diuisionem mentalem posse denuò diuidi; omnibus enim alijs generibus diuisionis iam supponuntur inter se diuisa ea multa, ex quibus componitur. Septimò collige, quantum metaphysicum, quod formale vocamus præcisè vt tale longè minus propriè dici quantum, quàm alterum, quod virtuale, siue æquiualeus appellamus: quia illud non subit, sicut hoc, denominationes proprias quantum. Siquidem ex eo, quòd aliquod ens ex pluribus, aut ex paucioribus formalitatibus, quàm alterum, per nostram rationem sit compositum, non solet dici maius, aut minus illo: sicut solet ex eo, quòd maiori, aut minori quanto physico æquiualeus sit. Quare ne multitudine terminorum materiam istam præpediamus, omisso quanto metaphysico formali, de æquiualeuti dumtaxat erit nobis sermo deinceps, quoties de quanto metaphysico loquuti indistinctè fuerimus; nisi aliud aliquando exprimat. Tantundemque de quantitate metaphysicà venit intelligendum.

Diuisio 4.

Totum vniuersè sumptum aliud est totum 18

totum essentialiter; aliud integrale; aliud ex utroque mixtum.

Totum essentialiter dicitur illud, cuius omnes partes essentialiter, siue specificè differunt inter se. Totum verò integrale, cuius omnes partes eiusdem speciei sunt inter se. Totum denique mixtum, quod tum ex partibus specie inter se diuersis, tum ex partibus eiusdem speciei est compositum. Exemplum primi est homo præcisè in quantum compositus physicè ex animà, & corpore, & vnione; & metaphysicè ex animali, & rationali. Pro exemplo secundi sunt aqua, calor, aer, &c. vt composita ex partibus, quarum qualibet sit etiam aqua, aer, calor, &c. Exemplum tertij idem est homo in quantum compositus ex omnibus partibus, quas habet, quarum aliæ diuersæ speciei sunt, vt anima, corpus, caro, ossa, sanguis, &c. & aliæ eiusdem, vt partes mltæ carnis, aut ossis, aut sanguinis, &c. Porro partes eiusdem speciei homogeniæ, aut si milares dici solent. Partes verò diuersæ speciei heterogeniæ, aut dissimilares. Dicitur autem totum essentialiter, quod componitur ex partibus diuersæ speciei, ipsæque etiam partes essentialiter dicuntur. Quia tale totum essentialiter habet specificè diuersam ab essentialibus partium; & qualibet talium partium deficiente, deficit ipsa essentialiter totus. Cum tamen totum integrale eandem specificam essentialiter habeat suarum partium integralium; & qualibet harum deficiente, essentialiter totus non deficiat; (etsi deficiat numerica): quia perseverat in residuo. De quo videnda sunt dicta in Pharo Scient. disp. 16. q. 3.

Diuisio 5.

19 Totum etiam in vniuersum compositum potest esse ex partibus aut mutuo inter se connexis, aut mutuo inconnexis, aut connexis non mutuo, aut mixte ex hisce tribus generibus, omni eorum combinatione facta.

Quæ connexio, vel inconnexio mutua, aut non mutua partium rursus aut potest esse metaphysica, aut physica, aut moralis iuxta diuisionem connexionis traditam in Pharo Scient. disp. 14.

Diuisio 6.

20 Potest item considerari totum compositum aut ex partibus oppositis, aut ex partibus non oppositis, aut ex vtrisque.

Idque vel oppositione contradictoria, vel priuatiua, vel contraria, vel relatiua iuxta diuisionem oppositionis datam loco citato. Quod si contraria, vel metaphysica, vel physica, vel moralis; atque etiam vel admittente, vel recusante medium iuxta dicta ibid. Siue omnia huiusmodi tota sint possibilis in quouis genere; siue secus. De quo postea.

Diuisio 7.

21 Potest etiam totum esse compositum aut ex partibus substantialibus; aut ex partibus accidentalibus; aut ex vtrisque.

Partes autem substantiales, & accidentales rursus aut possunt esse tales physicè, seu prædicamentaliter, aut metaphysicè dumtaxat siue prædicabiliter iuxta diuisionem substantiæ, & accidentis traditam in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 7. & aibi fusiùs tradendam.

Diuisio 8.

22 Deinde totum considerari potest compositum aut ex partibus negatiuis; aut ex positiuis; aut ex vtrisque.

Hoc est, aut ex negationibus rerum; aut ex rebus; aut ex vtrisque.

Diuisio 9.

23 Totum præterea considerari potest compositum aut ex partibus in infinitum, diuisibilibus; aut ex partibus tandem indiuisibilibus; aut ex vtrisque.

Quæ diuisio quanto itidem, seu quantitati congruit, eique communiter aptatur. Tunc autem totum ex partibus in infinitum diuisibilibus compositum est, quando nulla omnino est pars eius, quæ non sit in alias insuper diuisibilis. Tunc verò ex partibus tandem indiuisibilibus componitur, quando in partes prorsus simplices, impotestque diuidi in alias vltimò resolvable est. Tunc denique componitur ex vtrisque, quando aliæ partes eius prioris, & aliæ posterioris generis sunt.

Diuisio 10.

24 Totum aliud est finitum, aliud infinitum. Infinitum autem rursus aliud est tale simpliciter, aliud secundum quid. Vtrumque verò aut infinitum in actu, aut tantum in potentia esse potest.

Totum finitum est, quod ex partibus finitis, ac certo numero comprehensis componitur. Totum verò infinitum, quod ex partibus infinitis compositum est. Eritque infinitum simpliciter, si secundum omnem sui considerationem sit tale. Secundum quid autem, si tale sit secundum aliquam dumtaxat. Erit item infinitum in actu, si partes eius actu sint infinitæ. In potentia verò tantum, si partes à quibus tale esse habet, dumtaxat in potentia infinitæ sint. De quo infra plura, cum hac eadem diuisione quantitas diuidetur, seu quantum.

Diuisio 11.

25 Iam verò quantum imprimis in continuum, & discretum diuiditur celebri diuisione.

Quam tradidit Arist. in lib. prædicam. cap. 6. Vbi quanta continua censet lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum. Discreta autem numerum, & orationem. Quæ sola dicit esse quanta per se; reliqua verò, quæ quantorum denominationes subeunt, vt qualitates, actiones,

nes, motus, &c. quanta esse per accidens. In lib. antem 7. Metaphys. cap. 13. solum censet quanta per se multitudinem, siue numerum, lineamque, superficiem, & corpus: referens inrer quanta per accidens tempus, & motum: & prorsus omittens locum, & orationem. Vocat autem Arist. tum ibi, tum saepe alibi quantum continuum illud, cuius partes eundem terminum communem habent, quo copulantur; quale est, inquit, punctum copulans partes lineae, & linea copulans partes superficiei, & superficiei copulans partes corporis, & instans copulans partes temporis, & terminus communis partibus loci respondens continuatio partium locati. Quantum vero discretum dicit illud, cuius partes nullo termino copulantur communi. Quo circa tum aliàs tum lib. 6. Physic. cap. 1. Ea, inquit, continua sunt, quorum vltima sunt vnum; ea verò se tangentia, quorum vltima, siue fines sunt simul. Quomodo autem ista Arist. testimonia, sibi cohaereant; & quomodo sint complanandae difficultates, quas praefecerunt, apud interpretes
26 eius videri potest.

Nos verò insistentes doctrinae datae dicimus, quantum continuum communiter appellari illud, cuius partes vnione adhaesiuà sunt vnitae. Discretum vero illud, cuius partes non sunt vnitae tali vnione; etsi alio genere vnionis vnitae sint. Quid sit autem vnio adhaesiuà diximus diuisione secundà. Quem modum loquendi nos etiam in sequentibus absolute obseruabimus; tum ne recedamus à more loquendi communi; tum quia quantum adhaesionis praedictum strictius dicitur continuum. Tamen & alia etiam tum ordinis, tum collectionis continua latiori modo vocari possunt; dum ex suis partibus medijs vnionibus sibi proprijs manent composita. Discreta vero in rigore tunc solum venient appellanda, quando in suas partes proprijs vnionibus sublatis, sunt diuisa. Ob id enim partes cuiusuis horum quantorum, discontinuari, atque adeò secerni inuicem, siue discerni dicuntur; cum eorum vnio dissoluitur.
37

Hic tamen aduertendum est, quantumuis quantum sit continuum, utpote compositum ex suis partibus medijs vnione; nos tamen à tali vnione praescindentes saepe de illo phylosophari, ac si esset quantum discretum, ut quando de partibus, aut de punctis alicuius lineae, aut de vtriusque eanquam de quadam multitudine, siue numero agimus, non magis ad eorum continuationem attendentes, ac si non essent continuata. Pariterque de huiusmodi. De quo iterum redibit sermo diuis. 12.

Diuisio 12.

28 Quantum tum continuum, tum etiam discretum triplex est. Aliud extensum, siue habens partes extra partes. Aliud intensum, siue habens partes intra partes. Aliud ex vtroque mixtum, siue habens quasdam partes extra alias, & quasdam intra. Idque vel per se, vel per accidens. Deinde quantum tum extensum, tum intensum, seu per se, seu per accidens rursus est quadruplex. Aliud tale penes locum, siue localiter. Aliud penes tempus, siue temporaliter. Aliud penes quoduis aliud

genus seriei diuersa à seriebus temporalibus, & locali. Aliud denique mixtum, idest simul extensum, aut intensum iuxta, series temporis, & loci; vel temporis, & originis; vel originis, & connexionis, &c. omni combinatione facta.

Quae omnia ut planè explicem, suppono ex dictis disput. 5. & 8. spatium imaginarium (quod locum imaginarium dicimus) re ipsa, seu à parte rei consistere in capacitate, seu possibilitate praesentiae compositae ex partibus, quarum vnaquaeque per suam essentiam est extra alias certaque, ab vnaquaque aliarum distantia immobiliter distat: quae praesentia proinde essentialiter est extensa localiter. Pariterque tempus imaginarium consistere re ipsa in capacitate, seu possibilitate durationis compositae ex partibus, quarum vnaquaeque est extra alias per suam essentiam, certamque à singulis earum distantiam essentialiter habet; quae duratio proinde essentialiter est extensa temporaliter. Differt autem praesentia à duratione, quòd partes praesentiae sunt permanentes naturà sua, partes verò durationis suà naturà successiuas. Sunt autem huiusmodi spatia, qua ratione in eis consistunt locus, & tempus, quoad intensionem prorsus simplicia; tamen in vnaquaque parte extensionis eorum plures praesentiae, & durationes possunt penetrare coniungi: quia in vnica tantum earum quacumque sit, simplici quoad intensionem prout possibili consentur consistere. De quibus plura dicta locis citatis videnda sunt.

Deinde suppono ex dictis etiam locis citatis, quidquid existit, necessariò debere esse praesens in aliquo loco, & durans in aliquo tempore. Ex quo fit, ut in loco, vbi est praesens res existens, non possit non esse etiam praesens aliqua rei duratio, & vice versa in tempore in quo res durat, non possit non etiam durare aliqua rei praesentia. Quae omnia locis citatis vberius explicata sunt.

Præterea suppono ex dictis in Pharo Scient. disput. 15. praeter series coalescentes ex partibus temporis, & loci ordinatis secundum prius, & posterius, dari alias series aliorum generum eorum alijs modis ordinarum secundum prius, & posterius, quae series quaedam quanta sunt, ut constat ex dictis supra diuis. 2. & inter quanta extensa censentur. Tales sunt series originis, series connexionis, series dignitatis, & aliae huiusmodi loco citato recensitae.

Ex quibus suppositis colligo primo, quantum seriatim ordinarum secundum prius, & posterius, siue temporaliter, siue localiter, siue quouis alio serierum genere, alia esse per se, & suapte naturà, alia per accidens sibi adiunctum, extensa, aut intensa, vnumquodque in sua serie, ut etiam disput. 15. citatà statutum est. Nimirum extensione, & intensione locali sola praesentia erit per se essentialiter extensa, aut intensa. Extensione verò, & intensione locali sola duratio. Caetera autem quanta localiter, & temporaliter extensa, aut intensa à praesentis, & durationibus sibi superadditis habebunt accidentaliter siue per accidens talia esse. Dico autem praesentiam extensam illam, cuius partes diuersis partibus loci imaginarij essentialiter sunt affixae. Intensam verò, cuius partes eidem parti loci imaginarij affixae, atque adeò penetratè ibi sunt. Similiterque durationem extensam voco eam, cuius partes diuersis

versis partibus imaginarij temporis correspondent. Intenam autem, cuius partes correspondent eidem. Cæterum quanuis reliqua quantalocaliter, & temporaliter extensa, aut intensa ab vna præsentia, & duratione sibi superaddita extensionem, aut intensionem localem, ac temporalem mutuentur: sed non rationem quantitatis quæ in eorum diuisibilitate ab ipsis indistincta consistit.

32 Eademque proportione res, quæ suapte natura, & essentiã ordinatã secundum prius, & posterius alias quasque series diuersas à locali, & temporali constituerint, quantum component per se, & essentialiter extensum, intensum ve iuxta tales series. Quæ vero ex accidentali coniunctione cum rebus ita ordinatis similem ordinationem participauerint, eæ quidem quantum constituent extensum, intensum ve per accidens secundum tales series. Dico autem quantum per se extensum iuxta huiusmodi series illud, cuius partes seriatim ordinatæ vna post aliam distinctos gradus seriei constituunt. Intensum vero cuius partes ad eundem gradum seriei pertinent. E. g. si A producat B, & B producat triplex CCC, & triplex CCC simul producant D; series originis conflabitur, cuius partes extensionis erunt ABCD, intensionis autem in tertio eius gradu tria CCC. Quo circa quantum ABCD extensum quantum autem CCC intensum erit secundum ralem seriem; idque per se. Si autem omnes istæ partes sint cognitiones, obiecta earum quantum extensum, intensumque per accidens secundum eandem seriem component, iuxta doctrinam latè expositam disput. illa 15. Phari citatã. Ex qua etiam ad rem videnda colliget quisque, quomodo quantum tam intensum, quam extensum varias mixtiones possit sortiri penes varietates serierum, ad quas simul potest spectare, omni earum combinatione factã.

33 Ex quibus iam facile erit vnicuique diiudicare, quid sit quantum, seu continuum seu discretum extensum, & quid intensum aut localiter, aut temporaliter, aut penes quamlibet aliam seriem seorsim, & quid mixtum, idest, simul extensum, aut intensum secundum plures series. Idque vel per se, vel per accidens. Qui sunt termini diuisionis factæ.

34 Maioris tamen explicationis gratia rursus colligo ex dictis, omne quantum extensum temporaliter, successuum esse, vt ipsum tempus, à quo talem extensionem sortitur, successuum est. Idque, siue illud habeat solam extensionem temporalem, qualem habet calefactio, & frige factio intensiua successiuaque, saltem quoad primum sui esse. Siue insuper habeat localem, qualem habet motus localis successiuus, productio successiua soni, & alia huiusmodi. Omne verò quantum extensum localiter permanens est, sicut & locus, à quo suam extensionem participat; nisi insuper habeat extensionem temporalem, vt motus localis, & similia: ab hac enim semper quantum euadit successuum; cum tamen ab extensione locali non semper maneat permanens, vt patet in motu locali. Verumque autem quantum extensum, scilicet successuum, & permanens aut continuum, aut discretum esse potest. Erit enim continuum, si non sit interruptum; discretum verò, si interruptum sit. Vnde non capio, cur Arist. inter species quantũ discreti speciatim posuerit orationem, vt est quidam sonus interruptus. Videbatur enim potius ponendus sonus vt

sic inter quanta successiua, illeque rursus diuidendus in quantum continuum, & discretum. Imo verò neque est, cur sonus inter quanta successiua numeretur potius, quam omnes alia actiones successiua cum suis terminis, qua successiua, vt calefactio, frige factio, &c. Omnia enim hæc quanta quædam sunt successiua. Cunctaque entia extensa localiter citra successionem, cuiusuis ea generis sint, inter quanta permanentia censentur.

Itaque duplicem quantorum classem expediet vniuersè statuere. Alia est successiuorum. Quæ saltem temporaliter erunt extensa: cum idem sit, esse quantum successiuum, & temporalem extensionem habere, ita, vt singula partes quanti singulis partibus temporis diuisiue respondeant. Quod addo: quia extensio temporalis entis per sui replicationem quantitatem extensam non facit: cum non extendat ens prout quantum, & diuisibile, sed indiuisum. Alia est permanentium. Quæ aut extensa localiter, aut intensa localiter simul, & temporaliter erunt. Idque, & si temporaliter sint extensa per sui replicationem, quæ intensionem temporali partium eorum non est opposita. Porro quanta successiua alia sunt successiua localiter simul, & temporaliter, quatenus eorum partes non solum partibus temporis, sed etiam partibus loci successiue respondent: & hoc vel simpliciter, vel tantum quoad primum sui esse. Simpliciter quidem, vt motus localis; cuius partes, qua successione acquirunt esse in singulis partibus spatij, eadem statim citra permanentiam illud amittunt. Quoad primum verò sui esse tantum, vt calefactio extensiua, aliaque eiusmodi alterationes; quarum partes successiue acquirunt esse in singulis partibus spatij, non tamen statim illud amittunt, sed ibi permanent. Alia sunt successiua tantum temporaliter, non verò localiter, possuntque talia esse aut simpliciter, aut tantum quoad primum sui esse: idque, siue quoad locum sint extensa siue secus. Quoad primum sui esse, vt calefactio intensiua, & similes alterationes; quarum partes successiue incipiunt esse in eodem spatio siue illud extensum sit, siue secus, & ibi permanent. Simpliciter verò, si detur similis alteratio quasi intensiua citra dubium possibilitis, cuius partes successiue incipiunt esse in eodem spatio siue extenso, siue non extenso, statimque citra vllam permanentiam eodem successione tenore desinant esse. Ex quibus patet, quanta permanentia, siue illa sint extensa localiter, siue intensa omnimodo, alia esse simpliciter, seu purè talia, quorum partes citra omnem successiuenem simul incipiunt esse, simulque permanent: alia permanentia tantum quoad perseverantiam in esse, vt pote quorum partes successiue ceperunt esse, in esse tamen accepto permanent simul. Vnde aliud genus quantorum excogitari potest possibile, quæ nec successiua vllò modo, nec permanentia propriè sint: erunt enim huiusmodi, si simul quoad omnes partes incipiant, non tamen permaneant; eo quod statim post primum sui esse illud amittunt. Cum quo tamen stat, durationem, qua quæuis entia permanentia permanentiter durare dicuntur, successiuam esse, essentialiter, sunt namque permanentia; eo quod immutata in sua entitate partes durationis sibi accessoria, quibus partibus temporis semper fluentibus correspondent, successiue acquirunt, atque ita permanentia in suo esse durant iuxta doctrinam statutam disput. illa 8, citatã.

35 Ad extremum autem aduerto, quæcunque quantum intensum constituunt, eidemque gradui seriei, ad quam pertinent, correspondent, penetrata dici posse in eo gradu, sumptâ penetratione vniuersè, sicut penetrata in eodem spatio locali, aut etiam in eodem tempore esse dicuntur, quæcunque tali spatio locali, tali ve tempore correspondent, atque adeo tum intra ipsum, tum mutuo intra se ipsa sunt. Accipio autem impræsentiarum intensionem pro penetratione partium, quanti in eadem parte extensionis cuiusvis seriei latitudinis, quam vulgò accipi solet pro penetratione partium qualitatibus in eadem parte subiecti. Postremòque aduerto, omnia quanta in hac diuisione commemorata ad duo capita reduci posse, nempe ad quantum extensionis, sub quod cadunt omnes series compositæ ex partibus ordinatis secundum prius, & posterius, vt sicque extensionem habentes; & ad quantum multitudinis, sub quod cadunt cætera quanta composita ex partibus siue ex vnitatibus non ordinatis secundum prius, & posterius; atque adeo nullam extensionem componentes; siue componant intensionem in aliquo eodem gradu cuiusvis prædictarum serierum iuxta dicta, siue neque vllam intensionem componant. Et quoniam multitudo partium vicissim se excludentium cuiusvis quanti, etiam extensæ (iuxta notationem factam diuis. 11.) vt quædam multitudo vnitatum considerari potest cum præcisione ab ordine, quem illæ respiciunt, & ab extensione, quam prout feriatim ordinatæ componunt. Hinc rursus fit, vt omne omnino quantum sub vnicò quanto multitudinis ita vniuersalissimè sumpto comprehendatur. Multitudo autem alia est finita, quæ eo ipso dicitur numerus; quia eo ipso successiue numerabilis est. Alia est infinita, quæ numerus non est appellanda. Numerorum vero alij dicuntur integri, qui incipiendo supra vnitatem à binario per ternarium, quaternarium, quinarium & ita deinceps per vnitatis additionem ascendunt sine fine in progressionem arithmetica, quam dicunt naturalem. Alij dicuntur fracti siue minutæ, qui ab vnitatibus descendunt per ipsarum diuisionem vnâ, & aliam, & aliam in infinitum. De quo plura Arithmetici.

Diuisio 13.

37 Deinde quantum extensum penes locum, siue localiter triplex est penes triplicem dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quam habet.

Aliud enim est quantum extensum localiter quoad longitudinem, vt linea. Aliud extensum quoad latitudinem, vt superficies. Aliud extensum quoad profunditatem, vt solidum, siue corpus. Vnde linea est longitudo latitudinis experta. Superficies autem est, quæ longitudinem, latitudinemque tantum habet, vt definit Eucl. lib. 1. Elem. def. 2. & 5. solidum denique, siue corpus, vt idem definit lib. 11. def. 1. est, quod longitudinem, latitudinem, & crassitudinem habet, siue profunditatem. Ex quo patet, solidum omnes tres dimensiones siue extensiones habere, atque ita totidem modis diuisibile esse: est enim longum, latum, & profundum, seu crassum; atque adeo diuisibile quoad profunditatem, seu crassitudinem, quoad latitudinem, & quoad longitudinem. Superficiem autem habere duas tantum, atque ita duo-

bus tantum modis diuidi posse; quoad latitudinem scilicet, & quoad longitudinem; quoad crassitudinem verò, siue profunditatem omnino esse indiuisibilem. Lineam denique vnâ duntaxat extensione præditam esse longitudinis; quoad eamque solam proinde diuisibilem esse; atque adeo indiuisibilem penitus quoad latitudinem, & profunditatem.

Diuisio 14.

Quantum verò vniuersè sumptum, 38 (sicut de toto est dictum supra diuis. 9.) considerari potest compositum aut ex partibus in infinitum diuisibilibus, aut ex partibus tandem indiuisibilibus, aut ex vtrisque.

Tunc quantum ex partibus in infinitum diuisibilibus compositum est, quando nulla omnino est pars eius, quæ non sit in alias insuper diuisibilis. Tunc verò ex partibus tandem indiuisibilibus compositum; quando in partes prius simplices, impotesque diuidi in alias vltimò resolvable est. Tunc denique compositum ex vtrisque, quando aliæ partes eius prioris, & aliæ posterioris generis sunt.

Diuisio 15.

Quantum vniuersè etiam sumptum, 39 aliud est terminatum, siue habens terminum. Aliud interminatum, seu termino carens. Terminus autem quanti alius est intrinsecus illi; alius extrinsecus.

Pro explicatione suppono, nullum esse quantum, cuius partes non possint concipi ordinatæ in aliqua serie secundum prius & posterius aut prioritate, posterioritateque absolutâ, aut respectiua ad tertium iuxta doctrinam vniuersalem ordinum traditam in Pharo Scient. disput. 15. Igitur quando in serie coalescente ex partibus tum diuisibilibus, tum indiuisibilibus quanti aliqua pars datur, quæ sit vltima talis seriei, ea terminus intrinsecus dicitur talis quanti, prout ad talem seriem spectantis iuxta def. 13. lib. 1. Eucl. dicentis. *Terminus est quod alicuius extremum est.* Terminus autem extrinsecus quanti dicitur ille, qui, cum non sit pars intrinseca ipsius quanti, ita tamen est aliquid ipsi immediatum, vt veluti coerceat illud, ne in serie, ad quam ipsum pertinet vltius progrediatur. Sic locus extrinsecus consistens in vltimâ superficie corporis continentis, terminus extrinsecus est locati; & vniuersè quoties duæ quantitates non continuatæ contiguæ sunt, terminus intrinsecus vnus extrinsecus est alterius, & vice versâ. Sic etiam seriei proportionalitatis geometricæ, quam partes proportionales infinite habere dicuntur iuxta sententiam Arist. de compositione continui, terminus extrinsecus est illud indiuisibile, vltra quod talis series non progreditur; cum tamen ea terminum intrinsecum non habeat, quia nullam habet partem proportionalem, quæ sit vltima: quo iure talis series infinita est intrinsecè; cum sit extrinsecè finita.

Ex quibus patet, quid sit quantum terminatum intrinsecè, & quid terminatum extrinsecè. Illud

Illud namque est, quod habet terminum intrinsecum. Hoc verò, quod extrinsecum. Vnde etiam patet, quod quantum interminatim intrinsecè esse illud, quod caret termino intrinsecò: qualis est omnis series nullam habens partem ultimam versùs id latus, versùs quod est interminata. Quantum verò interminatim extrinsecè, quod termino extrinsecò caret: qualis est omnis series, quæ termino extrinsecò non coercetur, ne ulterius progrediat: siue ea termino intrinsecò terminata sit, siue secus.

41 Ob id Eucl. lib. I. def. 2. dixit. *Linea autem termini sunt puncta*: dixerat autem def. 1. *Punctum est, cuius pars nulla est*: & def. 6. *Superficies autem extrema sunt lineæ*: & lib. II. def. 2. *Solidi autem extremum est superficies*. Porro terminus quanti extremum eius, ut vides, atque etiam finis dici solet. Et consequenter quantum terminatum, quantum finitum dicitur; & quantum interminatim infinitum. Vnde finitum, aut infinitum intrinsecè erit, si sit intrinsecè terminatum, aut interminatim; extrinsecè verò, si extrinsecè; si autem utroque modo, & utroque modo.

Diuisio 16.

42 Quantum vniuersè etiam sumptum, aliud finitum est, aliud infinitum. Infinitum autem rursus aliud est tale simpliciter, aliud secundum quid. Vtrumque autem aut infinitum actu, aut tantum in potentia esse potest.

Eadem diuisione diuisimus etiam supra totum, sed paulò plenius hoc loco explicanda. Quantum finitum est, quod ex partibus finitis, ac certo numero comprehensis componitur. Quantum verò infinitum, quod ex partibus infinitis coalescit. Ea autem multitudo partium infinita est, ex qua quaslibet successiuè accipienti alia, & alia restant semper sine fine accipienda. Illud autem quantum intra vnumquodque genus dicitur infinitum simpliciter, quod secundum omnem considerationem spectantem ad tale genus infinitum est. Illud verò secundum quid, quod secundum aliquam tantum, aut aliquas, prout latius explicabimus infra disput. 13. quæst. I.

43 Iam verò quantum infinitum in actu, seu categorematicum illud vocatur, cuius partes actu, & intrinsecè illud componentes infinitæ sunt. Idque, siue illud actu sit existens, siue secus. Itaque esse aliquod quantum infinitum in actu, non est esse illud actu existens, sed esse illud ex suo conceptu obiectiuo intrinsecè, atque adeò actu, seu actualiter in eo sensu compositum ex infinitis partibus. Quod est valde notandum: quia multi non bene discernunt infinitum in actu, seu categorematicum ab infinito syncategorematico, siue in potentia. Etenim illud omnino quantum dicitur infinitum in potentia, seu syncategorematicum, quod ex suo conceptu obiectiuo tale est, siue actualiter existat, siue non existat, ut, cum partes ipsam intrinsecè, atque adeò actu constituentes, seu componentes finitæ sint, potest tamen per alias, & alias partes extrinsecas sibi adiunctas crescere, & maius fieri, atque iterum, & iterum maius, & maius sine fine; ita tamen,

ut quantum ex præexistente, & nouo additamento resultans semper intrinsecè sit finitum, seu partibus constans finitis; semper tamen capax, ut per noua alia additamenta maius, & maius fiat in infinitum. Hi sunt legitimi conceptus quanti infiniti in actu, seu categorematici, & quanti infiniti in potentia, seu syncategorematici firmiter menti figendi pro dicendis deinceps tum in præfenti tract. tum in sequente, de quo iterum redibit sermo disput. 13. citatà.

Diuisio 17.

Quantorum, & non quantorum alia, 44 sibi mutuo congruunt, seu adæquantur. Alia non item.

Vt probè intelligantur hi termini, suppono primò ex dictis diuis. 12. sine, omnia quanta ad duo capita reduci; nempe ad quantum extensionis complectens omnes series compositas ex partibus ordinatis secundum prius, & posterius; & ad quantum multitudinis complectens cætera quanta composita ex vnitatibus tali ordinatione carentibus. Suppono secundò, congruentiam aliam quantorum esse, aliam non quantorum. Quantorum autem aliam esse multitudinum, quæ quantis multitudinis conuenit, aliam extensionum, quæ quantis conuenit extensionis. Sic enim distinctionis gratia dicentur. Rursusque congruentia extensionum diuidi poterit in extensionum quoad locum, quoad tempus, quoad originem, quoad connexionem, quoad dignitatem, & quoad aliud quidpiam seriei extensionis constitutum. Congruentia verò non quantorum, alia erit indiuisibilem quoad multitudinem, scilicet vnitatum, alia indiuisibilem; quoad extensionem, quæ pro diuersitate extensionum diuersa erunt.

His positis. Quoties duæ quæque multitudines vicissim comparatæ ita se habent, ut singulis vnitatibus vnus iustè respondeant singulæ vnitates alterius, quin vlla desit, aut superfit; seu (quod in idem recidit) factis omnibus binarijs possibilibus ex vnitatibus vnus, & alterius alternatiuè sumptis, nulla in alterutra superfit vnitates; toties vtique dicendæ sunt illæ mutuo sibi congruere congruentiâ multitudinum. Non congruere autem, quoties facta quavis eiusmodi comparationum, aliqua, aut aliquæ vnitates superferunt alterius multitudinis. Duo verò quanta extensa localiter tunc mutuo dicentur sibi congruere congruentiâ extensionum quoad locum, cum talia sunt, ut, si in eodem spatio locali simul collocentur per adæquatam suarum partium distributionem, non possint non in tali spatio localiter esse penetrata adæquatè iuxta definitionem adæquatæ penetrationis localis traditam, disput. 5. quæst. 6. Ad hoc autem necesse est, quòd eiusdem rationis sint, ut duæ lineæ rectæ, aut eodem modo curuæ, duæ superficies, aut duo solida vel eiusdem figuræ, vel nullius propter infinitudinem. Alioquin, si sint diuersæ rationis, aut inæqualis magnitudinis, non ita sibi congruent mutuo. Similiter duo quanta temporaliter extensa tunc mutuo sibi congruent congruentiâ extensionum quoad tempus, cum talia sunt, ut, si in eodem tempore simul durent per suarum partium adæquatam distributionem, non possint non in tali tempore temporaliter esse pen-

netrata adequatè iuxta dicta disput. 8. q. 4. de temporali rerum in eodem tempore extensio penetratone. Ita autem mutuo sibi non congruent; si talia, vt dictum est, non fuerint. Tunc denique duo quanta extensa alio quouis genere extensionis mutuo sibi dicentur congruere, cum & eiusdem rationis fuerint, & series, in quibus consistunt, congruentes sibi mutuo multitudines sine gradus extensionis habuerint. Sin minus; non ita sibi mutuo congruent.

46 Vniuersaliter autem, quia omne quantum extensionis ad quantum multitudinis suarum partium reduci potest iuxta dicta supra diuis. 12. sine, quoties duo quanta extensionis aut localis, aut temporales multitudines partium habuerint mutuo sibi congruentes congruentia multitudinum, eadem congruentia congruent illa sibi mutuo, si partes fuerint indiuisibiles: si autem diuisibiles, partim congruentia multitudinum, & partim congruentia extensionum congruent sibi illa mutuo casu, quod partes vnius partibus alterius singula singulis, quibus respondeat, mutuo congruentia extensionum congruant. Quod sepe fiet, etiam, cum quanta ipsa integre sumpta pura congruentia extensionum sibi non congruant. Quolibet prædictorum deficiente, prædicta quanta extensionis modo dicto mutuo sibi non congruent.

47 Jam verò non quanta quoad multitudinem, scilicet vnitates, congruentia vnitatum congruent comparata intente. Quo etiam pacto cætera quæque non quanta congruant considerata vt vnitates. Non quanta verò quoad extensionem aut temporalem, aut localem in super sibi mutuo congruent congruentia inextensionum aut localium, aut temporalium, quatenus posita in eodem loco, aut in eodem tempore indiuisibili ibi adequatè penetrabuntur aut localiter, aut temporaliter. Quod si alterum eorum præterea per sui replicationem ponatur in alijs locis, aut temporibus, tunc non dicentur mutuo sibi congruere quoad locum, aut tempus absolute; bene tamen quoad eam partem loci, aut temporis, in qua adequatè penetrantur. Demum nullum quantum cum non quanto sui generis potest mutuo congruere, vt multitudo cum vnitatem, linea cum puncto, superficies cum linea, & vniuersim quoduis extensum cum non extenso eodem genere extensionis.

Diuisio 18.

48 Quantorum alia sunt æqualia, alia inæqualia. Alia neque æqualia, neque inæqualia. Inæqualium autem alterum maius, & alterum minus altero est.

Æqualia dicuntur ea, quorum alterum tantum, quantum alterum est. Inæqualia verò ea, quorum alterum, aut excedit alterum, aut ab ipso exceditur. Excedit autem alterum, quod tantam quantitatem habet, quantam illud, & aliquid amplius. Et quod excedit quidem alterum, maius eo dicitur, quod verò ab altero exceditur, minus dicitur illo. Ea verò quanta neque erunt æqualia, neque inæqualia, quorum alterum nec tantum, quantum alterum, nec maius, aut minus dici potest. Vt sunt angulus, & circulus; quadratum, & parabola; binarius numerus, & sphaera; linea, superficies, & solidum quatenus quanta mathema-

tica; pars quævis temporis, & triangulus; & cætera huiusmodi quanta diuersorum generum.

Non quanta etiam, siue indiuisibilia omnia prout talia comparata inter se æqualia dici possunt; (tamen si fortasse non adeo proprie, vt quanta); comparata autem cum quantis prout talibus minora. Quæ quidem omnia tam in quantis, siue non quantis metaphysicis, quam in quantis, siue non quantis physicis locum habent, suâ semper proportione seruata.

49 Aduertendum tamen hic est, vnumquodque sibi ipsi solere dici æquale æqualitate quadam identitatis, cui adeo opponitur inæqualitas, vt prorsus repugnet, quidpiam sibi ipsi inæquale esse. Quo circa totum æquale omnibus suis partibus collectiue sumptis, cum quibus eadem, dicitur esse, & maius qualibet parte sui, quatenus pars aliquid habet in toto, cui sit per identitatem æqualis, nempe se ipsam, & aliquid, in quo à toto excedatur, nimirum aliam partem.

Diuisio 19.

Quantorum, & non quantorum alia intente rationem, seu proportionem habent. Alia verò secus.

Eucl. lib. 5. Elem. def. 5. loquens de quantitatibus continuis ait, *Rationem habere inter se magnitudines dicuntur, quæ possunt multiplicata sese mutuo superare.* Vniuersaliter tamen hæc definitio sic proferetur, *Rationem habere inter se ea quanta, & non quanta dicuntur, quæ possunt multiplicata sese mutuo superare, vt & quantitatibus discretis, & earum vnitatibus conueniat etiam, sicuti potest.* Vnitatem enim multiplicata aliam vnitatem, & alium quemuis numerum potest superare, & vicissim quouis numerum multiplicatus vnitatem, & alium quemuis numerum superare, seu excedere valet. Sunt verò multæ quantitates, quæ iuxta istam definitionem rationem inter se, siue proportionem non habent. E. g. linea mathematica, & superficies, superficies mathematica, & solidum prædictam proportionem non habent: quia, quantumuis multiplicentur lineæ quoad latitudinem, non excedent superficiem, & quantumuis multiplicentur superficies quoad profunditatem, non excedent solidum. Similiter angulus contactus ex linea tangente circumulum, & circuli peripheriâ resultans cum angulo rectilineo dictam proportionem non habet: quia quantumuis angulus contactus multiplicetur, ad angulum rectilineum nunquam accedet, nedum illum excedet; vt demonstratur ab Eucl. lib. 3. Elem. proposit. 16. Aliæque sunt huiusmodi.

50 Cæterum paulò latius à nobis in præsentia usurpanda proportio est, pro habitudine scilicet duorum extremorum aut æqualium inter se, aut inæqualium iuxta dicta diuis. 18. Quo circa ea quanta, aut non quanta habere inter se proportionem dicimus, quorum alterum vel æquale est alteri, vel inæquale, atque adeo, vel maius illo, vel minus. Quo pacto linea, & superficies, superficies, & solidum, angulus contactus, & angulus rectilineus hoc sensu proportionem habebunt: quia linea minor est superficie, & superficies minor solido, & angulus contactus minor angulo rectilineo. Pariterque similia. Ea autem quanta, & non quanta nullam inter se proportionem habere dicentur, quæ neque æqualia inter

er se sunt, neque inæqualia iuxta dicta etiam diuis. 18.

53 Vnde duplex venit distinguenda proportio; alia latior, de qua diximus modo; & alia pressior, seu strictior, de qua cum Euclide paulò ante. Proportio autem pressior, siue pressius accepta in primis diuiditur à Mathematicis in proportionem rationalem, & proportionem irrationalem. Proportionem rationalem appellant, quæ in numeris exhiberi potest, & in quantitibus commensurabilibus reperitur; qualis est proportio, quam habet numerus 20. ad 10. & quam habet integra linea ad dimidium sui. Irrationalem verò, quæ in numeris exhiberi nequit, & datur inter, quantitates incommensurabiles; qualis est proportio, quam habet diameter cuiusvis quadrati ad latus eiusdem. Sunt autem quantitates commensurabiles, quæ mensuram communem habent. Incommensurabiles, quæ non habent, vt diuis. 21. explicabimus.

54 Rursus proportio diuiditur in proportionem æqualitatis, quæ semper rationalis est, qualem habet quæuis quantitas ad sibi æqualem; & in proportionem inæqualitatis, quæ & rationalis, & irrationalis esse potest; qualis inter rationales est proportio numeri 10. ad 5. & lineæ integræ ad dimidium sui; & inter irrationales proportio diametri quadrati ad costam, seu latus eiusdem. Ommissis igitur proportionibus æqualitatis, quæ plures diuisiones non patitur, & proportionibus irrationali, de qua toto lib. 10. tractat. Eucl.

55 Proportio rationalis inæqualitatis alia maioris, alia minoris inæqualitatis vocatur. Proportio maioris inæqualitatis dicitur, quando maior quantitas cum minore confertur, vt numerus 10. cum 5. & linea 8. pedum cum linea 4. Minoris autem inæqualitatis, cum fit vice versa. Quantitas autem, quæ cum alia confertur antecedens proportionis appellatur; consequens verò proportionis quantitas, cum qua confertur alia.

56 Proportio autem maioris inæqualitatis in quinque omnino genera distribuitur, nempe in proportionem multiplicem, superparticularem, superpartientem, multiplicem superparticularem, & multiplicem superpartientem. In totidemque proportio minoris inæqualitatis diuiditur eisdem vocabulis significata, additâ particulâ *sub*, vt in proportionem submultiplicem, subsuperparticularem, subsuperpartientem, submultiplicem superparticularem, & submultiplicem superpartientem. Ex quinque autem generibus vtriusque proportionis tria priora simplicia sunt, & duo posteriora ex alijs composita, vt ipsa indicant vocabula.

57 Proportio multiplex est habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior minorem continet aliquoties, vt bis, ter, decies, centies, &c. ita, vt minor maiorem metiatur. Talis est proportio numeri 20. ad 4. quem continet quinquies, & lineæ 20. pedum ad lineam 4. pedum, &c. Hinc species proportionis multiplicis in infinitum multiplicantur. Si enim maior quantitas bis minorem continet, dicitur proportio dupla; si continet ter, tripla; si decies, decupla; si centies, centupla; & sic deinceps sine fine.

58 Proportio superparticularis est habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior semel dumtaxat continet minorem, & insuper vnam eius partem aliquotam scilicet dimidiatam, tertiam, quartam, &c. (dicitur enim pars ali-

quota ea, quæ aliquoties sumpta metitur totum). Talis est proportio numeri 3. ad 2. quia 3. semel continet 2. & insuper vnitatem, quæ est pars dimidiata numeri 2. Similiter proportio lineæ 12. pedum ad lineam 9. pedum: nam 12. semel continet 9. & insuper 3. quæ tertia pars est ipsius 9. Hinc etiam species proportionis superparticularis sine fine multiplicantur. Nam, si illa pars aliquota contenta in maiori quantitate est dimidiata pars minoris, proportio maioris ad minorem est sesquialtera; si est tertia pars, proportio est sesquitercia; si quarta, sesquiquarta; si centesima, sesquicentesima, &c.

Proportio superpartiens est habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior minorem semel dumtaxat continet, & insuper aliquot eius partes aliquotas non efficientes vnam aliquotam. Talis est proportio 8. ad 5: nam 8. continet semel 5. & insuper tres vnitates, quarum quælibet est pars aliquota nempe quinta numeri 5; ipse tamen ternarius ex illis compositus non est vna pars aliquota ipsius numeri 5. Diuiditur autem primò hæc proportio in membra infinita, habitâ ratione numeri partium aliquotarum. Si enim maior quantitas semel comprehendit minorem, & duas eius partes aliquotas non constituentes vnam, conficitur proportio superbipartiens; si tres partes aliquotas, supertripartiens; si decem, superdecupartiens, &c. Secundò quoduis horum membrorum in infinita alia diuiditur, habitâ ratione denominationis partium aliquotarum. Nam proportio superbipartiens inter duas quantitates inæquales, quarum maior continet minorem semel, & duas eius partes tertias, dicitur superbipartiens tertias; quòd si duæ illæ partes fuerint quintæ, dicitur superbipartiens quintas; & ita de reliquis. Sic proportio, quam habet 8. ad 5. est proportio supertripartiens quintas: quia numerus 8. semel continet 5. & insuper tres partes aliquotas non constituentes vnam numeri 5, quarum quælibet quinta pars aliquota eius est, tresque proinde partes quintæ eius dicuntur. Proportio autem, quam habet 11. ad 8. est proportio supertripartiens octauas: quia numerus 11. semel continet 8. & insuper tres eius partes octauas. Eademque est proportio 22. ad 16: quia numerus 22 semel continet 16. & insuper tres partes aliquotas eius quales sunt tres binarij, quarum quælibet octaua pars est numeri 16. Et in cæteris pariter.

Proportio multiplex superparticularis est habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior minorem continet aliquoties, vt bis, ter, quater, &c. & præterea vnam eius partem aliquotam. Cuiusmodi est proportio 9. ad 4: continet enim 9. bis 4. & insuper vnitatem, quæ est quarta pars minoris. Diuiditur autem hæc proportio primò in infinita membra, habitâ ratione proportionis multiplicis, ex qua componitur, quemadmodum, diximus, diuidi ipsam proportionem multiplicem, vt in duplam superparticularem, triplam superparticularem, &c. prout maior quantitas minorem continet bis, ter, &c. & insuper vnam partem eius aliquotam. Quorum membrorum vnumquodque deinde in alia infinita venit subdividendum, habitâ ratione proportionis superparticularis, ex qua etiam proportio ista multiplex superparticularis componitur. Proportio enim tripla superparticularis e.g. erit tripla sesquialtera, si maior quantitas minorem ter comprehenderit, & insuper dimidia-

tam eius partem; erit tripla sesquitercia, si maior quantitas minorem ter comprehenderit, & insuper tertiam eius partem; atque ita tripla sesqui-quarta; tripla sesquiquinta, &c. sine fine.

61 Proportio denique multiplex superpartiens est habitudo maioris quantitatis ad minorem, quando maior aliquoties continet minorem, & insuper aliquot eius partes aliquotas non conficientes vnam aliquotam. Qualis est proportio 11. ad 3: nam 11, ter continet 3, & insuper duas vnitates, quæ sunt duæ partes aliquotæ numeri 3. non conficientes vnam. Diuiditur autem hæc proportio primò, habità ratione proportionis multiplicis, ex qua componitur, in duplam superpartientem, triplam superpartientem, &c. in infinitum. Secundò harum quælibet in infinitum est diuisibilis, habità ratione numeri partium aliquotarum non constituentium vnam aliquotam; vt tripla superpartiens e. g. in triplam superbipartientem; triplam supertripartientem, &c. Quarum vnaquæque tertio sine fine diuiditur, habità ratione denominationis partium aliquotarum; vt tripla supertripartiens e. g. in triplam supertripartientem quartas; triplam supertripartientem quintas &c. vt satis ex dictis hæcenus perspicuum est.

62 Hæc dicta sunt de quinque proportionibus rationalibus maioris inæqualitatis, vbi maior quantitas semper refertur ad minorem. Quæ omnia omnino conueniunt, pariterque applicanda sunt totidem proportionibus minoris inæqualitatis illis correspondentibus, vbi minor quantitas semper refertur ad maiorem; inuersà dumtaxat comparatione, & additâ vocabulis particulâ *sub*, vt proportionibus minoris inæqualitatis à proportionibus maioris discriminentur. Si enim proportio 20. ad 4. quintupla est, proportio 4. ad 20. subquintupla erit. Et, si proportio 12. ad 9. sesquitercia est, proportio 9. ad 12. erit subsesquitercia. Et, si proportio 11. ad 8. est supertripartiens octauas, proportio 8. ad 11. erit subsupertripartiens octauas; & in cæteris pariter.

63 Iam, proportionibus rationales tum maioris, tum minoris inæqualitatis quinque omnino esse, quas exhibuimus, nec plures, nec pauciores, facile demonstratur. Nam omnis proportio rationalis quarumvis quantitatum commensurabilium, quibus solis ea conuenit iuxta superius dicta, in numeris exhiberi potest. Siquidem quantitates commensurabiles, quæcunque illæ fiat, inter se proportionem habent, quam numerus ad numerum, vt demonstrat Eucl. lib. 10. Elem. propof. 5. Aut igitur maior numerus minorem, ad quem comparatur, continet aliquoties iuste, & perfectè; & sic euadit proportio multiplex. Aut continet semel tantum, ac insuper vnam eius partem aliquotam; & sic proportio superparticularis habetur. Aut continet semel tantum, & insuper plures partes eius aliquotas non facientes vnam; & hæc est proportio superpartiens. Aut continet aliquoties, & vnam eius partem aliquotam; & hæc est proportio multiplex superparticularis. Aut denique continet aliquoties, prætereaque plures eius partes aliquotas non facientes vnam; & est proportio multiplex superpartiens. Alius autem modus excogitabilis non est, vt patet, quo maior quantitas minorem contineat. Quinque igitur omnino sunt genera proportionum rationalium maioris inæqualitatis. Vnde etiam patet, totidem omnino esse minoris. Siquidem totidem omnino modis continetur minor quantitas in

maiori, quot maior continet minorem.

Hæc breuiter scribere, transcribere ve ex Mathematicis oportuit de naturâ, & speciebus proportionis, vt sciatur, qua ratione, & quot modis duæ quæque quantitates possint proportionem inter se habere. Cætera de miris earum proprietatibus apud ipsos videnda sunt, præsertim apud nostrum Clauium in lib. 5. Elem. Eucl. circa def. 3. & 4.

Diuisio 20.

Quantorum, & non quantorum alia proportionalia sunt, & alia non proportionalia.

Pro explicatione suppono primò ex def. 4. lib. 5. Eucl. proportionalitatem, quæ à Græcis analogia dicitur, proportionum similitudinem esse. Cum ergo proportio sit habitudo vnius extremi, quod antecedens dicitur, ad alterum, quod dicitur consequens, qua comparantur inter se tanquam æqualia, vel inæqualia iuxta dicta diuis. 19. proportionalitas absque tribus terminis paucissimis constare non potest, vt ibid def. 9. statuit Eucl. Siquidem duæ proportionem, quarum vt minimum similitudo est proportionalitas, absque tribus saltem terminis stare non possunt, quorum primus antecedens sit ad secundum, secundus consequens ad primum, & antecedens ad tertium, & tertius consequens ad secundum. Itaque si quemadmodum A se habet ad B, ita B se habet ad C, proportio ipsius A ad B similis erit proportioni ipsius B ad C, in qua similitudine proportionalitas consistit.

Vnde suppono secundò, proportionalitatem imprimis duplicem esse. Aliam continuam, Aliam discretam, seu non continuam. Continua est, quando terminus intermedius bis repetitur; primò vt consequens antecedentis; secundò vt antecedens consequentis, vt in exemplo posito. Discreta verò, seu non continua, quando nullus terminus bis repetitur, sed omnes semel tantum, vt si, quemadmodum A se habet ad B, ita C se habet ad D. Ex quo apparet, seriem proportionalitatis, siue proportionum cuiusvis generis aut continuam posse esse, aut discretam. Vnamquamque autem in infinitum protendi posse indubitatum est: quia, dato quouis binario terminorum habentium inter se proportionem, aliud, & aliud sine fine potest adiungi, saltem ratione nostrâ similem proportionem habens; idque vel adæquatè distinctum à præcedenti, quo series proportionalitatis, seu proportionum erit discreta; vel inadæquatè tantum distinctum, quo fiet continua.

Igitur quanta, & non quanta proportionalia ea dicenda veniunt, quæ duo, vel plura binaria aut adæquatè, aut inadæquatè inter se distincta efficiunt proportionalitatem habentia; eo quod binariorum termini inter se comparati similem habent proportionem. Ea verò non proportionalia, quæ duo, vel plura binaria constituunt proportionalitate destituta. Quod duobus modis potest accidere; vel quia termini, aut alicuius, aut omnium talium binariorum nullam inter se proportionem habent: vel quia proportionem, quæ habent dissimiles sunt. Et quoniam proportio inter duo extrema, duos ve terminos cuiusvis binarij reperta aut latior, aut strictior esse

esse potest, prout explicuimus diuis. 19. proportionalitas etiam, quæ similitudo est proportio-
num, alia latior, & alia strictior erit. Latior, quæ
similitudo est proportionum latius sumptarum.
Strictior, quæ similitudo est proportionum sum-
ptarum strictius. Quoniam item proportio stri-
ctior alia rationalis est, alia irrationalis. Tum alia
æqualitatis, & alia inæqualitatis, vt ibidem statui-
mus; in totidem membra poterit proportiona-
litas diuidi. Verùm, prætermisiss alijs, potissi-
ma habetur ratio proportionalitatis repetæ inter
proportiones rationales, præsertim inæqualitatis,
quæ totidem præterea modis diuidenda venit,
quot loco citato portio rationalis inæqualitatis
diuisa est.

68 Cæterùm aliter proportionalitas ab Ari-
thmeticis diuidi solet tanquam in tria præcipua
genera in Arithmetica, Geometrica, & Mu-
sica, seu Harmonica; quas etiam Medietates
solent vocare, vt videre est apud nostrum Cla-
uium loco supra citato.

69 Arithmetica proportionalitas, siue medie-
tas est, quando tres vel plures numeri per eam-
dem differentiam progrediuntur. Vt hi numeri
4. 7. 10. 13. 16. quorum quilibet suum antec-
edentem ternario superat, proportionalitatem
arithmetica dicuntur constituere. Erit autem
continua, si qua ratione primus numerus ad se-
cundum comparatur, eadem comparatur secun-
dus ad tertium, &c. vt in exemplo posito; discreta
autem, si, vt primus ad secundum, sit tertius ad
quartum, &c, vt in his 4. 7. 8. 11. 30. 33.

70 Geometrica autem proportionalitas, siue
medietas est, quando tres, vel plures quantita-
tes siue discretæ, siue continuæ eandem, simili-
lem ve proportionem strictam, & rationalem ha-
bent, de cuius natura, & speciebus egimus
diuis. 19. Et hæc est, quæ proprie dicitur propo-
tionalitas, seu analogia. (Arithmetica enim,
& musica improprie proportionalitates dicuntur;
quandoquidem inter earum terminos eadem
prædicta proportio stricta, & propria non sem-
per reperitur, ita vt rectius medietates dicantur
propter medios terminos, qui certâ quadam ra-
tione inter extremos interjiciuntur.) Vt hi nu-
meri 2.6. 18. 54. proportionalitatem constituunt
geometricam; quoniam quilibet ad suum conse-
quentem eandem habet proportionem, nimirum
sub triplam. Similiter proportionalitatem geo-
metricam constituent quinque lineæ, quarum
prima sit 16. pedum; secunda 8; tertia 4; quar-
ta 2; quinta 1: quia quælibet ad suam conse-
quentem eandem habet proportionem duplam.
Erit autem hæc proportionalitas continua, si,
quam proportionem habet prima quantitas ad
secundam, eandem habet secunda ad tertiam,
& tertia ad quartam, &c. vt in exemplis datis.
Discreta verò, si, quam proportionem habet prima
ad secundam, eandem habet tertia ad quartam,
& quinta ad sextam, vt cernere est in his nume-
ris 1. 2. 3. 6. 7. 14. quorum primus ad secun-
dum, tertius ad quartum, & quintus ad sextum
eandem habent proportionem subduplam; quam
non habent secundus ad tertium, nec quartus ad
quintum.

71 Musica denique, seu harmonica proportio-
nalitas, siue medietas est, quando tres numeri ita
ordinantur, vt eadem sit proportio maximi ad
minimum, quæ differentia inter maiores duos ad
differentiam inter duos minores; ita, vt neque
eadem inter eos sit differentia, vt in arithmetica,

neque eadem proportio, vt in geometrica. Vt
tres hi numeri 3. 4. 6. quoniam eadem est propo-
tione maximi 6. ad minimum 3. quæ differentia
inter 6, & 4, nimirum 2, ad differentiam inter 4
& 3, id est ad 1, (cùm utrobique proportio sit
dupla), constituunt proportionalitatem, siue
medietatem musicam, seu harmonicam; ipsi verò
neque eandem habent differentiam, neque
eamdem proportionem, vt patet. Similiter hi
tres numeri 42. 12. 7. harmonicam proportiona-
litate conficiunt: quia eadem est proportio
maximi 42. ad minimum 7, quæ differentia in-
ter 42, & 12, scilicet 30, ad differentiam inter
12. & 7, scilicet 5; cùm utrobique proportio sit
sextupla. Dicitur autem huiusmodi proportio-
nalitas musica, siue harmonica: quia plerunque
eius numeri habent proportionem eas, in quibus
consonantia Musica consistunt, vt in priori exem-
plo inter 6. & 4. est proportio sesquialtera con-
stituens consonantiam, quæ Diapente dicitur, siue
Quinta; & inter 4, & 3, est proportio sesquitercia
constituens consonantiam, quam Diatesaron, siue
Quartam vocant; & inter 6. & 3. est proportio du-
pla constituens consonantiam dictam Diapason,
siue Octauam. Quod & in plerisque alijs eiusmodi
euenit.

Porro vnaquæque harum trium proportio-
nalitatum, seu medietatum series, aut progressio
proportionis, siue proportionalitatis, eaque vel
arithmetica, vel geometrica, vel musica, siue
harmonica dici solet. Terminique huiusmodi se-
ries, seu progressionem constituentes proportio-
nales appellantur proportione vel arithmetica,
vel geometrica, vel musica. Tametsi, quando
aliquæ tres, vel plures quantitates absolute, &
sine addito proportionales dicuntur, id de pro-
portione dumtaxat, siue proportionalitate geo-
metrica veniat intelligendum. Vnde deprehendes,
eas absolute appellari partes proportionales
cuiusvis totius, quæ seriem constituunt propo-
tionis, seu proportionalitatis geometricæ. Quocirca
tot illæ modis proportionales esse poterunt, quot
sunt differentia proportionis, atque adeo propo-
tionalitatis geometricæ in superioribus explica-
tæ, quas possunt habere. Quæ autem dicantur
cuiusvis totius partes aliquotæ supra diuis. 19.
diximus, & amplius explicabimus infra diuis. 21.
Atque hæc etiam sat fuerit ad institutum nostrum
de proportionalitatibus attingisse. Quarum infini-
tæ, mirabileque proprietates materia sunt bonæ
partis tum Arithmetica, tum Geometricæ. Vi-
deatur Clavius in def. illam 3. & 4. lib. 5. Eucl. &
in suâ præctica Arithmetica.

Diuisio 21.

Quantitatum alia commensurabiles, alia incommensurabiles sunt.

Commensurabiles dicuntur, quas eadem mensura
metitur. Incommensurabiles autem, quarum nullam
communem mensuram contingit reperiri. Vt definit
Eucl. lib. 10. def. 1. & 2. Dicitur autem mensu-
ra quantitatis id, quod metitur quantitatem.
Metiri autem quantitatem id dicitur, quod ali-
quodies sumptum perfecte quantitati congruit,
siue eam, aut alteram ei penitus æqualem con-
stituit; ita, vt in nihilo prorsus aut eam excedat,
aut ab eâ deficiat. Sic vnitas mensura est cuiusvis
numeri: quia multiplicata aut quemuis nume-
rum potest integrè constituere, aut numerum
cuius

cuius dato perfecte congruentem, siue ei æqualem. Sic numerus 4. mensura est numeri 20. quia quinquies acceptus illum, aut illi omnino æqualem constituit; tum numeri 16. quia quater acceptus ipsum, aut ipsi æqualem constituit: at numeri 18. mensura esse nequit; quia numerus 4. quater acceptus numerum 18. non attingit, siue ab eo deficit, acceptus autem quinquies ipsum excedit. Igitur cum duæ quantitates eiusmodi sunt, vt possit assignari mensura metiens vtramque, tunc eæ commensurabiles dicuntur. Incommensurabiles verò, quæ tales sunt, vt nulla sit mensura possibilis, quæ vtramque metiatur. Sic duo quique numeri commensurabiles sunt, quia vt minimum vnitas potest vtrumque metiri. Sic linea 20. pedum, & linea 8. pedum commensurabiles sunt; quia linea vnus pedis vtramque metitur, tum etiam linea duorum, & linea quatuor pedum. At diameter cuiusvis quadrati, & latus eiusdem incommensurabiles sunt; quia nulla est possibilis linea, siue pars lineæ, quæ vtrumque metiatur, vt demonstrat Eucli. lib. 10. proposit. vltimâ.

74 Hinc iam perspicies, quid sit apud Mathematicos pars aliquota cuiusvis totius, est enim ea, quæ metitur totum: quia sumpta aliquoties illud constituit. Cùm tamen pars non metiens totum; eo quòd sumpta aliquoties vel ab eo defecit, vel ipsum excedit, non aliquota, sed aliquanta nuncupetur. Sic numerus 4. pars aliquota est numeri 8. & 12. & 16. & 20. & 24. &c. at numeri 6. & 7. & 9. & 10. & 18. &c. non est pars aliquota sed aliquanta.

75 Vnde etiam colliges primò, cùm dixit Eucl. lib. 5. Elem. def. 1. loquens de quantitate, continuâ, & lib. 7. def. 3. loquens de discretâ, siue de numero, partem esse quantitatem minorem maiore, cùm minor metitur maiorem, solum partem aliquotam definitiisse. Vnde lib. 7. def. 4. partem aliquotam cuiusvis numeri, non partem, sed partes vocauit, eò scilicet quod numerus, qui est pars aliquanta maioris, ex vnitatibus saltem erit compositus, quarum vnaquæque pars aliquota dici potest ipsius numeri maioris, vt pote ipsam metiens. At lib. 5. partem aliquotam magnitudinis non appellauit partes; quia fieri potest, vt pars magnitudinis sit incommensurabilis toti, atque adeò ex partibus metientibus ipsam totam non sit composita.

76 Secundò colliges, quid in quantitatibus, seu quantis dicatur multiplex, & quid æquemultiplex. Multiplex enim quantum dicitur, quod est maius minoris, quando minus metitur maius iuxta def. 2. lib. 5. & def. 5. lib. 7. Eucl. Vnde, æquemultiplex quantum dicitur illud, quod est maius minoris, & toties minus metitur maius, quoties aliud minus maioris ipsum proprium maius metitur: atque ita æquemultiplicia dicuntur quanta maiora minorum, quando minoræ æquæ toties metuntur sua propria maiora.

Diuisio 22.

77 Quantorum, & non quantorum alia sunt inter se distantia, alia vero indistantia.

Distare inter se dicuntur ea extrema, siue quanta, siue non quanta, quæ in serie, ad

quam pertinent, vel secundum quam comparantur, nec penetrata sunt, nec immediatè vnita, aut contigua; aliquaque proinde intercapedo, aliquod ve interualum ad talem seriem spectans est interpositum: siue sit series extensionis localis, siue extensionis temporalis, siue cuiusvis alterius generis iuxta dicta diuis. 2. & 12.

Vnde distantia inter talia extrema reperta, 78 ratione cuius tantum, vel tantum inter se distare dicuntur, breuissimum interualum interpositum erit spectans ad talem seriem; siue illud plenum alijs componentibus, continuantibusque seriem ipsam cum extremis inter se distantibus, siue vacuum omnino, atque adeò interrupta series, consideretur.

Ea autem extrema indistantia, siue non distantia inter se dicuntur, quæ vel penetrata sunt in eodem gradu, in eadem ve parte seriei, secundum quam comparantur, iuxta dicta diuis. 12. citata; vel, si distinctis correspondent, immediatè contigua sunt, atque adeò sese tangunt, aut quasi tangunt, adeò, vt inter illa nullum interualum ad talem seriem pertinens sit. Idque, siue sint illa inter se vnita, siue non sint vnita.

Vnde duplex distinguenda est indistantia, 80 siue non distantia extremorum, alia penetrationis, alia verò contiguitatis, inmediationis ve, seu contactus; siue in vtraque, siue in alterutra vno extremorum interueniat, siue non interueniat.

Diuisio 23.

Quantitas continua alteri insitens, si alia est perpendicularis illi; alia non item.

Perpendicularis alteri, cui insitit, dicitur, quæ cum illa facit angulos omnes æquales. Non perpendicularis autem, quæ cum illa facit angulos non omnes æquales.

Diuisio 24.

Duæ quæque, vel plures quantitates continuæ inuicem comparatæ alia parallelæ sunt; alia non parallelæ.

Parallelæ dicuntur, quando omnes lineæ perpendiculares ductæ ab vna ad alteram inter se sunt æquales. Non parallelæ verò, quando non omnes eiusmodi perpendiculares lineæ inter se æquales sunt.

Mitto plures alias diuisiones, per quas in 83 plura alia specialiora membra quantitas tum continua, tum discreta adhuc restabant diuidendæ, eo quòd talium membrorum definitiones iam insuis Elementorum libris sunt traditæ ad Euclide.

Vnde, cùm opus fuerit, petendæ sunt.

QVÆSTIO III.

Quanam propositiones evidentes, aut aliàs certe, seu per se nota, seu demonstrata ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur collatis tum inter se, tum cum alijs disput. 5. quæst. 6. & disput. 8. quæst. 4. commemoratis.

84 **D**ico ad quæstionem hanc imprimis spectare propositiones evidentes, quas de essentiâ compositâ, & partibus eius statumus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. vtpote pertinentes ad totum, & eius partes in vniuersum, qui termini sunt huius quæstionis. Spectant etiam ad illam propositiones evidentes ibi etiam statutz disput. 15. quæst. 7. circa rerum ordinationes, seu series ordinatas secundum prius, & posterius, quatenus eiusmodi series quantitates quædam, seu quanta sunt. Necnon statutz disput. 16. quæst. 3. circa æqualitatem, atque inæqualitatem rerum, quæ propriæ quantorum sunt passionem. Ad demum statutz disput. 17. quæst. 3. circa vnum, & plura, quatenus pertinent hæc ad quantitatem discretam.

85 **A**d materiam insuper præsentis disputationis, præsentisque quæstionis pertinent omnes propositiones, quæ in campis latissimis totius Geometriæ, & Arithmeticæ à Geometris, & Arithmeticis demonstratz sunt, quatenus scientiæ itz quantitatem, de qua hic tractamus, cum omnibus speciebus eius habent pro obiecto; prima quidem continuam, secunda discretam.

86 **Q**uibus proinde omnibus in præsentis suppositis, nonnullas eis modò assumptæ à nobis methodi gratiâ propositiones adiciemus ex genere earum, quæ circa prædictam materiam & vniuersaliores, & magis ad Metaphysicam, seu Philosophiam primam, quàm ad Mathematicam videantur spectare, prout præsens nostrum postulat institutum. Quales sunt quæ sequuntur.

Propositio 1.

87 **T**otum cum aggregato omnium suarum partium est idem. Atque ad eò cum omnibus suis partibus collectiue sumptis. Idque, siue sit finitum, siue infinitum.

Est clarum. Quia totum dicimus quoduis aggregatum coalescens ex pluribus tanquam ex partibus componentibus ipsum. In idemque recidunt tale aggregatum, & omnes partes ipsius collectiue sumptæ.

Propositio 2.

88 **T**otum omnibus suis partibus collectiue sumptis æquale est. Idque etiam, siue sit finitum, siue infinitum.

Quatenus æquale est sibi ipsi iuxta dicta, quæst. 2. diuis. 18. num. 50. cum ipsum, & omnes eius partes collectiue sumptæ sint idem iuxta

proposit. 1. Ex hac propositione sequitur, totum æquale esse cuius extremo, quod omnibus suis partibus collectiue sumptis est æquale. Quia, quod alicui æquale est, & cuilibet ipsi æquali æquale est, vt constat.

Propositio 3.

89 **T**otum siue finitum, siue infinitum, qualibet parte sui est maius. Qualibetque subinde pars minor est suo toto.

Est euidentissimum. Quia euidentissimum est, totum continere in se suam partem, siue ipsam esse, & aliquid amplius. Hoc autem ipsum est, totum esse maius sua parte, & partem minorem esse suo toto iuxta dicta quæst. 2. diuis. 18. num. 51. Indeque sequitur, totum maius quouis esse quouis extremo æquali parti suæ. Quia, quod aliquo maius est, & quolibet ipsi æquali maius est, vt est notissimum. Tum partem minorem esse quouis extremo æquali suo toti. Quia quod aliquo minus est, & quolibet ipsi æquali minus est, vt etiam est notissimum.

Propositio 4.

90 **T**otum siue finitum, siue infinitum à qualibet parte sui est distinctum.

Quia si esset idem cum illâ, non esset maius illâ contra proposit. 3. cum, idem se ipso esse maius, sit impossibile, vt constat ex se, & ex dictis quæst. 2. diuis. 18. num. 50.

Propositio 5.

91 **D**istinctio, qua quoduis omnino totum à qualibet parte sui distinguitur, inadæquate est, eademque re ipsâ cum distinctione, qua talis pars ab alijs distinguitur.

Est clarum. Quia, cum totum cum qualibet parte sui, & simul cum cæteris omnibus collectiue sumptis sit idem iuxta proposit. 1. non potest non esse illud cum qualibet parte sui idem inadæquate: à qua subinde inadæquatè solum potest illud distingui. Nimirum quatenus cæteræ partes ipsum constituentes ab illâ adæquatè distinctæ sunt. Ex quo patet ab ipsâ eadem distinctione, qua à qualibet parte totius cæteræ distinguuntur, euadere totum ipsam distinctum inadæquatè ab illâ. Distinguitur enim ab illâ per aliquid sui nempe per cæteras, & identificatur cum illâ per aliquid sui, nempe per ipsam met. Atque ita partim identificatur cum illâ, & partim distinguitur ab illâ. Quod ipsum est inadæquatè identificari cum illâ, & simul inadæquatè distingui ab illâ. Et propter hoc totum à parte non vteunque, sed tanquam includens ab inclusio distingui dicitur.

Propositio 6.

92 **Q**uod inadæquatè conuenit toti, non potest non conuenire adæquatè alicui parti eius.

Euidens videtur mihi ex terminis ipsis bene conceptis hæc propositio. Quia conuenire quoduis

uis prædicatum cum addito inadæquatè toti, nihil est aliud, quàm esse aliquid in toto, cui illud non conueniat, & aliquid, cui conueniat simpliciter absque vilo addito. Hoc autem ipsum est non conuenire illud alicui parti totius integrè, & adæquatè sumptæ, & conuenire residuæ parti sumptæ etiam integrè, & adæquatè. Confirmo, & declaro. Quia, acceptis, vt citra dubium possunt accipi, omnibus omnino particulis totius, nullà demptà, quibus tale prædicatum non conuenit, necesse est, vt in residuo, cui conuenit, nulla penitus sit particula, cui non conueniat, vt est notissimum; alioquin præter omnes omnino particulas, quibus non conuenit, daretur aliqua alia, cui non conueniret. Quod planè est implicatorium contradictionis. Nullam autem superesse particulam, cui tale prædicatum non conueniat in dicto residuo, cui conuenit, idem est, ac taliresiduo conuenire adæquatè, vt constat. Firma igitur, & satis euidentis est propositio data.

93 Ex eà autem sequitur primò, à qualibet eà parte, à qua totum inadæquatè tanquam includens ab incluso distinguitur ratione residui, non posse non residuum ipsum distingui adæquatè iuxta dicta etiam proposit. 5. Vnde rursus manifestè consequitur, quamlibet partem distinctam, à toto inadæquatè tanquam inclusum ab includente ratione residui, non posse non distingui adæquatè ab ipso residuo. Similiterque sequitur, quamlibet partem, cum qua totum inadæquatè est idem, necessariò habere in toto aliquid, nempe se ipsam, cum quo ea sit adæquatè idem, & aliquid, nempe residuum, à quo ea sit adæquatè distincta.

94 Secundò ex propositione sequitur, quotiescunque totum cum altero ente est penetratum, aut ab eo distans, aut ei contiguum inadæquatè, siue localiter, siue temporaliter, siue in qualibet alià serie: tunc quidem non posse non in tali toto aliquid dari, quod cum tali ente sit penetratum, aut ab eo distans, aut ei contiguum adæquatè in tali serie. Tantumdemque de cæteris prædicatis toti inadæquatè conuenientibus similiter venit dicendum.

Propositio 7.

95 Qua ratione aliquod totum est essenziale, eadem nequit esse integrale. Nec vice versà.

Quia prout essenziale partibus inter se dissimilibus constare debet: prout integrale verò similibus iuxta dicta quæst. 2. diuis. 4. Repugnat autem, vt eadem partes sint inter se dissimiles simul, & similes, vt constat ex se, & ex dictis in Pharo Scient. disput. 16. quæst. 3.

96 Ex hac propositione sequitur, totum non posse esse adæquatè essenziale simul, & integrale. Benè tamen inadæquatè. Quia non possunt omnes partes eius esse simul inter se dissimiles, & similes. Benè tamen possunt esse aliquæ inter se dissimiles, & aliquæ inter se similes, vt indidem constat.

Propositio 8.

97 Quæ de toto in præcedentibus dicta sunt, & de quanto dicenda sunt.

Quia totum, & quantum pro eodem in præfenti vsurpantur iuxta dicta quæst. 1. num. 7.

Propositio 9.

98 Qua ratione vnumquodque est quantum, eadem nequit esse non quantum.

Quia nequit sub eadem ratione esse simul diuisibile, quale quantum est, & indiuisibile, quale est non quantum; cum sint termini sibi contradicentes, vt constat.

Propositio 10.

99 Qua ratione quoduis quantum est infinitum nequit esse finitum; & qua ratione est continuum, nequit esse discretum; & qua ratione est extensum, nequit esse intensum; & qua ratione est alteri æquale, nequit esse inæquale; & qua ratione est alteri incommensurabile, nequit esse commensurabile. Nec vice versà.

Est certum. Quia omnia dicta prædicatorum binaria contradictionem inuoluunt respectuè ad idem subiectum sub eadem ratione consideratum. Vt sicque proinde nequeunt simul ei conuenire, vt est notissimum.

Propositio 11.

100 Possibile est, vt quanta inter se similia aut sint æqualia, aut inæqualia. Tum, vt quanta inter se dissimilia aut sit inæqualia, aut æqualia.

Hanc propositionem statuimus etiam in Pharo Scient. disput. 16. quæst. 3. In quantisque mathematicis manifestissima est. Constat enim, omnes circulos inter se esse similes, tum omnia triangula æquilatera, tum omnia quadrata, &c. & tamen posse esse nihilominus, sæpeque esse duos circulos aut æquales inter se, aut inæquales, tum duo triangula æquilatera, tum duo quadrata, &c. Constat etiam triangulum, & quadratum, & rhombum, & circulum extrema esse inter se dissimilia; & tamen posse nihilominus esse, sæpeque esse vel triangulum, & quadratum, vel triangulum, & rhombum, vel triangulum, & circulum aut inter se inæqualia extrema, aut æqualia, vt demonstrant Geometra. Ratio autem à priori est; quia tam similitudo, quàm dissimilitudo extremorum tum cum inæqualitate, tum cum æqualitate eorundem compatibilis est; vt cernitur manifestè in exemplis positis.

101 Ex quo infertur, etiam quoad quantitatem metaphysicam posse extrema similia, atque etiam extrema dissimilia esse inter se tum æqualia, tum inæqualia. Atque ita entia specificè diuersa, qualia sunt omnia dissimilia, aut æqualia, aut inæqualia posse esse quoad perfectionem, siue aliam quamlibet metaphysicam quantitatem. Tantumque posse euenire entibus eiusdem speciei, solumque numericè differentibus, qualia sunt omnia similia. Quippe quæ aut inæqualia itidem, aut æqualia inter se esse possunt quoad quantitatem quamlibet metaphysicam.

Vnde rursus infertur, deceptos haud dubiè esse eos omnes Auctores, qui in tract. de Anima opi-

opinantur, animas eiusdem speciei, quales sunt rationales, inæquales quoad perfectionem esse non posse. Cuius oppositum propter dicta pro certo habendum est proculdubio.

903 Quin imo ego pro certo habeo, etiam de facto nullum ex entibus sublunariis, & naturalibus, adhuc eorum, quæ eiusdem speciei esse censentur, exactè simile, & æquale esse alteri: sed singula singulis aut dissimilia esse, aut inæqualia quoad quantitatem aut physicam, aut metaphysicam. Id quod manifestè experimur omnes in ijs indiuiduis, adhuc eiusdem speciei, quorum differentia est sensibilis. Videmus enim singulos homines aliquam inter se differentiam habere quoad facies, quoad voces, quoad conditiones, quoad mores, quoad actiones aut scribendi, ut cernitur in varietate litterarum, aut loquendi, ut in diuersitate sermonum, aut ambulandi, ut in diuersitate motuum, aut intelligendi, ut in diuersitate iudiciorum, atque discursuum, in alijsque eiusmodi. Tantumdemque aut cernitur in cæteris cuiusvis speciei indiuiduis, aut certè de omnibus à paritate eorum, quorum differentia discernuntur, pariter est censendum. Cuius ratio philosophica est: quia omnia entia sublunaria ab influxu non solum causarum particularium, sed etiam vniuersalium dependunt in sua connaturali existentia aliquo dependentiæ genere. (Quippe ea etiam spiritualia, quæ à solo Deo causantur, non sine respectu ad connaturalem subiectorum tum naturam, tum dispositionem à causis naturalibus oriundam causantur). Propter incommensurabilitatem autem à peritissimis Mathematicis deprehensam motuum coelorum, & astrorum in singulis momentis temporis aggregatum omnium causarum naturalium, quorumuis effectuum diuersum aliquomodo est. Vnde entia quæuis, quantumuis eiusdem speciei, in diuersis temporis momentis producta non possunt non ab aggregatis omnium suarum causarum cum aliqua diuersitate connaturaliter prodire. Quæ autem in eodem temporis momento producuntur aliunde etiam sortiuntur connaturaliter diuersitatem aliquam. Quia nimirum necessariò producuntur in diuersis locis, cum subiecta eorum corporea penetrationem in eodem necessariò reculent. Quo fit, ut per diuersas lineas, atque adeò cum aliqua diuersitate ab aggregato causarum tunc existente sortiuntur tum suum influxum, tum suam entitatem. Quod obiter adnotare libuit, ut planè appareat, quomodo non solum de possibili, sed etiam de facto entia alioquin inter se similia, atque adeò solum numericè diuersa quoad aliquam suam quantitatem aut physicam, aut metaphysicam inæqualia sunt; diuersitas siquidem, quam naturaliter sortiuntur supra suam physicam distinctionem, si non est dissimilitudinis, necessariò est inæqualitatis quoad quantitatem aut physicam, aut metaphysicam. Quia nulla alia ab ijs diuersitas excogitabilis est, ut ex dictis in Phælo Scient. disput. 16. citatà quisque potest colligere.

Propositio 12.

104 Quæcunque multitudines sibi mutuò congruunt congruentiâ multitudinum, eo ipso sunt inter se æquales. Sicut inæquales è contra quæcunque tali congruentiâ sibi mutuò non congruunt.

Sermo est in propositione tam de multitudinibus infinitis, quam de finitis. Quo pacto accepta euidentissima est ex terminis ipsis, si semel hi benè intelligantur iuxta ipsorum explanationem præmissam supra quæst. 2. diuis. 17. Tunc enim iuxta definitiones ibi statutas duæ quæque multitudines dicuntur mutuò sibi congruere congruentiâ multitudinum, cum singulis vnitatibus vnus totidem correspondent in alterâ, quin vlla desit, aut supersit; ita, quòd factis omnibus binarijs possibilibus ex vnitatibus vnus, & alterius alternatiue sumptis, in neutrà earum supersint vlla, aut vllæ vnitates. Hoc autem ipsum est totidem habere vnitates vnâ, ac alteram, & hoc rursus, esse vnâ in ratione multitudinis tantam, quanta altera est. Quod denique est, æquales in ratione multitudinum esse, iuxta definitionem quantorum æquælium statutam quæst. 2. diuis. 18.

E contra verò, si duæ quæque multitudines modo dicto sibi mutuò non congruant, eo ipso in vna erunt plures vnitates, quam in alterâ; proindeque vna tanta, quanta altera, non erit in ratione multitudinis. Quod ipsum est, eas esse inæquales in ratione multitudinum, prout ex dictis locis citatis est manifestum.

Et quidem, si Deus producat multitudinem hominum, & vnicuique eorum conferat vnicam gladium; sintque subinde mutuò sibi congruentes congruentiâ multitudinum multitudo hominum, & multitudo gladiatorum; quis dubitet, esse eas æquales in ratione multitudinum, siue finitæ sint illæ, siue infinitæ? Deinde auferat Deus à quatuor hominibus gladios suos, & eos corrumpat; quo casu iam multitudo gladiatorum multitudini hominum congruentiâ dictâ non congruet. Quis clarè non videt, iam dictas multitudines, siue illæ sint finitæ, siue infinitæ, manere inæquales? Siquidem multitudo gladiatorum quaternario numero exceditur à multitudine hominum, sicut & à multitudine gladiatorum, quæ antea erat, & cuius ea pars est; quo etiam titulo nequit non esse minor illa,

Propositio 13.

107 Quæcunque quanta extensa localiter, aut temporaliter mutuò sibi congruunt congruentiâ extensionum quoad locum; aut quoad tempus, eo ipso sunt inter se æqualia. Ex eo verò, quòd non ita sibi mutuò congruant, non sequitur quòd sint inæqualia.

Sermo est etiam hinc de quantis extensis localiter, aut temporaliter tam infinitis, quam finitis. Primaque pars propositionis ex terminis benè intellectis est euidentis. Quia ut constat ex eorum explanatione datâ quæst. 2. diuis. 17. ea quanta extensa localiter, aut temporaliter mutuò sibi congruunt modo dicto, quæ posita in eodem spatio locali, aut temporali per adæquatam suarum partium distributionem adæquatè in tali spatio penetrarentur. Manifestum est autem quanta eo modo penetrata localiter, aut temporaliter non posse non æqualia esse tum inter se, tum cum ipso spatio locali, aut temporali quoad extensionem localem, aut temporalem. Sic duo circuli adæquatè penetrati in eodem spatio locali necessariò sunt æquales quoad extensionem localem,

N N lem,

lem, pariterque duæ lineæ rectæ finitæ; sic etiam duæ lineæ rectæ infinitæ versus orientem incipientes hinc ab eodem puncto, & adæquatè penetratæ in eodem spatio locali etiam infinito non possunt non æquales esse cum ipso spatio, & inter se quoad talem extensionem localem; sic similiter duæ series durationum, quibus duo quique Angeli in eodem instanti temporis præterito creati à Deo vsque ad instans præfens durarunt, utpote penetratæ modo dicto adæquatè in eodem spatio temporali & ipsi spatio, & inter se æquales sunt quoad extensionem temporalem finitam. Sic etiam, si Deus creasset ab æterno duos Angelos, series durationum infinitæ à parte antea, quibus illi vsque ad instans præfens durassent, inter se, & temporali infinito præterito essent æquales quoad extensionem temporalem infinitam, utpote penetratæ adæquatè cum eodem ipso tempore infinito. Pariterque de huiusmodi cæteris venit censendum.

108 Iam secunda pars propositionis inde constat apertè: quia triangulum, & quadratum bene possunt esse inter se æqualia ut demonstrant Geometræ; & tamen sibi mutuò congruere nequeunt congruentiâ extensionis quoad locum; quia in nullo spatio locali possunt penetrari adæquatè, ut est notissimum. Tantumdemque est respectivè ad tempus de duabus seriebus durationum æqualibus, quarum altera continua, & altera interrupta sit. Quomodò autem duæ lineæ infinitæ æquales in eodem spatio locali, & duæ series durationum infinitæ etiam æquales in eodem spatio temporali non possint sibi mutuò congruere, non solum quando altera continua, & altera interrupta est, sed etiam aliàs sæpe ex dicendis disput. 13. quæst. 2. constabit.

109 Dicendum supererat de cæteris quantis extensis secundum cætera serierum genera, ut originis, connexionis, dignitatis, &c. ea tamen omittimus; quia de eis ferme ut de quibusdam quantis multitudinis ex suis gradibus extensionis ut ex quibusdam unitatibus coalescentibus philosophandum est, quod ad rem attinet, iuxta præced. proposit. prout ex doctrinâ etiam tactâ quæst. 2. diuis. 17. citatâ colligere est.

110 Quomodò etiam quanta, quæ mutuò sibi congruunt partim congruentiâ multitudinum, & partim congruentiâ extensionum iuxta ibidem dicta necessario sint inter se æqualia. Tamen si non sint necessariò inæqualia, quæ non ita congruunt, ex dictis in hac, & præcedenti propositione facilè, & clarè ab vno quoque colligi potest.

Propositio 14.

111 Necessarium omnino est, ut duæ quælibet multitudines siue finitæ, siue infinitæ comparatæ inter se aut sint æquales, aut inæquales in ratione multitudinum.

Quia necessarium omnino est, ut congruentiâ multitudinum vel sibi mutuò congruant, vel non, iuxta illud evidentissimum principium. Quodlibet est vel non est. Et, si congruunt quidem, æquales. Si non, inæquales sunt necessariò iuxta proposit. 12.

112 Quod confirmari potest, & declarari hoc pacto. Sint duæ quælibet multitudines altera composita ex unitatibus albis, altera ex nigris; siantque per intellectum Dei, vel aliter omnes

omnino binarij possibile ex æternis earum unitatibus, ita, quòd nullus binarius sit, qui non constet ex vnâ albâ, & alterâ nigrâ. Certè multitudo binariorum resultans non potest non constare ex duabus multitudinibus unitatum alterâ albarum, & alterâ nigrarum mutuò sibi congruentibus, ac prorsus æqualibus, ut est manifestum. Vel ergo præter omnes omnino binarios factos aliquæ superfuerunt unitates aut albæ, aut nigræ; vel non? Si non superfuerunt, multitudines unitatum componentium binarios eadem omnino sunt, quæ principio propositæ, atque ita principio propositæ æquales prorsus erant. Si verò aliqua, vel aliquæ unitates aut albæ, aut nigræ superfuerunt, multitudo principio posita, cuius illæ erant, ipsismet excedebat alteram. Necessè ergo est, ut multitudines unitatum principio propositæ aut essent inter se æquales, aut inæquales. Quod erat ostendendum. Tantumdemque de quibus alijs propositis censendum est.

Propositio 15.

Partes cum pariter multiplicibus in eadem sunt ratione, si prout sibi mutuò respondent, ita sumantur.

Hæc est propositio 15. lib. 5. Elem. Euclid. quam ipse demonstrat ex præmissis. Ex ipsiq; terminis bene semel intellectis satis videtur nota. Sensus enim est, quanta æquè multiplicia tuarum partium aliquotarum eandem portionem habere, quam habent partes ipsæ inter se. Recognosce definitiones quantorum æquè multiplicium, & vniuscuiusque partis aliquotæ traditas quæst. 2. diuis. 21. Itaque si ex duobus quibusque quantis propositis primum toties contineat in se aliquam partem sui aliquotam A quoties secundum in se continet aliquam partem sui aliquotam B, dico, sicut inter se se habent partes A, & B, ita quantum primum, & secundum se habere inter se; atque adeò si partes A, & B sunt æquales, quantum primum, & secundum erunt æqualia; si verò partes A, & B sunt inæquales, secundum eandem inæqualitatis proportionem erunt pariter inæqualia quantum primum, & secundum. Quo satis pro omnibus manet expositus sensus propositionis. Demonstratio verò eius vniuersalis supponenda potius modò, quàm exhibenda est. Nam pro Geometris erit inutilis; cum possit apud Euclid. supra videri: pro cæteris autem erit inutilis; quia non intelligetur. Pro his tamen quasi ad oculum inde innotescet: quia idcirco duæ lineæ, quarum vnaquæque sit decem vlnarum, non possunt non æquales esse; quia prima toties in se continet vlnam; quoties secunda, & vlna vlnæ æqualis est. Et ideo linea decem vlnarum lineæ quinque vlnarum est dupla; quia prima toties continet integram vlnam, quoties secunda dimidiam continet, & integra vlna dupla est dimidiæ. Et ideo vniuersè duæ quæque multitudines totidem unitatum, aut totidem binariorum, aut totidem quaternariorum, &c. æquales sunt; quia prima toties continet unitatem, aut binarium, aut quaternarium partem sui aliquotam, quoties secunda continet unitatem, aut binarium, aut quaternarium partem itidem sui aliquotam, & unitates, aut binarij, aut quaternarij inter se sunt æquales. Idque siue multitudines prædictæ sint finitæ, siue infinitæ, Pro vtriusque enim

enim quantis æquè multiplicibus, finitis nimirum, & infinitis, facit aperte propositio statuta; sicut & præterea alia lib. 5. Euclid. Hoc enim ipso, quod quantorum etiam infinitorum est passio æqualitas, aut inæqualitas, nequeunt non esse, quoque passionis eorum proportio, & proportionalitas quoad æqualitatem, aut inæqualitatem; (de quibus agit Eucl. in toto ipso lib. 5.); prout apparebit ex dicendis.

114 Itaque ex datâ propositione vniuersaliter manet statutum, quotiescunque duo quanta extensa aut localiter, aut temporaliter, aut aliter, siue ea sint infinita, siue finita, æquè multiplicia sunt qualibet parte aliquota sui, non posse non illa eandem proportionem habere inter se, quam tales partes ipsorum aliquotæ inter se habuerint.

Propositio 16.

115 **Necessarium omnino est, vt duo quæuis quanta extensa eiusdem generis siue finita, siue infinita comparata inter se aut sint æqualia, aut inæqualia in ratione extensionum.**

Dico quanta extensa eiusdem generis ea, quibus, saltem cum sunt finita, conuenit, esse æqualia, vel inæqualia iuxta doctrinam statutam supra quæst. 2. diuis. 18. De quibus, etiam si sint infinita, demonstratur vniuersaliter propositio. Quia, acceptis ex duobus quantis extensis, siue extensionis propositis duabus partibus aliquotis inter se æqualibus, vt manifestè possunt accipi; vel talia quanta talibus suis partibus sunt æquè multiplicia; vel non. Si sunt; necessariò sunt inter se æqualia, cum partes ipse supponantur æquales, iuxta proposit. 15. Si non; necessariò sunt inæqualia. Quia illud, quod pluries, quam alterum, continet suam partem aliquotam, in ratione multitudinum talium partium aliquotarum excedet ipsum iuxta proposit. 14. Sublatoque excessu, manebunt æqualia etiam in ratione extensionum iuxta eandem proposit. 15. quia manebunt æquè multiplicia partibus suis æqualibus. Igitur, reddito eodem excessu, (qui extensio quædam est, cum sit aut vnitas, aut multitudo partium extensionis), etiam in ratione extensionum erunt talia quanta inæqualia. Duo ergo quæuis quanta extensa proposita siue finita, siue infinita non solum in ratione multitudinum quarumuis suarum partium aliquotarum; (prout debent iuxta proposit. 14.) sed etiam in ratione extensionum necessariò sunt æqualia, vel inæqualia. Quod erat demonstrandum.

Propositio 17.

116 **Necessarium omnino est, vt omnis multitudo siue finita, siue infinita vel sit par, vel impar.**

Quia necessarium omnino est, vt possit diuidi bifariam, vel non iuxta principium citatum proposit. 14. Et, si potest bifariam diuidi, par est. Sin minus, impar, iuxta definit. 6. & 7. numeri paris, & imparis traditas ab Euclid. lib. 7. Elem. Quæ eadem pro multitudine infinita pari, & impari faciunt.

117 **Et quidem quoad multitudines finitas, siue**

numeros propositio est indubitabilis. Ne autem quoad multitudines infinitas ab aliquo in dubium trahatur: quoad has præterea sic demonstratur. Ex quauis omnino multitudine infinita vnitatum fiant per intellectum diuinum, aut aliter omnia binaria possibilis. Vel præter omnia illa binaria superest vnitas, vel non. Si superest, integra multitudo erat impar; si non, erat par: quia, si superest, integra multitudo non erat bifariam diuisibilis, hoc est in duas partes æquales, defectu diuisibilitatis illius vnitatis, quæ superest: si vero non superest, diuisibilis bifariam erat. Cum sit manifestum, duas multitudines vnitatum, ex quibus multitudo binariorum composita est, æquales inter se esse, vt potest sibi mutuo congruentes congruentiâ multitudinum, iuxta proposit. 12. Et consequenter in eas, vt in duas partes æquales, bifariam esse diuisibilem ipsam multitudinem integram binariorum. Stet ergo, quamlibet multitudinem etiam infinitam necessariò esse aut parem, aut imparem, æquè, ac finitam. Quod erat demonstrandum.

Propositio 18.

118 **Quoties duo quanta siue finita, siue infinita quoad extensionem sunt æqualia, & quoad multitudinem partium vicissim, æqualium sunt æqualia. Atque etiam vice versa, si quoad multitudinem partium vicissim æqualium fuerint æqualia, & quoad extensionem erunt æqualia.**

Hæc propositio ex ipsis terminis est euidentis. Nam, quoties duo quæuis quanta extensionis æqualia sunt, manifestum est singulis partibus vnus totidem in altero ipsis æquales correspondere. Et vice versa, quoties singulis partibus vnus quanti extensionis totidem in altero correspondent ipsis æquales, manifestum est, ea duo quanta esse æqualia. Etenim, si duo quæque quanta extensionis æqualia sunt, quot palmos, aut cubitos, aut vlnas, aut leucas habuerit vnus, totidem habeat alterum necesse est. Et e conuerso, si quot habuerit palmos, aut cubitos, aut vlnas, aut leucas vnus quantum extensionis, totidem habuerit & alterum, quod sint illa inter se æqualia, necesse etiam est. Similiter, si duo quanta extensionis æqualia sunt, non possunt non duo dimidia vnus æqualia esse duobus dimidijs alterius; tum quatuor quartæ partes vnus quatuor quartis partibus alterius æquales necessariò erunt; & octo octauæ vnus pariter octo octauis alterius; & ita deinceps. Sicque omnes partes proportionales vnus omnibus partibus proportionalibus alterius singulæ singulis, prout sibi respondent, necessariò erunt æquales tam quoad multitudinem, quam quoad extensionem. Et vice versa, si omnes partes proportionales vnus quanti extensionis omnibus eiusdem proportionis alterius singulæ singulis tam quoad multitudinem, quam quoad extensionem æquales fuerint, & talia quanta æqualia erunt.

119 **Et quidem quoties duo quanta extensionis æqualia sunt, eandem proportionem habere, quoduis eorum ad omnes suas partes, quam habet alterum ad suas, compertissimum est. Igitur permutando iuxta proposit. 16. lib. 5. Elem. Euclid. quam proportionem habet vnus talium, quan-**

quantorum ad alterum, eandem habent omnes partes vnius ad omnes alterius partes. Sed vnum talium quantorum omnimodis est æquale alteri, vt ponimus. Igitur & omnes partes vnius omnimodis sunt æquales omnibus partibus alterius, scilicet & quoad multitudinem, & quoad extensionem earum, quæ mutuò sibi correspondent singulæ singulis. E conuersò pariter clarum est, quam proportionem habet ad suum totum quælibet partium multitudo, eandem ad suum habere alteram omnimodis æqualem priori. Igitur permutando iuxta eandem proposit. quam proportionem omnimodæ æqualitatis tales partium multitudines inter se habent, eandem omnimodæ æqualitatis habent inter se earum tota.

120 Ex hac propositione constat, quoties duo quæuis quanta extensionis æqualia sunt, omnes, & singulas partes vnius tam proportionales, quam aliquotas omnibus, & singulis partibus alterius, prout sibi respondent, tum quoad multitudinem, tum quoad magnitudinem æquales esse. Et vice versà, quoties partes omnes vnius quanti extensionis omnibus partibus alterius æquales modo dicto sunt, & quanta ipsa pariter esse æqualia.

121 De quantis verò multitudinis æqualibus dubium esse non potest, quin constent multitudinibus æqualitatis tum vnitatum, tum multitudinum minorum eiusdem proportionis. Quia id ipsum est, talia quanta esse æqualia, ex talibus multitudinibus æqualibus talium partium constare.

Propositio 19.

122 Quoties duo quanta siue finita, siue infinita quoad extensionem sunt inæqualia, & quoad multitudinem partium vicissim æqualium sunt inæqualia. Atque etiam vice versà, si quoad multitudinem partium vicissim æqualium fuerint inæqualia, & quoad extensionem erunt inæqualia.

Hæc propositio æque est euidentis, ac præcedens. Ex eaque demonstrari potest. Nam propositis duobus quantis extensionis inæqualibus, si mente à maiore præscindamus excessum, alteri manebit æquale. Multitudoque subinde omnium partium eius omnimodis manebit æqualis multitudini omnium partium alterius iuxta dicta proposit. præ. Si igitur tali multitudini partium partes contentas in dicto excessu iterum adijciamus, iam multitudo partium omnium quanti maioris maior erit multitudine omnium partium quanti minoris eiusdem proportionis. Quantaque proinde inæqualia quoad extensionem, & quoad multitudinem partium vicissim æqualium necessariò erunt inæqualia. Quod erat ostendendum. Pariterque venit demonstrandum è contra, quoties quanta extensionis quoad multitudinem partium vicissim æqualium sunt inæqualia, & quoad extensionem esse necessariò inæqualia.

123 Vnde constat, quoties duo quæuis quanta extensionis inæqualia sunt, omnes, & singulas partes tam proportionales, quam aliquotas quanti minoris totidem prout sibi correspondent æquales habere in quanto maiore; & insuper esse in hoc partes alias, quæ nullas habent correspon-

tes in quanto minore; atque ita tales integræ multitudines partium inæquales esse. Et vice versà, quoties omnes, & singulæ partes aliquotæ, & proportionales vnius quanti extensionis totidem prout sibi correspondent habent æquales in alto quanto; & insuper in hoc aliæ quædam partes superflunt; talesque proinde integræ partium multitudines inæquales sunt; & ipsa quanta ex eis composita inæqualia esse.

De quantis verò multitudinis inæqualibus non est dubitabile, quin constent multitudinibus inæqualibus vnitatum, aut etiam multitudinum minorum eiusdem proportionis. Quia id ipsum est, talia quanta inæqualia esse, ex talibus multitudinibus inæqualibus talium partium constare.

Propositio 20.

124 Aliqua sunt prædicata, quæ possunt conuenire aut omnibus, aut alicui, vel aliquibus partibus totius distributiue sumptis, quin conueniant toti. Et è conuersò aliqua, quæ possunt conuenire toti, quin conueniant aut omnibus, aut alicui, vel aliquibus partibus totius sumptis distributiue. Tum aliqua etiam sunt prædicata, quæ non possunt conuenire aut omnibus, aut alicui, vel aliquibus partibus totius acceptis distributiue, quin conueniant toti. Et aliqua, vice versà, quæ non possunt conuenire toti, quin conueniant aut omnibus, aut alicui, vel aliquibus partibus totius distributiue acceptis.

Sermo est in propositione de prædicatis tam negatiuis quam positiuis. Deque toto, & partibus tam infinitis, quam finitis. Demonstratur autem veluti à posteriori per manifesta exempla ex ipsis terminis notissima, & singulis eius casibus adaptanda. Primum enim, quando totum est essentialia, hoc est, compositum ex partibus diuersis inter se specificè, prædicata propria singularum partium non conueniunt toti; nec prædicata propria totius conueniunt vlli parti. Sic homo neque est spiritus, vt eius anima, nec pura potentia, vt eius materia. Anima autem, aut materia nec est resibilis, vt homo, nec sensitiua, &c. Siue autem totum sit essentialia, siue integrale, omnibus, & singulis partibus distributiue sumptis conuenit, esse componentes totum, & inclusas in eo, esse distinctas ab ipso, & ipso minores, quæ prædicata ipsi toti nequaquam conueniunt. E conuersò verò toti conuenit, esse maius singulis partibus, esse diuisibile in omnes illas, esse ab omnibus eis distinctum, & ipsas in se includens, quæ prædicata non conueniunt partibus ipsis. Quod si totum sit infinitum omnibus, & singulis partibus eius finitis in se distributiue sumptis conuenit, esse pertransibiles successiue, esse terminatas, esse mobiles circumquaque, &c. Cum tamen toti non ea, sed opposita prædicata conueniant, nempe, esse impertransibile successiue, esse interminatum, non esse mobile circumquaque, &c. Insuper omnibus, & singulis partibus æternæ durationis Beatorum, aut etiam temporis æterni à parte post sumptis distributiue conueniunt, esse transitorias, atque adeò aliquan-

do & præsentis, & præteritis fore de facto. Quod tamen toti dicitur durationi, & tempori convenire non potest. Similiter nulla est pars temporis æterni præteriti, quæ non incæperit suo modo aliquando; cum tamen totum ipsum tempus nunquam incæperit villo modo. Per quæ factis conspicua manet prior propositionis pars cum casibus suis.

126 Deinde verò pro secunda. Evidens ex ipsis terminis est, non posse existere omnes partes etiam distributiue sumptas in eodem tempore, quin in eodem existat totum; neque è conuersò posse existere totum in tempore aliquo, quin in eodem existant omnes, & singulæ partes eius. Tum ne vna quidem pars potest deficere, quin deficiat totum; totum verò neque potest deficere, quin aliqua saltem pars eius deficiat. Impossibile etiam est, quòd omnes partes etiam didistributiue acceptæ simul præsentis sint in eodem loco, quin in eodem sit præsens totum; nec totum potest alicubi præsens esse, quin sint omnes, & singulæ partes eius præsentis ibidem. Vt tamen totum ab aliquo loco sit absens, necessarium est, & sufficiens, quòd ab eodem absens sit aliqua eius pars; nec non totum ab esse ab eo loco, vnde aliqua saltem pars eius abest. Similiter, si omnes partes etiam distributiue sumptæ accipiunt quidpiam, necesse est, quòd illud ipsum accipiat totum; è contra verò bene potest totum quidpiam accipere ratione alicuius partis, quod non accipiant cæteræ. Quo iure impossibile est, vt omnes partes accipiant existentiam per sui effectiorem, atque adeò sint factæ, quin totum pariter per sui effectiorem accipiat existentiam, atque adeò sit factum; cum tamen totum bene possit existentiam accipere, factumque esse, quia illam accipiant, factæque sint omnes partes, vt in aggregato ex Deo, & creaturis cernere est. Per quæ itidem satis monstrata manet secunda pars propositionis cum casibus suis.

127 Porro quæcumque prædicata conueniunt toti, pariter omnibus eius partibus collectiue sumptis conueniunt: quia totum aliud non est ab aggregato omnium partium collectiue sumptarum iuxta proposit. 1. Ex quo patet, omnia prædicata, quæ conueniunt omnibus partibus distributiue sumptis, & non toti, omnibus partibus distributiue sumptis conuenire, quin eis conueniant sumptis collectiue. Quòd autem totum, & partes distributiue acceptæ in ordine ad suscipienda prædicata tam variè se gerant, ex distinctione reali, qua totum à singulis partibus tanquam includens ab inclusis distinguitur, ex varietateque naturæ ipsorum prædicatorum enascitur.

128 Sed rogabit aliquis, quibus nam regulis est discernendum, quando prædicatum conueniens partibus distributiue sumptis necessario conuenit toti; aut vice versà; & quando non item. Respondeo, has regulas generales solum posse præscribi. Quoties hoc, quòd est, prædicatum, aliquod conuenire partibus distributiue sumptis connexum est cum hoc, quòd est, idem prædicatum conuenire toti; vel è conuersò: toties necessarium est, vt tale prædicatum conueniat toti ex hypothesi, quòd conuenit partibus distributiue sumptis; vel è conuersò. Quoties verò conuenientia prædicati prima secunda conuenientia opposita est, toties est necessarium, vt prædicatum non conueniat toti ex hypothesi, quòd conuenit partibus distributiue sumptis; vel vice ver-

129. Quoties denique eiusmodi prædicati conuenientia nec inter se connexa, nec inter se opposita sunt, toties ex hypothesi, quòd prædicatum partibus distributiue sumptis conueniat, contingens erit, quòd conueniat, aut quòd non conueniat toti; vel è contrario. Quando autem inter eiusmodi prædicati conuenientias adsit aut connexio, aut oppositio, aut earum neutra, ex ipsis terminis bene apprehensis dijudicandum est, aut per discursum colligendum aliunde. Sicut alia veritates scibiles dijudicari à nobis solent, aut colligi.

129 Obseruandum tamen est, bifariam posse aliquod prædicatum conuenire omnibus partibus distributiue sumptis, quin conueniat toti; vel vice versà. Primò absolute. Secundò ex aliqua suppositione. Absolute enim conuenit omnibus partibus distributiue sumptis componere totum, ab eo distingui, in ipso includi &c. quæ non conueniunt ipsi toti. Ex suppositione verò, quòd aliqui maneant extra, dum alij includuntur, omnibus hominibus distributiue acceptis conuenit posse in hoc cubiculo includi, quod tamen omnium collectioni non conuenit: quia eam totam hoc cubiculum capere nequit. Hoc autem secundo modo conuenit omnibus durationibus futuris Beatorum distributiue sumptis posse esse præteritas, de factoque præteritas fore, ex suppositione scilicet, quòd, dum vnaquæque est præterita, infinita alia semper supersint futura. Ob idque stat bene, totam collectionem earum nec posse esse, nec de facto fore præteritam. Qualis esse posset, & foret, si omnes eius partes adhuc distributiue sumptæ absolute, & independentè adiecta suppositione possent esse, de factoque futura essent præterita. Simili modo, ideo quantum infinite extensum localiter quatenus tale moueri nequit, tametsi omnes eius partes distributiue sumptæ moueri possint; quia non absolute moueri omnes possunt, sed ex suppositione, quòd, dum vnaquæque, aut quæuis earum portio finita mouetur, infinita alia maneant immota. Cæteròquin, si omnes adhuc distributiue sumptæ absolute moueri possent citra dictam suppositionem, & integra earum collectio, atque ita infinitum dictum quæ tale moueri posset. Repugnat quippe omnes partes adhuc distributiue sumptas absolute, atque adeò simul moueri, quin earum collectio, atque adeò totum moueatur. Pariterque de similibus philosophandum est.

Propositio 21.

130 Numeri integri supra vnitatem per aliam, & aliam, & aliam additionem (quæ physica semper esse potest) ascendunt; aliquamque vt sic progressionem componunt à latere ascensus infinitam. Numeri verò fracti, siue minutia infra vnitates per aliam, & aliam, & aliam ipsarum diuisionem, (quæ plerumque solum mathematica potest esse) descendunt; aliquamque vt sic progressionem proportionalem componunt potentem sine fine descendere.

Hæc propositio ex ipsis terminis bene intellectis notissima est. Quare per eorum explicationem est demonstranda. Supposito igitur ex dictis

his quæst. 2. diuis. 12. sine, quod numeri integri dicuntur, qui ex integris vnitatibus componuntur, vt binarius, ternarius, quaternarius, quaternarius, & ceteri similes: numeri verò fracti, qui resultant ex diuisionibus vnitatum, vt dimidium, vel tertia, vel quarta pars vnitatis; quinta, vel sexta, vel septima pars binarij; octaua, vel nona, vel vigesima pars ternarij, aut quaternarij, aut quinarij; & alij huiusmodi. Quod asserimus est, si sermo sit de numeris integris, ex quouis eorum accepto per quamlibet additionem proportionalem ascendi posse in infinitum; quia nullus vnquam erit excogitabilis numerus in eâ progressionem ascendente, quo non sit possibilis maior alius in proportione assumptâ. V. g. si in proportione arithmetica, (quam naturalem dicunt) addente semper vnitatem ab vnitate ascendamus hoc pacto 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. &c. progressionem conficiemus in infinitum, extendibilem, quæ proinde in suâ possibilitate, seu quidditate à latere, versus quod ascenditur, infinita est, omnesque numeros posibles in se continet: tamen à latere, versus quod descenditur sit finita, vt ex se satis, superque est notum. Si verò in proportione geometricâ subdupla duplicante semper numerum præcedentem à ternario ascendamus ita, 3. 6. 12. 24. 48. 96. 192. &c. progressionem conficiemus in infinitum extendibilem, quæ proinde in suâ possibilitate, seu quidditate infinita pariter est à latere, versus quod ascenditur, & finita ab altero latere, versus quod descenditur; non tamen continet in se omnes posibles numeros; sed aliquos, vt etiam ex se est notum. Et in cæteris pariter. Afferimus item additionem, per quam ascendit quouis eiusmodi progressionum proportionalium, semper posse esse physicam, hoc est adiungentem materiam distinctam physicè à residuo, cum quo componitur quilibet numerus: quia conceptus obiectivi tam impossibiles, quàm posibles physicè, siue re ipsâ distincti inter se, & per quamlibet huiusmodi numerorum infinitam multitudinem numerabiles non minus infiniti sunt quoad suam multitudinem, quàm est infinita multitudo vnitatum, ex quibus coalescunt ipsi numeri, vt ex dicendis disput. 13. cum sit sermo de infinito, constabit.

131

Præterea asserimus, si sermo sit de numeris fractis, cum illi ex fractione, seu diuisione vnitatum integrarum resultent, eoque subinde minores euadant, quod pluries ipsæ vnitates diuiduntur, à primo quolibet eorum ex qualibet primâ fractione, seu diuisione huiusmodi resultante, proportionaliter, alijs, & alijs semper diuisionibus factis, descendere posse in infinitum. V. g. per diuisiones vnitatis in proportione duplâ geometricâ procedetur diuidendo illam primò in duas partes; secundò in quatuor; tertio in octo; & ita deinceps. In proportione autem arithmetica naturali procedetur diuidendo illam primò in duas partes; secundò in tres; tertio in quatuor; pariterque deinceps. Et in cæteris consimiliter. Eiusmodi autem progressionem numerorum fractionum absque vilo fine, siue termino extendi posse à latere, versus quod descenditur, compertum est: quia factâ quouis eiusmodi diuisione totius in quaslibet partes, aliz in minuitiores, & aliz in minuitiores, & ita deinceps absque vilo fine, siue termino fieri possunt, vt constat. Addimus tamen, has diuisiones plerunque solum mathematicas esse, non physicas: quia plerunque in partes non physicè, sed per rationem tantum nostram distin-

ctas sunt per ipsam eandem nostram rationem. Eo quod vnitates, quæ diuiduntur, quoad suam materiam aut sunt indiuisibiles physicè, vt cum agitur de numeris Angelorum, vel quorumuis aliorum entium physicè indiuisibilibus; de numeris graduum perfectionis metaphysicæ cuiusuis rei; vel de numeris formalitatum eius, &c. aut, licet sint quoad materiam diuisibiles physicè, sed non in infinitum. Nullum quippe eas posse, esse in infinitum diuisibile physicè quæst. 4. probabimus non parum efficaciter.

Ex dictis inferitur, progressionem proportionales numerorum integrorum à latere, versus quod ascenditur, non quidem syncategorematicè solum, sed categorematicè esse infinitas in suâ quidditate: quia multitudo rerum per quamuis earum numerabilium pariter in suâ quidditate, infinita est. At progressionem proportionales numerorum fractionum à latere, versus quod descenditur syncategorematicè dumtaxat esse infinitas, quatenus, quouis fractione datâ, alia minor dari potest per nostram rationem, aliaque, & alia semper minor absque vilo termino. Cum tamen re ipsâ nulla sit fractio adhuc in statu quidditativo; eo quod indiuisibilis est re ipsâ materia numerabilis: aut non sint fractiones infinitæ; eo quod materia numerabilis frangibilis in infinitum, seu diuisibilis non est. De quo plura venient dicenda quæst. 4.

Propositio 22.

Quotiescunque quoduis non quantum, siue indiuisibile indiuisim correspondet cuilibet quanto quouis correspondentie genere, ita, vt totum toti, & totum singulis eius partibus respondeat, non potest non per sui totius replicationem, siue repetitionem talem correspondentiam habere.

Propositio est certissima. Eamque in materia specialiori demonstraui supra disput. 5. quæst. 6. proposit. 23. agens de re indiuisibili, siue non quanta spatio locali diuisibili correspondente. Compertum est enim, rem indiuisibilem integro spatio diuisibili correspondere non posse, nisi omnibus partibus eius (à quarum aggregato nihilo difert iuxta proposit. 1.) correspondendo, & omnibus partibus spatij correspondere nequit, nisi per se totam singulis correspondeat; quandoquidem nullas ea partes habet, quæ in partibus spatij diuersis possint distribui. Rem autem indiuisibilem correspondere per se totam singulis partibus spatij, hoc ipsum est eam totam in singulis illis replicari, seu repeti, atque adeo non aliter quàm per sui totius replicationem, siue repetitionem talem correspondentiam habere. Id quod æquè verum est, atque euidentius vniuersè, de quouis non quanto prout cuilibet quanto ita indiuisim correspondente quouis correspondentie genere, vt & toti, & singulis partibus eius correspondeat, prout nostra propositio fert.

Ex qua subinde manifestè consequitur primò, animam nostram rationalem, vt pote indiuisibilem, non aliter, quàm per sui totius replicationem, siue repetitionem corpori nostro, & singulis partibus eius vnitam esse, in eodemque eum illis loco, atque etiam in eodem tempore penetratam. Secundò, tantumdem dicendum esse de personâ Verbi diuini, vt pote indiuisibili, quæ

quatenus unita cum corpore Christi Domini, & singulis partibus eius, cum eisdemque in eodem loco, & in eodem tempore penetrata. Tertiò, quoties quoduis quantum intentionis aut subiectiua, aut localis, aut temporalis, aut alterius rationis cum omnibus suis partibus inest aut in subiecto, aut in loco, aut in tempore, aut in alio gradu cuiusvis seriei indiuisibili, ita, quòd tale indiuisibile aut subiecti, aut loci, aut temporis, aut alijs gradus per se immediatè correspondeat omnibus, & singulis partibus talis quanti, non posse non correspondentiam eiusmodi per talis indiuisibilis replicationem, siue repetitionem ad tales partes singulas fieri. Quarto, quoties aliqua indiuisibilis actio, aut aliquis indiuisibilis effectus ab aliquo diuisibili agente, & omnibus partibus eius nascitur indiuisim, & immediatè, correspondentiam talis actionis ad tales partes per ipsas pariter replicationem, siue repetitionem haberi. Pariterque de cæteris similibus casibus philosophandum est. Ex quibus etiam sequitur tandem inferendum, quoties vnum quantum indiuisim alteri quanto correspondet, totum scilicet toti, & totum singulis eius partibus, tunc illud per sui totius replicationem talem correspondentiam habere. Quo pacto corpus Christi Domini in Eucharistia speciebus sacramentalibus correspondet, atque etiam spatio extenso locali, in quo existunt illæ. Et vniuersè omne quantum permanentis spatio diuisibili temporali, in quo permanent, siue durat.

Propositio 23.

135 Impossibile est, vt aliquod indiuisibile, siue non quantum omnibus, & singulis partibus alicuius quanti correspondeat quouis correspondentia genere per sui totius replicationem, siue repetitionem iuxta dicta proposit. 22. nisi tale quantum sit compositum ex solis indiuisibilibus; non verò aut ex solis partibus sine fine diuisibilibus, aut ex vtrisque.

Hæc propositio etiam est mihi certa. Eamque in materia speciali demonstravi supra disput. 5. quæst. 6. proposit. 26. agens de re indiuisibili, siue non quantà prout spatio locali diuisibili correspondente, apertè ostendens, talem rem per sui repetitionem nullatenus posse integro tali spatio correspondere, siue illud integrè replere, nisi illud compositum sit ex solis indiuisibilibus. Recognoscantur argumenta ibi facta, & applicentur ad propositum. Per illa enim citra dubium pariter demonstrandum venit in vniuersum, nullam rem indiuisibilem posse alteri diuisibili integrè, & adæquatè correspondere per sui totius repetitionem quouis correspondentia genere, nisi talis res diuisibilis ex solis indiuisibilibus composita sit.

136 In hæc enim, si anima rationalis v. g. semel tantum, siue absque vllà sui repetitione vni subiectum integrè vniatur, non potest non tale subiectum indiuisibile esse; nam alioquin res indiuisibilis rei diuisibili integrè corresponderet correspondentia vniouis absque vllà sui replicatione contra proposit. 22. Ergo, si plures pluribus subiectis integrè vniatur, non possunt non singula talia subiecta esse indiuisibilia; quia nec potest

variari, nec potest non manere eadem vniò, qua unita est integrè anima vnicuique talium subiectorum seorsim, ex eo, quòd anima ipsa insuper alijs subiectis unita sit, vt est manifestum. Neque enim vniò, qua anima mea meo corpori unita est variaretur, aut vllò modo essentiam mutaret ex eo, quòd Deus insuper illam nunc per aliam vniònem alij corpori, aut per alias alijs vnioret. Sed esse animam omnibus, & singulis partibus corporis integrè unitam per totidem sui repetitiones, aliud non est, quàm esse eam unitam integrè pluribus, atque adeò totidem subiectis, vt est notissimum. Ergo, quàm certum est, animam omnibus, & singulis partibus corporis integrè esse per totidem sui repetitiones unitam, tam certum est omnes, & singulas eiusmodi corporis partes indiuisibiles esse; atque adeò integrum corpus ex solis indiuisibilibus esse compositum. Hoc autem, quod de animà prout correspondente, integrè corpori correspondentia vniouis e. g. dictum est, similiter venit vniuersè dicendum de qualibet re indiuisibili prout integrè correspondente cuius rei diuisibili quolibet alio genere correspondentia.

Et quidem rem indiuisibilem citra omnem sui replicationem siue repetitionem dumtaxat inadæquatè posse correspondere rei diuisibili, apud omnes est in confesso tanquam quid manifestum. Cum ergo correspondentia inadæquata ad totum absque adæquata ad eius partem stare non possit, vt supra proposit. 6. monstratum est; planè conficitur; illud, cui res indiuisibilis correspondet adæquatè, dum in adæquatè correspondet citra omnem sui repetitionem rei diuisibili necessariò esse indiuisibile; atque adeò necessariò esse quoque indiuisibiles omnes partes rei diuisibilis, quibus singulis per totidem sui repetitiones adæquatè correspondet res indiuisibilis, dum adæquatè correspondet integræ ipsi rei diuisibili. Vnde consequenter concluditur, impossibile esse, quòd res indiuisibilis omnibus, & singulis partibus rei diuisibilis per totidem sui repetitiones correspondeat adæquatè, prout opus est, vt correspondeat adæquatè toti ipsi rei diuisibili, nisi omnes partes eiusmodi indiuisibiles sint; ipsaque res diuisibilis proinde ex solis indiuisibilibus sit composita, vt fert nostra propositio.

Atque hæc in præsentia quæst. satis sint dicta. Aliæ enim plures propositiones haud dubie evidentes, quæ in illa sedem habere possent, tum in sequentibus huius disputationis, tum maxime disput. 13. oportunè ponentur.

QUESTIO IV.

Verum quantum continuum ex solis partibus semper, & in infinitum diuisibilibus; an ex solis indiuisibilibus; an ex vtrisque componatur; aut possit componi. Et quo pacto.

138 **Q**uestio hæc per antiqua est, & satis celebris, eiusque materia, si qua est in Philosophia, difficillima, & quæ vsque adhuc vehementer torset, indiesque torquet Philosophorum ingenia. Vix enim, aut ne vix quidem potest circa illam quidpiam resolui, quod multis non sit plenum difficultatibus. Curabo complanare, quas

quas potero: certioraque à minùs certis fecerendo in eam partem tandem propendeam, quæ mihi minùs difficilis visa fuerit. Agam autem de omni quanto continuo tam successiuo, quàm permanente; & tam intenso, quam extenso iuxta diuisiones traditas quæst. 2.

139 Prima igitur in præsentia quæst. sententia fuit eorum Philosophorum, qui cuncta componebant ex atomis: hi enim consequenter dicebant, quoduis quantum continuum ex solis indiuisibilibus compositum esse. Hanc sententiam tenuerunt citra dubium Leucippus, Democritus, & Epicurus, totaque deinceps Epicureorum schola, et videre est apud Laertium lib. 9. & 10. Eandem attribuit Arist. lib. 3. de Cælo cap. 1. suo magistro Platoni in Timæo, ubi docet Plato corpora ex superficibus triangularibus componi: & eiusdem rationis est, inquit Arist. loco citato, solida ex superficibus componi, superficies autem ex lineis, hæc verò ex punctis. Pro eadem sententia Conimb. lib. 6. Physic. cap. 2. quæst. 2. & alij post ipsos communiter referunt Pythagoram, & Zenonem Stoicorum Principem; & Petrus Gassendus nouissimè tom. 1. de Philosophiâ Epicuri pag. 186. præter Pythagoram, & Platonem refert Heraclitum, Ephantum, Diodorum, Asclepiadem, & Empedoclem. Eamque Lucretius lib. 1. fusè comprobatur, & defendit. Itaque, si his Auctoribus credendum est, præter antiquiorem Pythagoram, & eius scholam, ex quatuor scholis, quæ olim Athenis fuerunt, Academia Platonis, Lyceum Aristotelis, Stoa Zenonis, & Viridarium Epicuri, Scholæ Academicorum, Stoicorum, & Epicureorum cum suis Patronis quantum continuum ex solis indiuisibilibus composuerunt. Tamen si Libertus Fromondus Doctor Louaniensis in suo Labyrintho de compositione continui cap. 1. & seqq. multis contendat, solos Epicureos cum suo Epicuro pro sententia istâ stetitisse; non verò item Pythagoricos, Academicos, & Stoicos; atque adeò neque Pythagoram, neque Platonem, neque Zenonem. Sequuti sunt tamen nihilominus alij non pauci. Et ex modernioribus Gerardus apud Tartaret lib. 6. Phys. quæst. 1. Franciscus Patricius lib. 2. de rerum naturâ cap. 1. Sebastianus Bassone in tract. contra Arist. Intentione 6. lib. de motu. Hac autem nostrâ ætate præter Gassendum citatum, pag. 410. & seqq. eam tenuerunt, & tenent Tellez disp. 35. Physic. sect. 1. Cornelius de S. Patricio tract. de continuo sect. 2. Alijque docti Recentiores. Defendunt item Arriag. in Physicâ disput. 16. Oued. controu. 17. Franciscus Alphonsus disput. 25. & alij. Eamque se tradidisse in suâ Philosophiâ testatur Herize 1. par. tract. 4. disput. 43. cap. 2. & Tolet. lib. 6. Physic. text. 23. quæst. 1. testatur, eandem ab aliquibus Auctoribus sui temporis propugnari. Eandemque nouissimè censet probabilem, & in Scholis Catholicis communiter defendi testatur Ioan. Marr. Ripalda tom. 3. de Ente Supern. disp. 1. sect. 5. num. 40.

140 Quamquam autem prædicti Auctores communiter aut exprimant, aut planè supponant, indiuisibilia componentia quantum continuum finitum, de quo in præsentia sermo est, actu esse finita, certoque numero comprehensa. Non defuerunt tamen aliqui, qui ea posuerint actu infinita, vt Maior in. 2. dist. 2. quæst. 1. & quidam Recentiores. Quorum nonnulli ita censent

continuum ex solis indiuisibilibus infinitis esse compositum, vt extrema eorum dumtaxat in loco sint per præsentiam propriam, cætera verò per continentiam tantum inter illa; quæ proinde nullum determinatum ordinem habent in ipso continuo, potentiæque in eo esse censentur, non actu, sicut sunt extrema, quæ propriam habent præsentiam. Quo pacto putant hi Recentiores, se continui difficultates euadere.

Fuit etiam quorundam Recentiorum opinio, quos referunt, refelluntque Petr. Hurt. disput. 15. Physic. sect. 5. subsect. 4. Arriag. disput. 16. Physic. sect. 9. & Lynce lib. 3. Physic. tract. 6. per totum, asserentium, continuum ita ex indiuisibilibus finitis componi, vt quoduis indiuisibile spatium extensum occupet ad instar Angeli per præsentiam indiuisibilem quidem formaliter, sed diuisibilem; extensamque virtualiter, quatenus alia maius, & alia minus spatium potest replere. Quam opinionem nonnulli de punctis inflatis appellitant. Sunt autem Auctores eius diuisi. Nam quidam putant, spatium ipsum extensum per quoduis indiuisibile continuum occupatum ex punctis finitis constare, pluribus, aut paucioribus iuxta amplitudinem maiorem, aut minorem præsentia prædicti indiuisibilis, atque ita illud finitè diuisibile esse. Alij verò censent, tale spatium esse infinitum diuisibile.

141 Secunda verò, & communior sententia est, quantum continuum ex partibus semper, & in infinitum diuisibilibus constare. Eam tradidit, & latè probauit Arist. lib. 6. Physic. fere per totum, & lib. 8. cap. 8. & lib. de lineis infectilibus per totum, & lib. 3. de Cælo cap. 1. & lib. Prædicam. cap. 6. de Quantitate, & alibi. Quam omnes Peripatetici post ipsum communiter sequuti sunt, adeò, vt superuacaneum fuerit aliquos speciatim referre. Eandemque semper tenuerunt Mathematici omnes, vt potè quorum Geometria absque diuisibilitate quantitatis in infinitum constare nullo pacto potest. Quæ tamen omnium humanarum scientiarum euidentissima est. Ex nostris Scholasticis pro eadem sententiâ steterunt omnes Thomistæ communiter cum S. Thoma, Scotistæ cum Scotò, Nominales cum Ocham, excepto Maiore, qui continuum, vt diximus, ex punctis infinitis composuit. Ab eadem sententiâ stare videntur ex SS. PP. August. Basil. Nazianz. Chrysost. & alij, vt postea videbimus. Scantque omnes Recentiores præter relatos pro primâ sententiâ.

142 Vtrum autem quantum continuum ex solis partibus in infinitum diuisibilibus, an insuper ex indiuisibilibus copulantibus, ac terminantibus partes ipsas coalescat, nonnulli Aristotelici in dubium verterunt; cum tamen ipse Arist. his citatis sæpe exprimat, & semper supponat, quantum continuum ex partibus semper diuisibilibus, & ex indiuisibilibus partes ipsas copulantibus, & terminantibus constare. Lineam videlicet ex partibus sine fine quoad longitudinem diuisibilibus, & ex punctis eas vniuentibus, & terminantibus vndequeque indiuisibilibus. Superficiem ex partibus semper diuisibilibus quoad latitudinem, & ex lineisque quoad latitudinem indiuisibilibus. Et solidum ex partibus in infinitum diuisibilibus quoad profunditatem, ex superficibusque quoad profunditatem indiuisibilibus. Tempus autem ex partibus semper diuisibilibus, & x instantibus indiuisibilibus eiusmodi partes copulantibus, &c. Id quod plerique etiam Arist.

Stolici commemorati passim docent. Geometria autem vniuersa circa quantum continuum ex partibus, & indiuisibilibus modo dicto compositum, vt circa obiectum proprium versatur; in eoque ita composito fundat omnes suas demonstrationes, vt nemo vnquam, qui vel leuiter eam scientiam nouerit, dubitauit; ne ipsi quidem, qui continuo in infinitum diuisibili indiuisibilia partium continuatiua, aut etiam terminatiua negant, censentes, partes ipsas per se immediatè copulatas; & terminatas esse. Hi enim etiam fatentur, Geometriam sine indiuisibilibus prædictis stare non posse, sufficere tamen ipsi indiuisibilia negatiua, seu imaginaria, imaginata vt tanquam ipsarum partium confinia, vel termini cum fundamento in re. Hæc enim, inquirunt, perinde sunt ad demonstrationes geometricas, ac physica, & positiua, quam ipsi negant; tum quia superflua censent ad compositionem continui; tum quia per illa negata censent leniri aliquas difficultates earum, quas continuum Aristotelicum secum fert. Sicque opinatur Libertus Fromondus in suo labyrintho citato cap. 32. & seqq. referens alios quosdam pro hac opinione. Pro qua communiter citantur Nominales Ocham, Gregorius, Gabriel, necnon Durand. & alij, vt videre est apud Comimb. in lib. 6. Physic. cap. 2. apud Tolet. Rub. Petr. Hurt. & alios ibid. & apud Soar. disput. 40. Metaph. sect. 5. Tenent etiam sententiam istam Dandinus lib. 3. de Anima eomm. 3. digres. 20. Vallef. Controu. 33. Phys. Albertin. tom. 2. disput. 3. de Quantit. quæst. 7. Auerfa tom. 2. Physic. quæst. 22. sect. 4. cum alijs. Pro communi verò sententiâ adstruente in quanto continuo vnâ cum partibus in infinitum diuisibilibus realia, & positiua indiuisibilia stant reliqui Aristotelici, vt S. Th. & Scot. cum suis, & alij; quorum plures referunt & sequuntur Comimb. Tolet. Rub. Soar. & Hurt. locis citatis. Cabero Tract. 6. Phys. disp. 1. dub. 4. & alij. Adhuc tamen inter has duas extremas opiniones alteram absolutè negantem, alteram adstruentem realia, & positiua indiuisibilia tum continuatiua, tum terminatiua in continuo alia quadam sunt mediæ. Prima, quæ, negatis continuatiuis, terminatiua adstruit. Secunda, cuius Auctor est Fonsc. lib. 5. Metaph. cap. 16. quæst. 6. quæ vnâ dumtaxat admittit in vno quoque corpore superficiem illud totum terminans, & quasi obvoluens. Tertia, quam nouissimè inducit Lynce lib. 3. Physic. tract. 4. negans in continuo indiuisibilia ad munus continuandi, & terminandi partes ipsius; admittens tamen nihilominus illa ad munus componendi simul cum cæteris partibus in infinitum diuisibilibus ipsum continuum. An autem supra dicta realia indiuisibilia sint modi se ipsis continuantia, & terminantia partes quantitatis, an vero res, adhuc est sub lite; quibusdam affirmantibus, & alijs negantibus, vt videri potest apud Pet. Hurt. disput. 15. Physic. sect. 3. & Arriag. disput. 16. sect. 5.

144 Aliud præterea restat dubium, stando in sententiâ Arist. An scilicet ita continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus, & ex indiuisibilibus modo dicto consuetur, vt tum indiuisibilia, tum partes sint in eo actu infinita; an vero tantum in potentiâ. Esse enim tantum in potentiâ, tum alibi tum maxime lib. 8. Physic. cap. 8. text. 68. exprimit ipse Arist. Qui, vt solueret argumentum Zenonis probantem, esse impossibile motum, si continuum in infinitum est diuisibile;

eo quòd impossibile sit successiue pertransire, pertransiendoque finire infinitas partes, dicit, *In continuo autem insunt quidem dimidia infinita, sed non actu, sed potentiâ sunt: vt patet. & statim. Quare ad interrogantem, si fieri potest, vt in tempore, aut in longitudine pertranscat quispiam infinita; partim posse, partim fieri non posse dicamus, oportet. Si enim infinita sint actu, fieri nequit; sin verò potentiâ, fieri potest.* Ita ille. Similiaque dixerat paulò ante in eodem cap. de indiuisibilibus continui. Quo circa S. Th. Auerroes, Philoponus, Simplicius, & alij antiquiores interpretes Aristotelis sæpe, absolutèque pronunciant, partes semper diuisibiles, indiuisibiliaque continui dumtaxat esse infinita, non actu: quod est Syncategorematicè tantum, non verò categorematicè infinita esse. Id quod etiam tuentur aliqui ex recentioribus Philosophis. Cum tamen cæteri plerique paulò ante commemorati pro sententiâ Aristotelis vnanimiter censent, non posse non partes proportionales, & indiuisibilia continui esse actu infinita, supposito, quod continuum in semper diuisibilia citra finem reipsâ diuisibile sit.

Porro ex ijs, qui negant, stando in sententiâ dictâ Aristotelis, partes proportionales, & indiuisibilia continui esse actu infinita, nonnulli opinantur, continuum homogeneum nullas habere partes actu inter se distinctas, sed potentiâ tantum; esse enim illud vnum quoddam ens simplex, tametsi diuisibile in plura similia minora, & minora sine fine; quæ, sicut per diuisionem ratione nouarum terminationum, atque adeò & nouarum indiuiduationum, quas subeunt, euadunt plura, cum antea essent vnum, ita & euadunt distincta, cum antea essent idem. Sic tenet, & late probat, defenditque Albertin. tom. 2. disput. 3. de quantit. quæst. 6. referens pro sententiâ istâ Themist. simpl. Auerr. S. Th. Agid. Burl. Capreol. & alios. Eidemque sententiæ consentiunt Fasol. 1. par. quæst. 7. art. 1. num. 37. Tann. 1. par. disput. 2. quæst. 4. d. 2. Gabr. Beati in Physic. cap. 10. & alij. Alij verò censent, continuum etiam homogeneum ex pluribus partibus actu inter se distinctis, ac numero fin itis constare, quæ tamen diuisibiles sunt in alia, & alias minores in infinitum potentiâ tantum, & non actu existentes; quatenus videlicet ita sunt illæ virtualiter quantæ, vt alijs, virtualiter similibus quantis minoribus, & minoribus in infinitum æquivalentes sint. Ita Syluester Maurus in sua Philosophiâ tom. 2. quæst. 40. referens pro hac sententiâ Themist. Simpl. Arist. S. Th. Scot. & alios. Itaque, quemadmodum iuxta sententiam relata num. 141. præsentia locales formaliter indiuisibiles, & inextensa ita sunt extensa virtualiter, vt possint replere spatium extensum; intra istudque genus virtualis extensionis alia, & alia minores, & minores in infinitum sunt possibiles; ita iuxta sententiam istam partes continui actu inter se distinctæ, alias in se formaliter indiuisibiles, & non quantæ, ita sunt quantæ virtualiter, vt vnaquæque pluribus alijs æquiualeat, & intra earum genus alia, & alia minores, & minores in infinitum sint possibiles: quo iure, quæ existunt actu, in alias, & alias minores, non actu, sed tantum in potentiâ existentes dicuntur diuisibiles sine fine.

Denique tertia sententiâ media inter Aristotelicam, & Platoniam, seu Zenonistam, seu Epicuream quorundam Recentiorum est, qui

continuum permanens ve lineam, superficiem, & corpus ex partibus in infinitum diuisibilibus cum Arist. componunt. Continuum vero successuum, vt tempus, & motus ex puris indiuisibilibus, ijsque finitis cum Epicuro, aut etiam cum Zenone, & Platone.

Propositio I.

147 Quantum continuum mathematicum, quod est obiectum Geometriæ, ex partibus sine fine diuisibilibus, atque etiam ex indiuisibilibus constat. Partes tamen, atque indiuisibilia eius non actu, & categorematice, sed potentia, & syncategorematicè dumtaxat sunt infinita.

Tres partes habet hæc propositio, Prima est. Quantum continuum, quod est obiectum Geometriæ, ex partibus in infinitum diuisibilibus constare. Secunda est. Etiam constare ex indiuisibilibus copulantibus, & terminantibus eiusmodi partes. Nimirum linea ex partibus quoad longitudinem sine fine diuisibilibus, & ex punctis omnino indiuisibilibus constat. Superficies ex partibus quoad latitudinem sine fine diuisibilibus, & ex lineis quoad latitudinem indiuisibilibus. Et solidum ex partibus quoad profunditatem sine fine diuisibilibus, & ex superficiebus quoad profunditatem indiuisibilibus. Ex quo patet, solidum ex triplici genere partium, ex triplicique genere indiuisibilium constare penes trinam dimensionem, quam habet. Tertia est. Huiusmodi tam partes, quam indiuisibilia quanti geometrici non esse actu, & categorematice infinita, sed potentia, & syncategorematicè tantummodo. Quæ omnia argumentis geometricis sunt demonstranda. Quo obiter demonstratum etiam manebit contra quosdam ex sententijs relatis, quantum geometricum neque ex solis partibus sine fine diuisibilibus, neque ex solis punctis finitis, neque ex solis punctis infinitis constare posse.


148 Et primum. Quod quantum, circa quod tanquam circa proprium obiectum, Geometriæ versatur, non ex solis partibus sine fine diuisibilibus constat, sed insuper ex triplici genere commemoratorum indiuisibilium, notius est cunctis, qui vel leuissimam eius scientiæ notitiam habent, quam, vt indigeat probatione. Tota quippe ferme Geometria in speculando puncta, lineas, & superficies, & quæ ex hisce componuntur, distenta est. Atque ita à definitionibus puncti, lineæ, & superficies sumit exordium. Indeque procedit ad definiendum angulum planum, qui ex duplici lineâ componitur: postmodum ad definiendas omnes figuras planas, quæ ex lineis terminantibus sunt, vt circulares, trilateras, quadrilateras, multilateras; in quarum deinceps proprietatibus indagandis tota Geometria plana occupatur, vt videre est apud Euclid. a lib. 1. Elem. vsque ad 10. inclusiuè. Ab 11. namque iam incipit Geometria solida, cuius munus est perfectuari figuras solidas ex superficiebus terminantibus resultantibus. Itaque absque prædicto triplici genere indiuisibilium obiectum Geometriæ constare nullo pacto posse, omnino indubitabile est. Quo secunda pars nostræ propositionis omnino firma, & certa manet. Subindeque prima, & tertia tantum supersunt nobis demonstranda. Erunt autem aliqua argumenta, quæ vtramque de-

monstrent, & aliqua quæ alteram tantum.

Igitur primum argumentum pro prima parte huiusmodi est. Intra latitudinem obiecti Geometriæ dantur magnitudines, seu quantitates incommensurabiles, quibus nulla possibilis est mensura communis. Igitur quantum geometricum non componitur ex solis punctis sine finitis, sine infinitis. Consequentia est euidens. Quia, si omnis quantitas geometrica ex solis punctis componeretur, nulla esset incommensurabilis alteri, sed omnes omnino inter se commensurabiles essent, vt pote habentes mensuram communem, nimirum punctum. Mensura quippe communis duarum quantitarum dicitur ea, quæ repetita vtramque metitur. Constat autem, si duæ quæque quantitates ex solis punctis finitis componerentur, punctum aliquoties repetitum metiri vtramque. Si autem ex infinitis, repetitum pariter infinities. Antecedens autem, videlicet intra latitudinem obiecti Geometriæ dari quantitates incommensurabiles, quibus nulla possibilis est mensura communis, exploratissimum est Geometricis. Et multis demonstratum ab Euclid. lib. 10. Elem. per totum. Speciatimque diametrum cuiusvis quadrati esse incommensurabilem costæ, seu lateri eiusdem ibid. demonstrat ipsæ Euclid. proposit. vlt.

Sed demonstremus id ipsum aliter, vt & 149 meri Philosophi possint capere.

Pro quo suppono, quadratum factum ex diametro cuiusvis quadrati huic duplum esse, vt demonstratur ab Euclid. lib. 1. proposit. 47. ad oculumque patet in figura proposita. Vbi vides quadratum AB duplum esse quadrato AC. Siquidem hoc ex duobus, illud ex quatuor triangulis aequalibus omnino constat. Aut certè, cum negari non possit, esse possibilia duo quadrata linearum, quorum vnum sit duplum alteri, ponatur quadratum AB esse duplum quadrato AC. Deinde suppono hæc quinque manifesta principia. 1. Numerum parem bifariam, hoc est, in duas partes aequales diuidi posse. 2. Numerum imparẽ non posse diuidi bifariam. 3. Numerum imparẽ per se multiplicatum producere quadratum numerum etiam imparẽ. Numerum vero imparẽ producere imparẽ. 4. Dimidium cuiusvis numeri per se multiplicatum producere numerum quadratum, quod est quarta pars quadrati producti ex numero integro per se etiam multiplicato. 5. Numerum parem ita posse iterum, atque iterum bifariam diuidi, vt tandem aut in numero impari, aut in unitate sistatur. Ex his demonstro, lineam AC, & lineam CD incommensurabiles esse; atque aded ex punctis imprimis finitis constare non posse. Si enim sint commensurabiles, ex punctisque finitis compositæ, eo ipso habebunt proportionem numeri ad numerum, & vnaquæque ex certo punctorum numero composita erit. At talem proportionem, compositionemque habere nequeunt. Ergo. Probo minorem. Quoniam si habent, aut vtriusque numerus est impar; aut vtriusque est par; aut numerus primæ AC est impar, & numerus secundæ CD est par; aut vice versâ primæ par, & secundæ im-




par. Hi quippe sunt omnes casus possibiles, vt ex se constat. Si vtriusque numerus est impar, quadratum vtriusque erit impar iuxta principium 3. Quod est impossibile: quia quadratum primæ est duplum quadrato secundæ; & numerus impar non potest esse duplus altero; sicut neque bifariam diuidi iuxta principium 2. Idemque sequitur eodem modo, si numerus primæ sit impar, & secundæ par, vt constat. Si autem numerus primæ sit par, & secundæ impar, diuidatur numerus primæ bifariam iuxta principium 1. eritque quadratum dimidij quarta pars quadrati numeri integri iuxta principium 4. atque adeo dimidia pars quadrati producti ex numero impari secundæ. Quod iterum est impossibile: cum quadratum numeri imparis sit impar iuxta principium 3. & numerus impar duplus altero esse non possit iuxta principium 2. Si denique vtriusque lineæ numerus sit par, diuiso vtroque bifariam iuxta principium 1. aut dimidium vtriusque est impar; & sequitur idem absurdum: nimirum quadratum dimidij primæ lineæ esse impar, & aliàs esse duplum quadrato dimidij secundæ. Idemque sequitur, si dimidium primæ lineæ est impar, & dimidium secundæ par, vt constat. Si verò e contra dimidium primæ est par, & dimidium secundæ impar, diuiso iterum dimidio primæ, sequitur idem; nempe quadratum dimidij secundæ esse impar, & esse duplum quadrato quartæ partis primæ. Quod si, factâ primâ diuisione numerorum parium vtriusque lineæ, iterum vtriusque dimidia sint paria; diuidantur iterum, donec cadatur aut in aliquem ex casibus dictis, aut in vnitatem secundæ lineæ iuxta principium 5. Quo casu pars primæ lineæ ex hac vltimâ diuisione relicta parte secundæ maior erit; cum prima lineæ sit maior secundâ; duasque proinde vnitates habeat vt minimum; atque adeo quadratum eius quadrato alterius non erit duplum, vt debet; cum non possit non vt minimum quadruplum esse, vt est quadratum dualis quadrato vnitatis.

Manet igitur demonstratum, diametrum cuiusvis quadrati, & costam eiusdem in commensurabiles esse; atque adeo huiusmodi lineas ex solis punctis finitis constare non posse. Quod autem neque ex solis punctis infinitis possint constare, tamen per argumentationem factam adeo absolute non demonstratur; censeo tamen pariter demonstrari ex suppositione, quod omnis etiam multitudo infinita aut par, aut impar necessario esse debeat; vt debet omnis numerus. Quam suppositionem esse verissimam infra disp. 13. quæst. 2. ostendemus.

Sed demonstremus præterea idem assumptum sic. Quæ à rectis lineis longitudine commensurabilibus sunt quadrata, inter se proportionem habent, quam quadratus numerus ad quadratum numerum vt demonstrat Euclid. lib. 10. proposit. 9. Sed quadrata, quæ sunt à diametro, cuiusvis quadrati, & eius costâ non habent proportionem, quam quadratus numerus habet ad quadratum numerum: quia proportio, quam habent est dupla, vt constat ex dictis; & nullus quadratus numerus cum alio numero quadrato potest proportionem duplam habere, vt ex Campano demonstrat Clavius in Schol. citatæ propositionis sub finem. Igitur diameter cuiusvis quadrati, & eius costâ non sunt lineæ longitudine commensurabiles: atque adeo neque ex solis punctis finitis, imo neque ex infinitis compositæ. Si quis autem vel praxi ipsâ deprehendere velit, nullum

numerum quadratum altero etiam quadrato posse esse duplum, discurret per singulos multiplicando vnumquemque per ipsum met, quo pacto producit quadratum, cuius ipse radix quadrata dicitur. Verbi gratia quadratum ex 2 est 4; & quadratum ex 3 est 9; plusquam duplum ipso 4; & quadratum ex 4 est 16, maius, quam duplum ipso 4, & minus, quam duplum ipso 9; & quadratum ex 5 est 25, maius, quam duplum ipso 4, & 9, & minus, quam duplum ipso 16; & quadratum ex 6 est 36, maius, quam duplum ipso 4, 9, & 16, & minus, quam duplum ipso 20; & quadratum ex 7 est 49, maius, quam duplum ipso 4, 9, 16, & 20, & minus, quam duplum ipso 36. Et ita deinceps procedendo nunquam inuenietur vnum quadratum, quod sit duplum altero, sed semper vel minus, vel maius, quam duplum.

Secundum argumentum pro eadem primâ parte propositionis sit in hunc modum. Si quadratum $ABGD$ ex solis punctis finitis constat, producat latus quadrati CA , quousque linea producta totidem constet punctis, quot sunt puncta totius quadrati: sitque linea CE . Deinde



ex Centro C describatur per punctum E portio circuli EF , & ductâ in directum lineâ AB vsque ad G , ducatur linea CF , & altera ei parallela DG . Quoniam enim linea CE æqualis est toti quadrato, vt pote totidem punctis constans ex constructione: linea quoque CF ipsi æqualis; vt pote ducta ex eodem centro ad eandem circumferentiam circuli, æqualis erit toti quadrato. Cumque quadratum ipsum parallelogrammo $CFGD$ æquale sit per proposit. 35. lib. 1. Euclid. vt pote quæ in eadem basi inter easdem parallelas sunt constituta; ipsum parallelogrammum æquale erit lineæ CF , totum parti. Quod est impossibile. Repugnat ergo, dictum quadratum ex solis punctis finitis compositum esse. Eodemque pacto demonstratur ex solis punctis infinitis constare non posse: quia supposito, quod quadratum finitum ex punctis infinitis constare potest, ex totidem poterit constare linea finita; esseque subinde æqualis quadrato. Quo eadem figuræ constructio, & eadem demonstratio eodem modo locum habet.

Tertium argumentum pro eadem primâ parte propositionis est. Omnis linea geometrica finita bifariam, id est, in duo dimidia æqualia, diuidi potest, vt demonstrat Euclid. lib. 1. proposit. 10. At non omnis posset bifariam diuidi, si ex solis punctis componeretur. Ergo non omnis componitur ex solis punctis; & consequenter nulla; quia eadem omnium ratio est. Cætera patent; probatur minor. Quia, si diuisio lineæ ex solis punctis compositæ per corruptionem aliquius puncti fieret, linea cuius multitudo pun-

storum esset par, non posset diuidi bifariam, vt constat: Si verò absque vilius puncti corruptione, non posset diuidi ea, cuius multitudo punctorum esset impar, vt etiam constat. Quo argumento absolutè demonstratur, lineam geometricam ex solis punctis finitis constare non posse. Supposito autem, quòd multitudo etiam infinita, necessariò etiam est aut par, aut impar iuxta dicenda loco nuper citato, pariter demonstratur, neque ex solis punctis infinitis posse constare. Idem argumentum fieri potest circa quamuis aliam quantitatem geometricam: quia quæuis potest bifariam diuidi. Nempe circulus per suam diametrum diuiditur bifariam vt constat ex def. 17. lib. 1. Elem. Euclid. Quadratum, & quoduis parallelogrammum, à sua diametro diuiditur bifariam, vt constat ex proposit. 34. eiusdem lib. 1. Quoduis triangulum diuiditur bifariam à lineà, quæ ducta à quouis angulo bifariam diuidit latus eius oppositum, vt constat ex Scholio proposit. 38. eiusdem lib. 1. apud Clau. Ex quo patet, quomodo etiam quæuis omnino figura retilinea sit diuisibilis. Siquidem omnis componitur ex triangulis, vt constat ex Scholio proposit. 32. eiusdem lib. 1. & proposit. 14. lib. 2. Pariterque quoduis solidum bifariam diuisibile est, vt varijs ex locis Euclid. constat lib. 11. & seqq.

155 Quartum argumentum pro eadem primà propositionis parte sit. Linea dicta Conchilis à Nicomede inuenta eam miram passionem habet, vt demonstrat Clau. lib. 6. suæ Geometriæ practicæ proposit. 15. quæ d certo quodam modo ibi explicata producta iuxta lineam rectam, quo magis extenditur, magis ad lineam rectam accedit, & tamen, licet extendatur in infinitum, nunquam ita accedet, vt illam tangat, aut secet. Similemque passionem habent Asymptoti, qui comitantur Hyperbolem, vt in suis sectionibus conicis demonstrat Appolonius, & multa aliæ lineæ, vt saepe alibi demonstratur. Hæc autem ita se habere non possent, si quantitas geometrica ex solis punctis finitis componeretur. Si enim, quo magis quæuis ex prædictis lineis produceretur iuxta aliam, minus distat ab illa; si huiusmodi distantie inæquales ex solis punctis finitis componerentur, necessum planè erat, vt tandem finirentur, atque ita lineæ prædictæ nihilo iam ab alia distans tangeret illam, & secaret contra geometricas commemoratas demonstrationes.


156 Quintum argumentum pro eadem parte, propositionis. Si quantitas geometrica ex solis punctis finitis componeretur, non posset quæuis lineæ in tot partes eiusdem proportionis secari, in quot alia quæuis lineæ data secta esset. Cuius tamen oppositum demonstrat Euclid. lib. 6. Elem. proposit. 10. Etenim sit lineæ data 24 punctorum, ponaturque secta in 12 partes æquales; certè lineæ 10. punctorum, & quæuis alia minor in totidem partes æquales non poterit secari, vt constat.

157 Sextum argumentum pro eadem parte, propositionis sit. Lineæ ducta intra quoduis triangulum parallela cuius lateri eius minor est ipso latere. Sed non esset, si triangulorum lineæ ex solis punctis finitis componerentur. Ergo. Maior præterquam quòd ex ipsis terminis videtur nota, demonstratur sic ex Euclid. Sit triangulum A B C, intraquem lineæ DE sit parallela lateri B C. Eruntque triangula A B C, A D E si-


milia per coroll. proposit. 4. lib. 6. Elem. Atque ita iuxta definitionem 1. eiusdem lib. sicut se habet A B ad B C, ita se habebit A D ad D E, & permutando iuxta proposit. 16. lib. 5. Elem. sicut se habet A B ad A D, ita se habebit B C ad B D E. Sed A B prima maior est, quàm A D secunda per 9. Axiom. lib. 1. Ergo B C tertia maior est, quàm D E quarta per proposit. 14. lib. 5. & consequenter D E minor est, quàm B C. Quæ erat propositio maior demonstranda. Minor autem sic demonstratur. Habeat tota lineæ A B 40 puncta, ex quibus habeat 30 pars eius A D; latus autem B C habeat puncta 20. Et quoniam quot puncta habet lineæ A D, præter primum, & vltimum, tot possunt duci intra triangulum A D E lineæ parallela lateri D E per proposit. 31. lib. 1. Elem. demus productas esse 24 parallelas. Quæ omnes inæquales inter se erunt: nam si numerare eas incipias à lineæ D E versus punctum A, qualibet per demonstrationem factam minor erit præcedente, vt constat. Ponamus ergo earum vltimam, & proximam puncto A habere quatuor puncta, quæ immediatè præcedit ipsam vt minimum habebit quinque, & alia præcedens hanc sex, atque ita deinceps. Quo fiet vt prima, & proxima lineæ D E vt minimum habeat 27 puncta, & consequenter ipsa D E vt minimum habebit, 28. Minorque subinde non erit, sed longè maior, quàm latus B C trianguli A B C. Quod erat rursus demonstrandum. Non igitur triangulorum lineæ ex solis punctis finitis componi possunt. Præterea aliter argumentor, Nullum est punctum in tota lineæ A B, ex quo non possit produci intra triangulum lineæ parallela lateri B C. per proposit. 31. lib. 1. Elem. At essent multa; si trianguli lineæ ex solis punctis finitis componerentur. Ergo. Cætera patent. Probo minorem. Supposito enim, quòd latus B C habet tantum 20 puncta, & latus A B 40; si ex primis 20 punctis lateris A B, incipiendo ab ipso B, totidem producantur lineæ parallela lateri B C, iam vltra nulla alia erit possibilis; eo quòd vnaquæque vnico minimum puncto debebit à præcedente excedi, vt constat ex dictis: atque ita vigesima nempe F G vnica dumtaxat puncti erit, præter extrema ipsa F G, aliud autem quidpiam minus puncto non est possibile, quo sequens lineæ compingatur. Vnde item sequitur, triangulum A F G residuum, & esse triangulum, vt apparet, & non esse; quia nullam habet aream; aut si habet, eam necessariò esse vacuum, impotemque vllà quantitate repleti. Quæ omnia absurditatis plenissima sunt.

Septimum argumentum, quod iam non solum primam, sed etiam tertiam partem propositionis nostræ probat, huiusmodi est. Sint duo circuli concentrici A B, C D. Quibus datis, quædam certissima principia supponenda sunt. 1. Peripheriam circuli externi maiorem esse peripheriam circuli interni. 2. Peripheriam circuli externi non posse non eo ipso plures partes, & plura puncta habere, quàm peripheriam circuli interni: siue huiusmodi peripheriæ ex solis punctis actu finitis, siue ex solis punctis actu infinitis, siue

sive ex partibus sine sine divisibilibus, & punctis
 eas copulantibus actu etiam infinitis componi di-
 cantur. Quod constat imprimis ex manifesta
 doctrina statuta quæst. 3. proposit. 19. Deindeque
 confirmari potest. Quoniam, quam evidens est,
 totum quodvis sine finitum, sine infinitum esse
 maius sua parte; tam evidens est, multitudinem
 eorum, quæ quo



quomodo totum
 component, maio-
 rem esse multitu-
 dine eorum, quæ
 eodem modo com-
 ponunt partem
 eius, & conse-
 quenter etiam mul-
 titudine eorum,
 quæ eodem modo
 componunt aliud
 totum æquale tali
 parti iuxta doctri-
 nam statutam quæst. 3. proposit. 3. Peripheriam autem
 circuli interni propositi hoc ipso, quod est mi-
 nor peripheriam circuli externi, non potest non
 esse æqualis alicui parti eius; atque adeo non
 potest non pauciores partes, paucioraque puncta
 habere, quam peripheriam circuli externi, quocunq;
 ex prædictis modis illa composita esse dicatur;
 ut ex doctrina etiam tradita loco citato satis su-
 perque perspicuum est. 3. A quovis puncto in
 quodvis punctum posse duci lineam rectam. Ita
 enim supponitur in Postulato 1. quod inter alia
 principia Geometriæ tradit Euclid. lib. 1. Elem.
 4. Quamlibet lineam rectam ductam à periph-
 eriam circuli externi ad centrum E non posse non
 secare peripheriam circuli interni in aliquo pun-
 cto eius. Quod adeo est evidens, ut nullâ indi-
 geat demonstratione. 4. Impossibile esse, ut duæ,
 vel plures lineæ rectæ ex duobus, vel pluribus
 punctis peripheriæ externæ ductæ ad centrum E
 in eodem puncto peripheriæ internæ concurrant;
 ita, ut usque ad illud sint duæ, vel plures, & dein-
 cept usque ad centrum sint una, ut cernitur in
 lineis FE, AE, HE, concurrentes in eodem pun-
 cto G. Ita enim fieret, ut duæ vel plures lineæ
 rectæ haberent unum, & idem segmentum com-
 mune contra Axioma 10. traditum ab Euclid. in-
 ter alia lib. 1. Elem. & demonstratum ibi à Pro-
 clo, & à P. Clauio ex alijs principijs evidentio-
 ribus. Aliterque sic demonstrari obiter potest.
 Si namque lineæ LM, LN. sint rectæ habentes
 segmentum com-
 mune LP, pona-



mus erigi ex pun-
 cto P lineam O,
 quæ sit perpendi-
 cularis compara-
 tione lineæ LN.
 Eruntque anguli
 LO, ON recti; at-
 que adeo inter se æquales iuxta definit. 10. lib. 1.
 Elem. Tum per proposit. 13. eiusdem lib. 1. posito,
 quod LM etiam sit recta, anguli LO, OM aut erunt
 etiam recti, aut erunt æquales duobus rectis.
 Atque ita duo anguli LO, OM duobus angulis
 LO, ON erunt æquales, pars, & totum. Quod
 est impossibile. Impossibile ergo est, ut duæ lineæ
 LM, LN sint rectæ. Ex quo etiam patet lineas
 illas FE, AE, HE concurrentes in puncto G, &
 deinceps ductas per eandem viam ad centrum
 E rectas esse non posse.

Ex his manifestis principijs forma sic argu-
 mentum. A quovis puncto peripheriam circuli
 externi potest duci ad centrum E lineam recta iuxta
 principium 3. quæ secet iuxta principium 4. peri-
 pheriam circuli interni in aliquo puncto, ita ta-
 men iuxta principium 3; ut duæ, vel plures lineæ
 rectæ à duobus, vel pluribus punctis externæ pe-
 ripheriæ ductæ nullatenus in eodem puncto inter-
 næ peripheriæ concurrant. At totum hoc non
 erit possibile, si tales peripheriæ aut ex solis pun-
 ctis sine finitis, sine infinitis actu, aut ex partibus
 sine sine divisibilibus, ex punctisque infinitis actu
 eiusmodi partes copulantibus compositæ sint. Er-
 go eiusmodi peripheriæ nullo ex his modis sunt
 compositæ. Maior est certa ex principijs iactis;
 & consequentia est legitima. Minor autem pro-
 batur, quoniam, quocunq; ex dictis modis sint
 dictæ peripheriæ compositæ; cum sit externæ
 maior internæ iuxta principium 1, non potest non
 externæ plura habere puncta, quam internæ iuxta
 principium 2, atque ita omnibus, & singulis pun-
 ctis externæ totidem puncta distincta non possent
 in internæ correspondere, prout opus erat, ut sin-
 gula lineæ rectæ ex singulis punctis externæ ad
 centrum derivandæ distincta puncta sibi vindica-
 rent internæ, neque plures earum in unum, &
 idem punctum confluerent, ut est notissimum.
 Concluditur ergo manifestè, prædictas circulo-
 rum concentricarum peripherias, quo pacto per-
 tinent ad obiectum Geometriæ, nullo ex prædictis
 modis esse posse actu compositas, supposito iuxta
 ipsius Geometriæ certa principia, quod à quovis
 omnino puncto externæ ad centrum utriusque est
 producibilis lineæ recta. Relinquitur igitur, ut
 ex partibus, & ex punctis infinitis non actu sed
 potentia tantum compositæ sint. Ita enim semper
 erit reperire in internæ totidem puncta, quot in
 externæ, ut ex his omnibus citra incommodum
 ducantur lineæ rectæ ad centrum, prout fusè ex-
 plicandum est infra proposit. 5. Quibus ambæ
 partes propositionis nostræ, prima videlicet, &
 tertia monstrata manent.

Nec dicat quispiam cum Fromondo, & alijs
 superius citatis, prædictas circulo-
 rum peripherias ex solis partibus sine sine divisibilibus, iisque actu
 infinitis esse compositas absque vilo indivisibili
 physico; quasi per ablationem indivisibilium phy-
 sicorum argumenti facti, & similitum leniatur dif-
 ficultas. Enim verò ego modo non ago de quan-
 titate physica, sed de geometrica. In qua nec
 Fromondus, nec vllus alius negare potest indivi-
 sibilita, ut constat ex dictis num. 148. Siue dican-
 tur esse ea physica, ut tenet communis opinio,
 siue esse tantum imaginaria cum fundamento in-
 re, ut censet Fromondus. Ob id huius generis
 compositionis non feci specialem mentionem in
 argumento; sed illud sub alijs comprehensum si-
 mul cum alijs confutavi. Etenim semel suppo-
 sito, quod quantitas geometrica partes actu infi-
 nitas habet, siue illæ dicantur medijs indivisibili-
 bus physicis, siue absque illis per se immediatè
 copulari, parum, aut nihil interst ad rem. Nam
 illa interstitia, siue confinia partium, quæ siue
 reipsa, ut communis sententia fert, siue imagi-
 natione nostrâ dumtaxat, ut vult Fromondus,
 occupant indivisibilia geometrica, non possunt
 non esse à parte rei infinita, ubi partes sunt infini-
 tæ, & plura, ubi partes sunt plures. Atque ita
 in casu proposito æquè argumentum nostrum
 contra illa, atque contra indivisibilia realia mili-
 tat. Necesse quippe est, ut peripheriam circuli ex-
 ter-

159

160


terni plura interstitia, siue confinia partium habeat re ipsa, quam peripheria circuli interni, atque adeo, ut nequeant ex singulis externae per singula internae duci rectae lineae seu physicae, seu cum fundamento in re imaginatae ad centrum vtriusque, quin in eodem internae plures concurrant; prout postulant principia Geometriae, quae proposuimus.

161 Adde, indiuisibilia, quae Geometria in suo obiecto supponit, & passim demonstrat, prout vidimus num. 148. nequaquam posse iuxta sententiam Fromondi, & suorum purè imaginaria, aut merè negatiua esse; sed prorsus realia, & positiua esse debere. Ipsi namque planè supponunt, neque negare possunt, circumulum læpe tangere lineam rectam; spheramque, & cylindrum superficiem planam; & planum vnius solidi planum alterius vero, reali, & positiuo contactu. At demonstrat Geometria varijs in locis circumulum in solo puncto tangere lineam rectam; & spheram etiam in solo puncto tangere superficiem planam; cylindrum verò in solâ lineâ rectâ; planum autem solidi in solâ superficie tangere alterius planum. Igitur vero reali, & positiuo contactu tanguntur istae quantitates in punctis, lineis, & superficiebus indiuisibilibus iuxta Fromon. & suos. Quod stare non potest, ut patet, nisi talia indiuisibilia sint vera, realia, & positiua. Quomodo enim reali, & positiuo contactu tanguntur quantitates praedictae in solis indiuisibilibus, si indiuisibilia ipsa sunt nihil reale, & positiuum?

162 Adde praeterea, tantum ab esse, ut quantum physicum (à quo Fromondus, & alij hæ factionis mathematicum non distinguunt) physica indiuisibilia non habeat, quod potius ex solis indiuisibilibus, ipsque finitis compositum est, neque ex partibus diuisibilibus sine sine vllatenus componi potest; ut in decursu huius quaestionis multis est nobis ostendendum. Quibus subiecta sententia hæc Fromondi, & aliorum abuadè manebit confutata.


163 Denique in tempore non posse indiuisibilia negari, inde speciatim constat; quia certum est, entia indiuisibilia, ut Angelos, & animas rationales, intra tempus produci à Deo. Et non possunt in parte temporis diuisibili, sed solum in indiuisibili temporis produci, ut supra disp. 8. q. 4. ostensum est. Semel autem admissis in quanto successiuo, ut tempore, indiuisibilibus; & in cæteris quantis consequenter admitti debent, ut ex dicendis amplius constabit.

164 Octauum argumentum vtramque similiter partem nostrae propositionis demonstrans. Sit semicirculus ABC, cuius diameter AC. Supponoque imprimis ut certissimum, peripheriam ABC maiorem esse diametro AC: siquidem integra peripheria circuli fere tripla est suo diametro, ut demonstrat Archimedes sub initium suorum operum. Vnde iuxta principium 2. statutum in argumento praecedente non potest non peripheria semicirculi plura puncta habere, quam diameter, siue ambæ lineæ ex solis punctis aut finitis, aut infinitis actu, siue ex partibus simul, & punctis infinitis actu compositae esse dicantur. Deinde suppono cætera princi-




pia statuta in argumento precedente. Quibus suppositis, arguo sic. A quouis puncto peripheriae semicirculi potest deduci linea recta perpendicularis super datam rectam AB per proposit. 1. lib. 1. Elem. Euclid. Quae necessario cadet intra ambitum semicirculi super eius diametrum iuxta proposit. 16. lib. 3. Elem. At hoc fieri non posset, si peripheria semicirculi, & eius diameter aliquo ex modis praedictis componerentur. Ergo, cætera patent. Probo minorem. Quia cum plura sint puncta peripheriae, quam puncta diametri non possent non duae, vel plures lineae ex eodem punctis peripheriae deductae cadere super vnum & idem punctum diametri. Quae & essent perpendiculares, ut supponitur, & simul non essent. Quod sic demonstratio. Si enim linea DE est perpendicularis, anguli ADC, sunt aequales per def. 10. lib. 1. Elem. & si linea EF est etiam perpendicularis, anguli AEF, EC erunt similiter aequales. Vnde anguli quoque AEF, AD, utpote aequales vni tertio, aequales erunt inter se, pars & totum. Quod est absurdum. Impossibile ergo est secundum principia Geometriae, ut peripheria semicirculi, & eius diameter componantur aliquo ex modis dictis. Relinquitur ergo, ut componantur ex partibus, & punctis non actu, sed potentia infinitis, ut explicabimus proposit. 5.

Nonum argumentum idem probans, atque praecedens est. In quadrato ABCD, lateris AB minor est, quam diameter AC, ut constat ex dictis in argumento primo. Ergo pauciora puncta habet, quam ille, si componantur actu ex punctis finitis, aut infinitis, aut ex partibus, & punctis actu infinitis. Cum ergo ex omnibus punctis lateris AB ad omnia puncta lateris DC possint duci lineae rectae, non poterunt non aliquibus saltem earum, duo, vel plura puncta in diametro AC correspondere; quibus subiecte, & diametro pars quaedam lineae ex talibus punctis composita communis erit; atque adeo duae lineae rectae habebunt segmentum commune. Quod est impossibile. Quae omnia ex dictis suis in argumento septimo perspicua sunt. Non igitur praedictae lineae aliquo ex modis praedictis compositae sunt; sed ex partibus, & punctis potentia dumtaxat infinitis. Quod erat probandum.



Decimum argumentum idem, & eodem modo probat in triangulo ABC; quatenus ab omnibus punctis basis AC lineae rectae possunt produci ad punctum B secantes lineam DE minorem, atque adeo pauciora puncta habentem, quam basis AC. Ex quo fit, non posse non plures ex illis rectis lineis concurrere in eodem puncto lineae DE; atque adeo habere deinceps segmentum commune. Quod repugnat.



Vndecimum argumentum ad idem probandum suppeditant nobis progressionem, siue series continuam proportionalitatis geometricae à proportionem maioris inaequalitatis. Etenim, si additio

cio quantitatum, seu partium quantitatis proportionalium in infinitum pergradatur in proportione duplâ, nunquam reliquæ omnes, præter primam, conficiunt quantitatem æqualem primæ. Si verò in proportione triplâ, reliquæ omnes, præter primam, nunquam attingent dimidium primæ. Si autem in proportione quadruplâ, reliquæ omnes, præter primam, nunquam attingent tertiam partem primæ. Si in quincupla, nunquam attingent quartam. Si in sexcupla, quintam. Si in decupla, nonam. Et ita deinceps semper eueniet, vt tota congeries partium progressionis, præter primam, nunquam æquetur ei parti primæ, quæ est vna numeri proximè minoris eo, in quo proportio progreditur. Demonstremus hoc in aliquibus exempli gratiâ. Et primùm in progressionem quantitatum proportionalium proportione dupla.

168 Pro quo vt principium per se euidens est supponendum. Quod si quantitas A dupla est quantitati B, & quantitas B æqualis quantitati C, quantitas A æqualis erit ipsis B, & C

$$\frac{A}{B} = \frac{B}{C} \text{ Simul sumptis.}$$

Quo posito, fiat quotuis quantitates continuè proportionales di-
câ proportione duplâ D E F G H. Dico

$$\frac{D}{E} = \frac{E}{F} = \frac{F}{G} = \frac{G}{H} = \frac{H}{I}$$

omnes E F G H simul sumptas non componere quantitatem æqualem ipsi D, sed minorem. Accipiat enim vltima H, & sumatur alia ei æqualis I. Cum enim quantitas G dupla sit quantitati H erit per principium suppositum G æqualis ipsis H I simul sumptis. Rursusque ob eandem rationem F æqualis erit ipsis G H I simul sumptis. Similiterque E æqualis erit ipsis F G H I. Ac demum D æqualis erit ipsis E F G H I. Sublata igitur I, quod superest E F G H non est æquale sed minus quantitate D. Quod erat demonstrandum.

169 Quod si progressio quantitatum secundum triplam proportionem procedat, supponendum est vt principium. Quod si quantitas A est tripla quantitati B, & B sit dupla quantitati C, dimidium ipsius A æquale erit ipsis B, & C simul sumptis. Cum enim C dimidium sit ipsius B, quod in C est

$$\frac{A}{B} = \frac{B}{C} \text{ I, in B erunt 2; \&}$$

6
cùm B sit tertia pars ipsius A, quod in B sunt 2, in A erunt 6; atque ita B, & C simul erunt dimidium ipsius A, seu quid æquale tali dimidio. Quo posito, sint quotuis quantitates continuè proportionales proportione triplâ prædictâ D E F G H. Dico, omnes E F G H

$$\frac{D}{E} = \frac{E}{F} = \frac{F}{G} = \frac{G}{H} = \frac{H}{I}$$

simul sumptas non attingere dimidium ipsius D. Accipiat enim vltima H & sumatur alia I, cui H sit dupla. Cum enim quantitas G sit tripla quantitati H, quæ dupla est ipsi I, erit per principium suppositum dimidium ipsius G æquale ipsis H I simul sumptis. Et, cum quantitas F sit tripla quantitati G, quæ dupla est ipsis H I, simul sumptis, vt pote, eius dimidium æquale est eidem, erit per idem principium dimidium ipsius F æquale ipsis G H I simul sumptis. Ob eandemque rationem dimidium quantitatis E erit æquale ipsis F G H I, & dimidium quantitatis D ipsis E F G H I. Atque ita, sublata I, quod superest E F G H dimidium ipsius D non attinget. Quod erat demonstrandum.

170 Denique procedat progressio quantitatum

proportionalium secundum proportionem sexcuplam. Supponaturque vt principium. Quod si quantitas A sit sexcupla quantitati B, & B sit quincupla quantitati C quinta pars ipsius A æqualis erit ipsis B & C simul sumptis. Cum

$$\frac{A}{B} = \frac{B}{C} \text{ enim C ponatur esse quinta}$$

pars B hoc ipso, quod B ponitur quincupla ipsi C, quod in C est I, in B erunt 5; & cùm B sit sexta pars A hoc ipso, quod A ponitur sexcupla ipsi B, quod in B sunt 5, in A erunt 30. Atque ita B & C simul, nempe 6, erunt quinta pars ipsius A, nempe 30. vel quid æquale tali parti quinta. Quo posito, sint quotuis quantitates continuè proportionales proportione sexcuplâ D E F G H. Dico, omnes E F G H simul sumptas non attingere quintam partem ipsius D. Accipia-

$$\frac{D}{E} = \frac{E}{F} = \frac{F}{G} = \frac{G}{H} = \frac{H}{I}$$

171 tur enim vltima H, & sumatur alia I, quæ sit quinta pars ipsius H. Cum enim quantitas G sit sexcupla ipsius H, & H quincupla ipsius I, erit per principium suppositum quinta pars ipsius G æqualis H, & I simul sumptis. Et, cum quantitas F sit sexcupla ipsi G, quæ quincupla est ipsi H, & I simul sumptis, vt pote æqualibus suis parti quinta, per idem principium quinta pars ipsius F erit æqualis ipsis G H I simul sumptis. Et ob eandem rationem quinta pars quantitatis E æqualis erit ipsis F G H I; & quinta pars quantitatis D ipsis E F G H I; atque ita, sublata I, quod superest E F G H non attinget quintam partem ipsius D. Quod erat demonstrandum. Quæ eadem normâ pariter demonstrandum venit, quod generatim de reliquis huiusmodi progressionibus propositum est.

Quæ cum ita sint, colligitur primò, progressionum partium geometricè proportionalium à proportione maioris in æqualitatis cuiusvis quantitatis continuæ suos terminos habere fixos, & assignabiles, vltra quos non possunt extendi, quantumuis in infinitum procedat talium partium additio. Sit namque spatium A E, cuius dimidium repleat linea A B. Dico si lineæ A B coniungatur alia pars lineæ duplo minor, & huic alia, & huic alia, & sic sine fine versus punctum E, semper proportione duplâ seruata, tota progressio huiusmodi partium nunquam transiet punctum E. Transiet enim, si fieri potest, vsque ad F; fietque, vt congeries partium B F lineam

$$\frac{A}{B} = \frac{B}{C} = \frac{C}{D} = \frac{D}{E} = \frac{E}{F} \text{ conficiant maiorem}$$

ipsâ A B. Quod esse impossibile, constat ex demonstratione prima facta num. 168. Quod si progressio additionum fiat in proportione triplâ, tota illa nunquam transiet punctum D bifariam diuidens spatium B E. Et si sexcupla punctum C terminans quintam partem eiusdem spatij B E. Et sic deinceps. Quæ omnia satis superque constant ex dictis. Simili modo sit linea A E; secetur

$$\frac{A}{B} = \frac{B}{C} = \frac{C}{D} = \frac{D}{E} \text{ que mathematicè bifa-}$$

riam in puncto B; rursusque B E secetur bifariam in C; & C E in D; & sic deinceps sine fine; fietque progressio partium proportionalium talis lineæ proportione duplâ neque finienda vnquam, neque extendenda vltra punctum E. Pariterque intra ipsam lineam fiet progressio partium proportionalium proportione triplâ, si sectiones non penes dimidia partium præcedentium, sed penes tertias partes earum fiant. Tam proportione

qua.

quadrupla, si penes quartas partes. Et quinquapla, si penes quintas partes. Et ita etiam deinceps sine fine. Quarum progressionum vnaquaque terminum intra eandem lineam habebit, ultra quem non possit extendi. Quinimo omnes illae intra quamlibet particulam sumptam seorsim talis lineae, sicut & cuiusvis alterius quantitatis geometricae, effici possunt. Quae omnia ex dictis satis sunt nota.

172 Vnde iam ad rem nostram secundo colligitur, quamlibet quantitatem geometricam in infinitum diuisibilem esse, ex partibus ve constare sine fine diuisibilibus secundum aliquod, imo secundum omnia genera proportionis geometricae maioris inaequalitatis. Quae nostrae propositionis prima pars est.

173 Tertio colligitur pro tertia eiusdem propositionis parte, eiusmodi partes proportionales, in quas quantitas mathematicae est diuisibilis sine fine, non actu, & categorematice, sed potentia tantum, & syncategorematicae esse infinitas; ita quidem, ut signato quouis earum numero, alius maior possit signari, quin multitudo earum, vnde isti numeri extrahantur, a parte rei sit actu infinita. Quod ex dictis probo.

A B C D E

partium proportionalium proportione dupla incipiens a parte AB versus punctum E est infinita actualiter a parte rei, cum nequeat ultra punctum E extendi, ut est demonstratum; & erit finita, ut supponitur, atque terminata ipso puncto, & simul infinita. Quod est impossibile. Nec dici potest, talem progressionem per punctum E terminari quidem extrinsecè; quia punctum E non est aliquid componens illam, cum non sit pars proportionalis; nihilominus tamen esse infinitam; quia nulla est pars proportionalis eius quae vltima sit, & ultra quam non detur alia actu, & reipsa versus ipsum punctum E. Hoc, inquam, dici non potest. Primo: quia punctum E re ipsa tangit immediatè lineam AE; & non quoad partes intermedias, inter quarum singulas, & punctum ipsum mediat aliquid. Ergo quoad aliquam vltimam interquam & punctum nihil mediat. Datur ergo reipsa pars aliqua vltima, in qua, aut in alia praecedente actualiter terminetur progressio. Secundo: quia, si in dicta progressionem nulla pars proportionalis reipsa est, ultra quam non detur alia versus punctum E, nulla erit interquam, & punctum E non sit alia interposita, ut constat. At est aliqua interquam, & punctum E nihil est interpositum; (siquidem inter aggregatum omnium, nulla dempra, & punctum E nihil est interpositum; & praeter vnam, ceterae omnes tanguntur ab ipso puncto mediatè). Ergo.

174 Dicit aliquis, dari quidem partem proportionalem vltimam, post quam immediatè est punctum E, indeterminatam tamen, & inassignabilem. Sed contra primò: quia a parte rei nihil indeterminatum, & in assignabile saltem a Deo potest existere, ut a nobis in Pharo Scient. disp. 10. quaest. 2. monstratum est. Sed pars praedictae lineae post quam immediatè est punctum E, a parte rei existit, ut constat. Ergo ea indeterminata, inassignabilisque esse non potest. Contra secundo: quia si talis pars vltima daretur quantumvis indeterminata, iam non esset actu infinita dicta progressio, cum finem intrinsecum saltem indeterminatum, reipsa tamen existentem, haberet.

175 Dicit alius, in serie quavis infinita a colle-

ctiuo ad distributum bene non argui: quia certum est, ultra totam collectionem partium aliorum quorundam temporis infiniti futuri nullum aliud tempus superesse futurum; & tamen certum est etiam, nullam esse partem aliquotam temporis infiniti futuri, ultra quam alia non sit futura. Ergo bene potest stare, nullam esse partem proportionalem in progressionem supra dicta, ultra quam versus punctum E non sit alia interposita; inter quam, & punctum E non sit alia interposita; quauis neque ultra totam talium partium collectionem vlla pars sit versus punctum E, neque inter totam eandem collectionem, & punctum E sit interposita vlla pars. Sed contra est: quia in seriebus simpliciter infinitis, qualis est series temporis, idcirco ultra omnes earum partes collectiue sumptas non datur alia; tamen detur ultra singulas sumptas distributiue; quia, quo latere sunt infinitae; non datur ultra, id est capacitas maioris, sine vterioris extensionis, eoque iure sunt infinitae; & ideo etiam, quo latere sunt infinitae, non potest vna esse maior, vel minor alia, vti fatentur omnes. At verò in casu nostro, quod ultra totam collectionem partium proportionalium non detur alia, non nascitur ex defectu capacitatis vterioris extensionis; quandoquidem linea AE ultra E amplius, & amplius extendi poterat; atque adeo nequit non nasci ex eo, quod aliqua pars eius reipsa sit vltima; quod ipsum est, non esse eam actu infinitam. Et ideo eiusmodi progressionum, quo latere dicuntur esse infinitae, aliae maiores, aliae minores alijs sunt, ut patet in progressionibus proportionalium duplae, triplae, quadruplae, &c. ab eadem parte quantitatis inchoantibus, & versus idem latens sese extendentibus. Quod signum etiam est, non posse esse eas actu, & categorematice infinitas, sed syncategorematicè tantum, & in potentia.


Dicit alius fortasse, posse quidem in linea AE assignari aliquam partem, quae sit vltima linea, & immediata puncto E; quaecunque tamen assignetur, semper erit diuisibilis bifariam, atque adeo, assignata quavis, alia minor contenta in ipsa assignabilis erit, & rursus alia minor in infinitum. Cuiusque, quaecunque assignetur ita vltima non sit pars proportionalis seriei, de qua loquimur, sed tantum dimidium eius, ut constat ex dictis; et si quaecunque assignetur huiusmodi, sit vltima linea, nulla tamen est assignabilis, sicuti nec re ipsa datur, quae vltima sit dictae seriei. Quo fit, ut talis series in infinitum procedat citra terminum ipsi extrinsecum E: quia, adiuncto partibus praecedentibus dimidio cuiuslibet assignatae partis immediatae ipsi E, semper restat adiungendum dimidium residui sine fine. Sed contra est. Quia, licet haec mathematicè loquendo sint vera, beneque explicant, & probent quo pacto progressio partium proportionalium quantitatis continuæ syncategorematicè sit infinita. & ipsa quantitas sine fine diuisibilis mathematicè. At physicè loquendo vera non sunt; neque, progressionem partium proportionalium quantitatis continuæ esse actu infinitam, ipsamque quantitatem ex partibus actu infinitis esse compositam, vltatenus probare possunt. Semel enim statuto, quod detur a parte rei aliqua pars vltima lineae AE immediata puncto E, quae tota non sit pars proportionalis seriei, de qua loquimur, sed tantum dimidium eius; sequitur primò, inter totam collectionem partium proportion-

tionum, & punctum E dari, & non dari partem lineæ, quæ proportionalis non sit: dari; quia ea, quæ statuitur vltima inter reliquas, & punctum, datur, & proportionalis non est; & non dari; quia eadem ipsa non datur inter dimidium sui, & punctum E; & tale dimidium vna est ex partibus proportionalibus constituens totam collectionem. Secundò sequitur, collectionem partium proportionalium esse actu infinitam; quia nulla talium partium est vltima: & non esse infinitam; quia dimidium partis vltimæ lineæ semper est pars, proportionalis vltimæ reliquarum. Tertio sequitur, nullam partem vltimam lineæ prædictæ adæquatè esse proximam puncto E; quia omnis assignabilis habet dimidium à puncto ipso remotum: & aliquam esse adæquatè proximam; quia, quidquid in adæquatè est tale, ratione alicuius partis sui adæquatè talis dicitur tale inadæquatè, vt supra quæst. 3. proposit. 6. monstratum est. Præterea dico, partem lineæ AE simpliciter, & absolutè immediatam puncto E non posse non esse physicè indiuisibilem; etsi diuisibilis sit mathematicè, seu per rationem nostram. Atque adeò progressionem partium proportionalium quantitatis continuæ proportionem maioris inæqualitatis omnimodis esse finitam, loquendo physicè, vt est quantitatis discretæ ex vnitatibus indiuisibilibus coalescentis; tametsi, loquendo mathematicè, syncategorematicè sit infinita. De quo plura dicemus infra propositione 5.

177 Quarto denique ex dictis obiter colligendum est, quàm male Recentiores plerique geometricarum proportionum ignari putent, partes proportionales quanti continui eo ipso esse communicantes, seu subintranctes, id est, alias in alijs aut inadæquatè, aut adæquatè inclusas; eoque iure, etsi sint multitudine infinitæ, non infinitam, sed finitam quantitatem componere. Constat enim ex dictis, quomodo possint esse, de factoque sint non communicantes, nec subintranctes, sed mutuo sese omnino excludentes, & quomodo nihilominus, etsi multiplicentur in infinitum, certam, finitamque quantitatem non possint excedere. Subindeque quomodo titulum talium neque infinitam, sed finitam quantitatem componerent; esto per possibile, aut impossibile essent actu infinitæ. In quo partes proportionales proportione maioris inæqualitatis à partibus aliquotis, atque etiam à partibus proportionalibus minoris inæqualitatis discriminantur; istæ enim, si multitudine sunt infinitæ, non possunt non componere quantitatem infinitam simpliciter. De quo vide dicenda infra disp. 13. quæst. 2.

178 Duodecimum tandem argumentum ex primâ parte propositionis satis probatâ præcedentibus probat tertiam. Si enim quantum geometricum constat ex partibus sine fine diuisibilibus mathematicè, impossibile est partes eius toties esse actu diuisas, seu secas mathematicè, vt non possint pluries diuidi, seu secari; alias non essent sine fine seciles, vt supponitur. Ast, si partes, & indiuisibilia eius essent actu infinita, omnes partes toties essent actu diuisæ, seu secæ mathematicè, vt non possent pluries diuidi, seu secari. Ergo. Cætera patent. Probatur minor. Quia, cum diuisio mathematica quantitatis non fiat per separationem partium, in quas illa dicitur diuidi, nec per corruptionem vniõis earum, sed per concursum alterius quantitatis decussatam illam findentis, ac per illud indiuisibile, per quod ipsa

dicitur diuidi, transeuntis; si quadratum ABCD e.g. ex partibus, & indiuisibilibus actu infinitis componeretur, nullum esset indiuisibile, in lineâ EF per quod illa iam non esset actu diuisa; quia nullum esset, per quod non transiret aliqua alia lineâ diuidens illam ducta à latere AB ad latus CD; totiesque subinde lineâ EF esset actu diuisa, vt pluries diuidi non posset. Quod erat probandum. Mitto alia quæ ex Geometria adferri possent; & pergo.



Propositio 2.

179 Quantum continuum mathematicum, quod aliarum à Geometria scientiarum obiectum est, ex partibus sine fine diuisibilibus; atque etiam ex indiuisibilibus constat. Partes tamen, atque indiuisibilia eius non actu, & categorematicè, sed potentia, & syncategorematicè tantum sunt infinita.

Obiectum Geometriæ solùm est quantum continuum extensum localiter, vt lineâ, superficie, & solidum. Quantum verò extensum temporaliter, vt tempus, & motus; & quantum intensum localiter, & temporaliter, vt pondus, impulsus, vis quæuis motiua, & alia huiusmodi obiecta sunt aliarum scientiarum, quas Mathematica comprehendit; à quibus subinde mathematico more quatenus quanta, eaque continua, atque adeò sine fine diuisibilia considerantur. Nempe Mechanica rationalis tum statica, quæ multas sub se continet species, tum bellica siue terrestris, siue marina ponderum, impulsuum, cuiusvisque alterius vis motiua, atque etiam motuum ex his nascentium, temporisque, cum quo comparantur, naturas, & proprietates perscrutatur; proportionem item tum æqualitatis, tum inæqualitatis siue maioris, siue minoris; hasque siue irrationales, quales habent quanta incommensurabilia, siue rationales, quales habent quanta commensurabilia cum omnibus suis speciebus, de quibus supra quæst. 2. diuis. 19. necnon proportionalitates ex proportionibus coalescentes, &c. Cosmotheoria tum cælestis, tum elementaris similia, similiterque contemplatur circa virtutes motiuas, motusque ætherum, astrorum, & elementorum, tempusque, cum quo comparantur. Optica cum suis speciebus, Catoptrica, Dioptrica, & Perspectiua non solùm quantitatem extensam localiter colorum, lucis, & vmbrae perscrutatur quoad omnia dicta ex principijs Geometriæ; sed etiam quantitatem extensam temporaliter, motus scilicet, aut etiam intensionem colorum, luminis, & vmbrae. Musica denique tum naturalis, tum organica in contemplandis proportionibus, ac proportionalitatibus sonorum distenta est; idque penes duplicem, aut etiam triplicem quantitatem, quam habent, intensionis scilicet, extensionis temporalis, atque etiam localis.

Igitur huiusmodi omnes quantitates continuas esse diuisibiles sine fine; atque adeò ex partibus in infinitum diuisibilibus constare, quate-

nus prædictarum scientiarum obiecta sunt, nemo dubitat eorum, qui sunt in talibus scientijs vel leuiter versari. Probarique potest ex dictis circa propositionem primam.

181 Primò; quia, vt inter obiecta Geometriæ dantur quantitates magnitudinis incommensurabiles, quæ proinde ex solis indiuisibilibus nequeunt esse compositæ, vt ibi in argumento primo monstrauimus. Ita inter obiecta Mechanicæ dantur pondera, impulsus, alique virtutes motiue intentione incommensurabilia; necnon motus temporali extensione, seu successione incommensurabiles, quales etiam dantur inter obiecta Cosmologicæ, & opticæ. Ac demum sonus tum intentione, tum successione incommensurabiles inter obiecta Musicæ, vt sciunt periti in ijs facultatibus. Et inde generatim constat; quia, vt in prædictis scientijs demonstratur specialiter, quam proportionem habere potest vna linea ad alteram, eandem habere possunt vnus pondus ad alterum, vnus impulsus ad alterum, vnus motus ad alterum, vna pars temporis ad alteram, & vnus sonus ad alterum. Sed vna linea potest esse, sæpeque est incommensurabilis alteri, vt loco citato est demonstratum. Ergo & vnus pondus poterit esse, sæpeque erit incommensurabile alteri; similiterque vnus impulsus, vnus motus, vna pars temporis, & vnus sonus. Quæ proinde continuæ, atque incommensurabiles quantitates ex solis indiuisibilibus compositæ esse non poterunt, atque adeò ex partibus sine fine diuisibilibus compositæ dicendæ sunt.

182 Secundò probatur id ipsum; quia quæuis dictarum scientiarum sæpe diuidit suum obiectum bifariam, in tot ve partes eiusdem proportionis, in quot aliud eiusdem generis diuisum est; proindeque aut demonstrat, aut supponit ita illud diuisibile esse. Sed non esset ita diuisibile, si ex solis indiuisibilibus componeretur, vt argumento tertio, & quinto proposit. 1. in simili demonstratum est. Ergo.

183 Tertio; quia scientiæ prædictæ sæpe considerant suum obiectum vt diuisibile, vel augmentabile per partes proportionales proportionem maioris inæqualitatis, atque adeò minores semper, & minores in infinitum. Quod fieri non posset, nisi illud diuisibile in infinitum supponerent, vt constat ex argumento vndecimo proposit. 1.

184 Iam verò, quòd quanta continua prædicta, vt talium scientiarum sunt obiecta, non solum ex partibus sine fine diuisibilibus, sed insuper ex indiuisibilibus copulantibus partes ipsas composita sint, scientiæ ipsæ manifestè supponunt; quia sæpe comparant expressè partes cum indiuisibilibus, & vice versà indiuisibilia cum partibus, & quoties quoduis eorum diuidunt, per ipsa indiuisibilia copulatiua partium diuidunt, æquè, ac Geometria per puncta, lineas, per lineas superficies, & per superficies solida diuidit. Cuius obiectum indubitatè, præterquam partibus, indiuisibilibus constat, vt ex dictis proposit. 1. liquidum est.

185 Quòd autem eiusmodi mathematicorum, quantorum partes, atque indiuisibilia non sint actu, & categorematicè infinita, sed potentià, & sine categorematicè tantum, imprimis probant argumentum vndecimum, & duodecimum proposit. 1. quæ omnibus quantis continuis communia sunt. Deinde probatur à paritate quanti geometrici, cuius partes, & indiuisibilia non actu, sed potentià tantum esse infinita, argumento septi-

mo, & seqq. eiusdem proposit. 1. monstratum est. Ac denique ex omnibus dicendis in sequentibus propositionibus factis, superque confirmatum manebit.

Propositio 3.

Sententia negans quanto continuo homogenio omnem distinctionem actualem partium, & solum concedens potentialem, prout num. 145. retulimus, aut est euidenter falsissima; aut certè abusuua terminorum; prorsusque inuutilis ad euadendas difficultates ipsius quanti continui.

Erit enim omnino falsa, si termini *distinctio*, & *identitas* in sua legitima, & propria significatione vsurpentur, prout solent ab omnibus vsurpari, pro prædicatis videlicet notissimis identitatis, & distinctionis adeò essentialibus subjectis, quibus conueniunt, adeoque inter se oppositis, vt prorsus repugnet, non esse semper, & necessariò distincta, aut idem ea, quæ sunt semel distincta, aut idem; penitusque sit impossibile, vt euadant aliquando distincta, quæ semel sunt idem; aut idem, quæ sunt semel distincta. A talibus quippe prædicatis tales fortiuntur proprietates subiecta, quibus illa conueniunt, quales cum sententiâ prædictâ euidentissime componi nequeunt. Et quarum nonnullas nos demonstrauimus in Pharo Scient. disp. 13. quaest. 3.

Primò enim iuxta proposit. 3. ibi statutam, quidquid conuenit alicui subiecto, & alteri ab illo indistincto conueniat etiam, necesse est. Sed vni portioni quanti continui sepius conuenit, quòd non conuenit alteri. Igitur illæ inter se non indistinctæ, sed distinctæ sunt reuerà partes talis continui. Cætera patent; & minor ostenditur in portionibus dextrâ, & sinistra aeris continui, quatum vni conuenit esse calidam, aut lucidam, aut distantem à tali loco; alteri verò minime. In portionibus motus, aut temporis continui, quatum vni conuenit, esse præsentem, & non esse præteritam, vel futuram; alteri verò è contra esse præteritam, vel futuram, & non esse præsentem. Pariterque in similibus.

Secundò; iuxta proposit. 4. statutam ibidem quæcunque semel distincta sunt, semper, & necessariò distincta sunt. Sed duo dimidia, in quæ continuum quoduis diuisum est, distincta inter se sunt actu post diuisionem, vt constat. Ergo & ante diuisionem erant actu distincta; ex ipsisque illud subinde tanquam ex partibus actu inter se distinctis erat compositum. Similiter duo quæque continua, quæ antea diuisa in vnum coeunt per vnionem, vt passim euenit duabus aquis, duobus aeribus, duobus ignibus, &c. ante vnionem erant actu distincta. Ergo & post vnionem permanent talia factæ iam partes actuales continui coalescentis ex illis.

Tertio; iuxta proposit. 5. demonstratam ibidem quæcunque aut loco, aut tempore, aut subiecto separabilia sunt, realiter inter se, & actualiter distincta sunt. Sed sæpius euenit, vt vna portio quanti continui sit in loco, aut in tempore, aut in subiecto, in quo non est altera, vt est notissimum, ab illaque subinde aut loco, aut tempore, aut subiecto de facto separata est. Semperque quæuis portio quanti continui ab aliâ quauis est separabilis aut loco, aut tempore, aut

aut subiecto, vt non minus est notum. Igitur omnes portiones huiusmodi realiter, & actualiter sunt distinctæ inter se.

190 Quarto iuxta proposit. 6. quoties vnum dependet ab altero dependentia causalitatis, non potest non esse reuera & actu distinctum ab illo. Sed in lumine oriundo à Sole, & existente in aere, quod est quantum continuum, qualibet portio à Sole remotior à qualibet Soli propinquiori dependentia causalitatis, vt est notissimum. Ergo qualibet à qualibet reuera, & actu distincta est.

191 Quinto iuxta proposit. 16. quæcunque sunt realiter idem, atque adeo non distincta actualiter, ita essentialiter sunt inter se connexa quoad existentiam in quouis tempore, in quouis loco, in quouisque alio tertio, vt prorsus repugnet, vnum sine altero existere in aliquo tempore, in aliquo loco, aut in aliquo alio tertio. Sed qualibet earum portionum, in quas quoduis quantum continuum est diuisibile, sine alia qualibet earum potest existere, de factoque existit sapissime in aliquo tempore, in aliquo loco, aut in aliquo alio tertio; vt cernere est in ijs, quæ in tempore diuisibili successiue generantur, aut corrumpuntur, in ijs, quæ ad diuersa loca extenduntur, & in alijs huiusmodi. Igitur nulla huiusmodi portio, in quas quoduis quantum continuum est diuisibile cum aliqua aliarum est realiter idem, atque adeo omnes vicissim inter se actualiter distinctæ sunt.

192 Sexto, quàm videns est, idem se ipso maius esse non posse, tam euidentis est quoduis continuum non posse esse maius eo, cum quo ipsum est idem, vt constat. Sed quoduis continuum euidenter est maius qualibet portione earum, in quas est diuisibile. Ergo quoduis continuum euidenter non est idem cum illa, euidenterque subinde distinctum actu ab illa est, tanquam includens ab inclusio. Quod stare nequit quin illa à cæteris sit quoque actu distincta iuxta proposit. 15. loco citato demonstratam.

193 Septimo, quàm euidentis est per se, & iuxta dicta, non posse idem à se ipso separari, siue diuisungi aut temporaliter, aut localiter, aut alio quouis modo reali, tam euidentis est, non posse quamlibet portionem continui earum, in quas illud realiter est diuisibile, separari, siue diuisungi aut temporaliter, aut localiter, aut alio quouis modo reali ab eo, cum quo ipsa est idem, & à quo subinde actu distincta non est, vt est notissimum. Sed qualibet eiusmodi portio continui à qualibet alia separari, siue diuisungi potest aut temporaliter, aut localiter, aut aliquo alio modo reali eo ipso, quod continuum in illas realiter diuisibile est, vt etiam est notum. Ergo nulla eiusmodi portio continui cum alia qualibet est idem: qualibetque subinde à qualibet actu distincta est.

194 Hæc satis pro assumpto proposito. Ex quibus planè inferitur primò, omnes omnino portiones continui, in quas illud est realiter diuisibile, non posse non ante omnem continui diuisionem esse iam intra continuum ipsum actu inter se distinctas. Tum quia, sequuta diuisione in illas possibili, actu inter se distinctæ essent; & non possunt non iam habere eandem inter se distinctionem, quam tunc haberent, vt constat ex dictis. Tum quia esse continuum realiter diuisibile in illas, & esse illas inter se realiter aliquo modo diuisibiles, in idem recidit, vt constat; nulloque modo

essent illæ realiter inter se diuisibiles, proindeque neque continuum realiter diuisibile in illas, nisi illæ essent actu inter se distinctæ, vt etiam constat ex dictis: quandoquidem idem à se ipso realiter nullatenus diuisibile est. Tum denique, quia, si illæ essent inter se idem, & cum continuo toto ab ipsarum aggregato reuera indistincto essent idem, vt constat. Atque ita esse continuum realiter diuisibile in illas, & esse illas realiter inter se diuisibiles, aliud non esset quam esse idem in se ipsum tanquam in plura extrema, cum prorsus sit vnicum, realiter diuisibile; & esse idem à se ipso tanquam vnum ab alio, cum prorsus sit vnicum, realiter diuisibile, Quæ manifestè sunt chymarica.

195 Secundo inferitur, posito, quod quantum continuum sit physice diuisibile in infinitum, non posse non illud habere infinitas partes distinctas physice inter se. Quia ex vna parte, tali suppositione facta, diuisiones possibiles continui non possunt non esse infinitæ in suo possibilitatis statu, vt est notissimum: nam si essent finitæ, tandem possent finiri; atque ita continuum non esset in infinitum, seu sine fine diuisibile contra suppositionem ipsam. Ex alia verò parte quot sunt possibiles diuisiones physice continui, tot necessariò sunt possibiles distinctiones physice extremorum in continuo existentium, & per tales diuisiones diuisibilium: quandoquidem omnis diuinctio extremorum physice eorundem distinctionem physicam necessariò supponit, vt constat ex dictis. Atque adeo totidem extremorum eorundem iam actu sunt in continuo physice distinctiones: siquidem, vt etiam constat ex dictis, extremis existentibus, & non iam actu distinctis physice nullatenus distinctio physica possibilis est, ipsæ dumtaxat est possibilis, quæ iam illam habent. (Enim verò prædicata essentialia, qualis distinctio est, cum sint necessaria, dumtaxat sunt possibilia habenti, vt constat). Concluditur ergo, si continuum est sine fine physice diuisibile, possibileque proinde diuisiones physice eius sunt infinitæ, non posse non esse iam actu in illo infinitæ physice distinctiones extremorum, in quas illud est diuisibile. Et consequenter infinita extrema, siue infinitæ partes actu inter se distinctæ physice. Quod erat ostendendum. Et hæc primà parte propositionis.

196 Jam verò veniendo ad secundam, si termini distinctio, & identitas ita accipiantur, (quo pacto accipiuntur ab Albertino citato supra num. 145.) vt ea dumtaxat extrema quanti continui dicantur inter se distincta, quæ in terse non vnita proprijs sunt terminationibus terminata, ea verò dicantur non distincta, sed idem, quæ vnita inter se constituunt vnum quoddam totum. Imprimis acceptio hæc valde abusua est, & impropria: nam, quod ex partibus mediâ vnione resoluit vnum totum, nequaquam est sufficiens titulus, vt illæ dum vnitæ sunt, dicantur identificata, seu idem, aliàs dicendæ inter se distinctæ, dum non sunt vnitæ. Ob id enim nemo dixit animam corpori vnitam esse idem cum corpore; quantumuis ex animâ, & corpore vnitis resulter vnus homo non minus, quàm ex duabus aquis vnitis resulat vna aqua: quippe ad rem nihil refert, quod partes sint homogeniæ, aut non sint homogeniæ; quod aliud non est, quàm esse inter se similes, vel dissimiles. Deinde per istam abusiuam accidentalemque identitatem partium continui eis prouenientem ab vnione neque aufertur, ne-

que minuitur vno modo distinctio proprie dicta essentialis, & necessaria, quam illæ entitatiuè habent, nec possunt non habere semper, siue vnita sint, siue secus. Proindeque nec possunt non esse distinctæ in continuo physice, & actu hoc proprio genere distinctionis omnes illæ infinitæ partes, in quas supponitur illud physice diuisibile, dum supponitur diuisibile physice in infinitum, vt ex superius demonstratis est manifestum; quantumuis illæ in ipso continuo physice, & actu sint vnitæ, eoque titulo dicantur esse idem actu, & solum distinctæ in potentia alio abusu identitatis, & distinctionis genere. Cùmque difficultates continui ex infinitudine partium eius physice, & actu distinctarum illo proprio genere distinctionis suam trahant originem, vt cunctis est notum, ex dictisque, & dicendis in hac questione satis perspicuum; conficitur tandem per hoc improprium, & abusiuum genus identitatis aduualis, & distinctionis dumtaxat potentialis, quod eis tribuitur, dum actualiter sunt vnitæ, nihil prorsus emoliri, nedum euadi, dicatis continui difficultates. Quibus integrè propopositio nostra, & satis apertè, ni fallor, manet probata.

Propositio 4.

197 Sententia altera relata etiam num. 145. concedens quanto continuo plures partes actu inter se distinctas, & finitas numero: addens tamen, vnamquamque earum neutiquam iam ex pluribus alijs actu inter se distinctis compositam, atque adeo simplicem, & indiuisibilem actu, & formaliter, eatenus nihilominus esse potentia, siue virtualiter in infinitum physice diuisibilem in alias partes non actu, sed potentia existentes, quatenus, cùm sit in se vna, ita est virtualiter quanta, vt pluribus similiter virtualiter quantis minoribus, & minoribus in infinitum, quæ sunt possibiles, sit æquiualens: ista, inquam, sententia & falsa; & abusiuæ terminorum; & prorsus inutilis ad euadendas difficultates ipsius quanti continui est.

Quæ vt luculentius ostendam, suppono primò, partes istas quanti continui minimas, vt pote ex alijs non compositas, atque adeo simplices, & indiuisibiles actu, & formaliter eatenus solum dici virtualiter quantas, siue extensas, quatenus vnaquæque earum naturaliter saltem petit replere spatium diuisibile, & extensum, alias per quantitatem formaliter diuisibilem, & extensam replebile, locale quidem, si sit pars quanti continui permanentis, temporale autem, si sit successiuus; ad eum modum quo Angelus, indiuisibilis cùm sit, naturaliter petit collocari in loco diuisibili, & durare per tempus diuisibile.

198 Vnde iam statim infero, improprie valde, & abusiuè dici vnamquamque dictarum partium diuisibilem, adhuc potentia, & virtualiter in eas possibiles, quæ si existerent, tantumdem spatij simul sumptæ peterent occupare, quantum petit occupare ipsa sola. Ac si quis diceret, vnamquemque Angelum in plures Angelos possibiles diuisibilem esse: eo quod illi simul sumpti tan-

tumdem spatij, quantum ipse solus, peterent occupare, si existerent. Quod quantum esset loquendi abusus, nemo non videret. Etenim in ea dumtaxat dici iure potest quilibet diuisibile, ex quibus illud intrinsecè compositum est, in alia verò extrinseca illi, ipsiunque nullatenus constituentia nullo modo. Quo circa Arist. lib. 5. Metaph. cap. 13. quantum in genere, sub quo continetur quantum continuum, per ipsam eius diuisibilitatem definiens dixit. *Quantum dicitur, quod est diuisibile in ea, quæ insunt*, id est, in ea, quæ in ipso sunt, vt quædam ipsius intrinseca constitutiva.

Ex quo rursus apparet, quàm abs iure Auctores, quos modo refellimus, se se Aristotelicos profiteantur, cum ipsique Aristotelici absolute pronuncient terminis abutentes, continuum neutiquam ex indiuisibilibus finitis, sed ex partibus in infinitum diuisibilibus constare. Cùm tamen ipsorum sententia reipsa nihilo differat ab illa de punctis inflatis nuncupata, quam num. 141. retulimus quorundam Recentiorum aperte afferentium, continuum ex indiuisibilibus finitis compositum esse: quorum tamen singula naturaliter postulant occupare, de factoque occupant spatium extensum, & diuisibile, quod aut maius, aut minus esse potest iuxta naturam, aut accidentia indiuisibilis ipsum occupaturi; ita tamen, vt, dato quouis cuiusuis spatij extensi occupatio, aliud sit dabile occupatum minoris, & aliud minoris in infinitum. Ita enim sententia cum eâ, quam modo versamus, quod attinet ad rem ipsam, prorsus est eadem, addentibus dumtaxat modo versatæ Auctoribus improprium, & abusiuum modum loquendi circa illam, vt constat ex dictis.

Iam pro realitate ambarum examinanda suppono secundò vt prorsus certum, & demonstratum supra disp. 5. quæst. 6. proposit. 23. entitatem indiuisibilem non posse aliter replere spatium extensum, & diuisibile, quàm per sui totius replicationem, siue repetitionem in omnibus, & singulis partibus talis spatij. Recognoscatur dicta ibi.

Suppono tertio, vt mihi etiam certum, & demonstratum ibidem proposit. 26. ad hoc, vt entitas indiuisibilis integrè replere possit per sui replicationem spatium diuisibile, necessariò debere tale spatium esse compositum ex solis indiuisibilibus, nec posse compositum esse ex partibus diuisibilibus sine fine. Reccolatur demonstratio ibi facta.

Suppono quarto, quando spatium, aut quoduis quantum ex solis indiuisibilibus compositum finitum est, & clausum terminis, indiuisibilia, ex quibus componitur, neutiquam posse esse infinita, sed finita necessariò debere esse. Quia, cùm quoduis talium indiuisibilium sit extra alia, & additum illis faciat maius, vti supponitur, quantum, aut spatium ex infinitis eorum compositum non potest non esse infinitum: quippe necessariò erunt illa ipsius partes aliquotæ; & est certum, omne quantum ex infinita multitudine partium aliquotarum compositum non posse non esse infinitum, vt demonstrabitur inferius disput. 13. De quo iterum redibit sermo infra proposit. 7. & 10. Vnde obiter manifestè colligitur, sententiam de punctis inflatis nuper commemoratam omnino falsam esse; cùm supponat spatium extensum per quoduis indiuisibile quanti continui occupabile, etsi finitum sit, & terminis claus-

clausum, in infinitum tamen diuisibile esse, atque
 adeo compositum ex indiuisibilibus infinitis.
 203 Id quod etiam planè supponit sententia,
 quam modò versamus; proindeque non potest
 non & illa falsa esse. Ponit enim, quamlibet
 partem quanti continui indiuisibilem formaliter,
 & virtualiter extensam ita occupatiuam esse ali-
 cuius spatij formaliter diuisibilis, & extensi, fi-
 nicique; & terminis clausi, vt sit possibilis alia
 pars similis, minor tamen in genere suo, siue oc-
 cupatiua minoris spatij, puta dimidij primi; &
 alia occupatiua minoris, puta dimidij secundi;
 199 & alia occupatiua minoris, puta dimidij tertij; &
 sic procedendo in infinitum in proportione duplâ.
 Ex qua positione apertè sequitur, esse possibi-
 lem progressionem infinitam huiusmodi partium
 proportionalium in proportione duplâ, qua tota
 , exceptâ primâ eius parte, intra spatium ipsius
 primæ partis concludi citra penetrationem
 possit, quin illud totum repleat, iuxta demonstra-
 tionem faciã supra circa proposit. 1. in argu-
 mento 11. an. 167. & consequenter tale spatium,
 eum sit finitum, ex infinitis partibus proportio-
 nalibus, atque adeo ex infinitis indiuisibilibus
 compositum esse contra suppositionem quartam.
 Itaque si primâ pars dictæ progressionis iuxta
 sententiam dictam possibilis sit digitalis, hoc est
 spatij digitalis occupatiua, eâ sublata, pars se-
 cunda replebit dimidium talis spatij, cui si
 202 adiungantur cæteræ omnes infinitæ (quæ suppo-
 nuntur possibiles, atque adeo illi adiungibiles)
 suo ordine citra omnem omnino earum penetra-
 tionem, & inclusionem, nequebunt omnes simul
 replere alterum ipsius spatij dimidium, vt loco
 citato est demonstratum pulchrâ demonstratione
 ad rem recolendâ. Ex quo patet, tale spatium,
 cum sit reipsâ capacitas quadam infinitarum
 partium sese vicissim excludentium dictæ infinitæ
 progressionis, non posse non iuxta sententiam
 istam ex totidem partibus infinitis sese excluden-
 tibus constare. Hinc autem sequi rursus, non
 posse non constare illud ex infinitis indiuisibili-
 bus, quorum quoduis alijs adiunctum faciat ma-
 ius, est manifestum. Primò; quia saltem non
 possunt ei negari totidem huiusmodi indiuisibilia,
 quot sunt partes illius infinitæ progressionis, de
 quarum qualibet est certissimum, quod alijs adiun-
 cta facit maius. Secundò; quia, cum tales partes,
 licet indiuisibiles formaliter, virtualiter extensæ po-
 nantur, hoc est occupatiua spatij extensi, & diuisibi-
 lis, nequit non tale esse spatiolum, cuius vnaque
 pars prædictæ seriei est occupatiua intra spatium
 digitale prædictum. Cumque insuper, vt vnaque-
 que pars, utpote indiuisibilis, spatiolum diuisibile
 sibi respondens repleat, & debeat in omnibus
 eius particulis replicari iuxta proportionem secun-
 dam, & illud debeat ex solis indiuisibilibus com-
 poni iuxta suppositionem tertiam: conficitur,
 vnumquodque infinitarum spatiolorum corre-
 spondentium infinitis partibus prædictæ seriei in-
 tra spatium digitale prædictum ex aliquibus indi-
 uisibilibus (quorum quodlibet alijs adiunctum fa-
 cit maius) compositum esse; atque adeo tale spa-
 tium digitale non solum constare ex infinitis in-
 diuisibilibus huiusmodi, sed horum infinitam
 multitudinem longè esse maiorem multitudine
 infinitæ partium seriei collocabilis, siue possi-
 bilis intra ipsum. Cum igitur, cuncta hæc im-
 possibilis esse, constet ex statutis principijs,
 201 concluditur tandem, sententiam Aduersario-
 rum, ex qua manifestè sequuntur, omnino falsam

esse. Quod nobis probandum erat propositum.
 Restat, vt ostendamus, quomodo illa sit inu-
 204 tilis ad euadendas difficultates quanti continui.
 Et primum hoc ipso, quod est falsi, est talis:
 quia, quod non est verum, ad nihil est vtile. Sed
 est esset vera, adhuc esset inutilis. Quia, cum
 ea reuerà non ponat continuum diuisibile sine fine
 in ea, quæ insunt in ipso continuo de facto.
 Sed per abusuum modum loquendi, eatenus so-
 lum pronuntiet, esse diuisibile in infinitum, qua-
 tenus ultra partes finitas indiuisibiles, ex quibus
 solis de facto componitur, & in quas solas reu-
 ra est diuisibile finitè; alia virtualiter minores,
 & alia minores, & minores in infinitum, quæ
 tamen non insunt, sunt possibiles. Consequens
 est, vt per talem sententiam nec satisfieri possit
 argumentis mathematicis, quæ probant conti-
 nuum in ea, quæ insunt, esse diuisibile sine fine,
 vt vidimus proposit. 1. nec satisfieri possit argu-
 menti physici, quæ probant huiusmodi continui
 in ea, quæ insunt, diuisibilitatem sine fine, neu-
 tiquam posse physicam esse, vt videbimus pro-
 posit. 6. Per quæ iam præsens propositio quoad
 omnes partes suas probata manet.

Propositio 5.

Partes, ex quibus quantum continuum
 205 mathematicum constat iuxta dicta proposit.
 1. & 2. non physicè, & reipsâ, sed per ra-
 tionem nostram dumtaxat sunt diuisibiles in
 infinitum.

Primum pro hac propositione, & mihi cui-
 dens argumentum ex iam monstratis circa pri-
 mam, secundamque propositionem desumitur.
 Si enim ex vna parte quantum continuum mathe-
 maticum ex partibus constat sine fine diuisibili-
 bus, ex alia verò tales partes in illo non actu, sed
 potentia solum sunt infinitæ, vt in dictis propo-
 sitionibus est statutum: euidenter, me quidem
 iudice, consequitur, eiusmodi partes non phy-
 sicè, & reipsâ, sed solum per rationem nostram
 sine fine diuisibiles esse.

Cuius rei demonstranda gratiâ suppono pri-
 mò vt omnino certum ex dicendis vberius infra
 206 disp. 13. omne infinitum in potentia in statu exi-
 stentiæ, quod tantum est secundum quid infinitum,
 supponere infinitum in actu, quod simpliciter tale
 est, in statu possibilitatis. Si enim, posita in statu
 existentiæ quavis multitudine vnitarum finitâ, alia
 maior potest poni, & posita hæc, alia maior, & rur-
 sus alia maior in infinitum, quod ipsum est, has
 positiones multitudinum finitarum, seu numero-
 rum esse infinitas in potentia in statu existentiæ,
 necessum planè est, multitudinem vnitarum pos-
 sibilium, vnde illæ extrahuntur, in suo statu pos-
 sibilitatis actu, & simpliciter infinitam esse; alio-
 quin verum non esset, vt supponitur, posita qua-
 uis multitudine finitâ vnitarum, posse aliam maio-
 rem poni. Siquidem posita multitudine omnium
 vnitarum possibilium, nullâ relicta, esset posita
 aliqua multitudo finita, qua maior non esset po-
 nibilis, utpote non possibilis. Secundò suppono
 etiam vt certum, partes, in quas quoduis totum
 physicè diuisibile est, necessariò debere interse
 esse distinctas physicè, etiam dum sunt in ipso toto
 ante diuisionem: quia in ea, quæ non sunt ita
 distincta physicè neutiquam potest quidpiam phy-
 sicè diuisibile esse, vt circa proposit. 3. clarè mon-
 stra.

stratum est. Cum tamen per nostram rationem bene possit aliquid esse diuisibile in ea, quæ sunt physicè idem; vt pote per quam tam distinctio eorum ad diuisionem præ requisita, quam diuisio ipsa est factibilis iuxta doctrinam à nobis latè traditam in Pharo Scient. disp. 13. quæ ad rem videnda. Hinc suppono tertio etiam vt certum, in tot solum partes posse quoduis totum physicè diuidi, ex quot tanquam ex extremis inuicem inter se distinctis physicè compositum est. Vnde suppono quarto etiam vt certum, non plures posse quoduis totum physicas diuisiones subire, quàm habet partes reipsà physicè inuicem distinctas. Subindeque diuisiones eius physicas possibiles plures non esse in suo possibilitatis statu, quàm partes physicè inter se distinctas habet actu ipsum totum in statu existentis, quando existit; vt etiam constat ex dictis circa propos. 3. & 4. Suppono quinto etiam vt certum, quoduis totum, quantumuis indiuisibile physicè, in tot partes posse per intellectum nostrum diuidi, quot potest idem intellectus in eo inuicem distinctas concipere. Facta que ab intellectu nostro qualibet partium distinctione, aliam, & aliam sine fine effici posse. Quod & experientia ipsa conuictis est notum; & in Pharo disp. citata multis monstratum.

307 Ex his principijs demonstro planè propositionem. Si enim quantum continuum mathematicum ex partibus actu infinitis inuicem physicè distinctis non est actu compositum, vt ex propos. 1. & 2. probatum supponitur; physica diuisiones eius possibiles non erunt infinitæ actu, & simpliciter in suo possibilitatis statu; quia nequeunt esse plures physica diuisiones possibiles, quàm partes physicè inter se distinctæ totius diuidendi, iuxta principium quartum. Vnde iuxta principium primum diuisiones physicè factibiles actu quanti prædicti non erunt infinitæ in potentia, quod ipsum est, non esse illud in infinitum diuisibile physicè. Subindeque neque eius partes physicè, & reipsà in infinitum diuisibiles esse. Quæ est prima pars propositionis. Ex qua sequitur manifestè secunda. Si enim partes quanti prædicti in infinitum sunt diuisibiles, vt propos. 1. & 2. monstratum est, & non sunt in infinitum diuisibiles physicè; relinquatur, vt per rationem nostram dumtaxat in infinitum diuisibiles sint. Id quod ex principijs statutis etiam ostenditur; quia ad diuisionem per rationem non prærequiritur multitudo partium aliàs inuicem inter se distinctarum: cum ab eodem intellectu simul tum diuisio, tum distinctio partium possit easci iuxta principium secundum. Cumque intellectus noster, facta quauis distinctione rationis, aliam, & aliam possit efficere sine fine in quouis obiecto proposito etiam physicè indiuisibili, iuxta principium quintum. Conficitor, tamen quantum supra dictum ex partibus actu infinitis non componatur, diuisiones nihilominus eius possibiles ab intellectu nostro oriundas simpliciter esse infinitas in suo statu possibilitatis. Atque ita iuxta principium primum, illud ab intellectu nostro sine fine diuisibile esse, ex partibusque constare per nostram rationem diuisibiles sine fine. Quod erat ostendendum.

308 Secundum argumentum pro datà propositione sit. Vt aliquod quantum sit physicè diuisibile in infinitum, necesse est, quod sit actu compositum ex partibus physicè inuicem distinctis actu infinitis, vt constat ex principio primo nuper

statuto. Sed impossibile est, vt aliquod quantum finitum (de quo tractamus) sit actu compositum ex partibus physicè inuicem distinctis actu infinitis, vt ex propositionibus seqq. abundè constabit. Ergo impossibile est, vt aliquod quantum finitum sit physicè diuisibile in infinitum. At quantum continuum mathematicum finitum est, vt constat. Igitur nequit esse physicè diuisibile in infinitum. Cum ergo in infinitum sit diuisibile, vt est demonstratum propos. 1. & 2. consequens est, vt tale sit per rationem nostram dumtaxat.

Verum contra propositionem istam, opponi potest primò. Obiectum Geometriæ, aliarumque mathematicarum scientiarum non potest esse quid impossibile, & chymæricum, sine per rationem nostram fictitium. Incredibile quippe est, tam multas, tam certas, tam euidentis, tam mirabiliterque connexas veritates, quales hæ scientiæ in suo obiecto deprehenderunt, indiesque deprehendunt, in obiecto non vero, sed fictitio, siue chymærico reperiri. At, si obiectum Geometriæ, aliarumque mathematicarum scientiarum per solam nostram rationem, atque adeò non, verè, sed fictitiè esset in infinitum diuisibile, & fictitium subinde, chymæricumque obiectum esset. Igitur non per rationem solum, sed reuera, & physicè est illud diuisibile in infinitum.

309 Respondeo primò, est obiectum Geometriæ, aliarumque mathematicarum scientiarum, quæ tale, impossibile assereretur, eoque titulo chymæricum, atque fictitium, nihil absurdè prætexti per hanc obiectionem assertum iri. Nam & obiecta impossibilia multarum veritarum certarum, euidentium, ac mirabiliter connexarum fecunda sunt, atque adeò idonea ad terminandas scientias humanas. Quamquam enim non possunt absolute existere, habent tamen suas essentias, seu quidditates obiectiuas cum multis passionibus, & proprietatibus tum manifestis, tum occultis, in quibus inuestigandis, & inueniendis scientiæ humanæ occupari possunt. Imo de facto magna ex parte occupantur. Bona quippe pars Mathematicarum scientiarum humanarum primæ in perferendis naturis, atque passionibus obiectorum impossibilium disenta est. Et ne longius abeamus à præsentis proposito Arithmetica speculatiua, siue Algebra, inter scientias mathematicas fortasse nobilissima, magna ex parte agit de numeris minoribus, quàm nihil, qui impossibiles sunt, tam latèque patent, quàm possibiles, necnon de radicibus surdis, qui etiam sunt numeri impossibiles. Ex quibus nihilominus multas, mirabilesque veritates elicit. Et vniuersim, quoties quæuis humana scientia ex hypothesi impossibili arguit, quod passim sit, præsertim in mathematicis; eo ipso circa obiectum impossibile versatur, multaque subinde ex illo hypotheticas veritates obicit eruit dicursu suo. Si enim ex hypothesi antecedentis non esset semper verum consequens, neque dicursus bonus esset, vt semper est, si fiat iuxta scientiæ præscriptum. Itaque impossibilitas obiecti non obstat, quominus illud sit obiectum amplissimæ scientiæ.

310 Caterùm respondeo secundò, non ideo censendum esse obiectum absolute impossibile quantum continuum mathematicum, quod per nostram rationem tantum sit illud diuisibile in infinitum, sicque à mathematicis diuidatur, dum illud speculantur. Nullum enim est obiectum scientiarum magis possibile, quàm Deus necessariò

existens. Quod tamen dum speculatur tam Meta-
 physica, quam Theologia in multas formalitates,
 ac veluti partes diuidunt per solam rationem, de
 quibus perinde tractant seorsim, ac si physicè dis-
 tinctæ essent. Sic quædam pars Theologia seorsim
 agit de omnipotentia Dei, eius conceptum qui-
 ditatum exponendo, & proprietates indagando;
 quædam de scientia; quædam de voluntate
 Dei; & aliæ de existentia, & essentia; de vni-
 tate; de immensitate; de æternitate; de infinitate,
 &c. ac demum quædam de attributis Dei gene-
 ratim illa omnia inuicem comparando, ac si
 reipsa, & physicè distincta essent. Cum tamen
 reipsa & physicè vnumquid prorsus, & idem
 sint, à soloque humano intellectu profatu præ-
 senti distincta, diuisaque concipiuntur. Ut igitur
 omnipotentia Dei, aut eius voluntas non di-
 citur obiectum impossibile scientiæ humanæ;
 tametsi, vt ab hominibus concipitur distincta,
 diuisa ve ab alijs Dei formalitatibus, à parte rei
 non possit existere; eo quod à parte rei neuti-
 quam potest esse distincta, siue diuisa ab illis; ita
 circulus, triangulum, quadratum, & quæuis
 aliæ partes quanti geometrici non sunt dicenda
 obiectum impossibile: tametsi prout à Geometris
 concipiuntur distincta, diuisaque ab alijs partibus,
 cum quibus realiter sunt idem, à parte rei non
 possint existere. Tantumdemque est dicendum de
 partibus aliorum mathematicorum quantum
 ab alijs partibus eorundem solâ ratione distin-
 ctis, siue diuisis.

Neque iniustatum est Mathematicis per so-
 lam rationem in infinitum diuidere ea, quæ reipsa
 & physicè sunt indiuisibilia; quandoquidem vni-
 tates, ex quibus componuntur numeri, & quæ in-
 diuisibiles censentur, vtpote rebus etiam physicè
 indiuisibilibus conuenientes, vt Angelis, animis
 rationalibus, punctis quantitatibus, &c. in infini-
 tum diuidunt Arithmetici per alios numeros,
 quos fractos, siue fractiones, siue minutias vo-
 cant. In quibus nihilominus minutijs per ratio-
 nem solam distinctis discutiendis, & speculandis
 didicimus vt minimum totius suæ operæ impen-
 dit Arithmetica. Quid ergo mirum, quod Geo-
 metria, & aliæ scientiæ mathematicæ diuidant in
 infinitum quantum continuum reipsa in infini-
 tum non diuisibile; quando Arithmetica in infini-
 tum diuidit quantum discretum; reipsa pariter
 non diuisibile in infinitum?

Et quidem demonstrationes arithmeticas eo-
 dem omnino modo locum habere in quantitati-
 bus discretis, nimirum in numeris, siue illi sint
 numeri formalitatum sola ratione distinctarum,
 siue sint numeri aliarum rerum distinctarum reali-
 ter, siue vtrarumque mixtè numeri sint, indubi-
 tatum prorsus est. Quid ni ergo demonstrationes
 geometricæ eodem modo locum habebunt in
 quantitatibus continuis, nimirum in lineis, su-
 perficiebus, ac solidis, & quæ ex eis componuntur,
 siue illæ realiter, siue per nostram rationem,
 siue partim realiter, & partim per nostram ratio-
 nem compositæ sint, & diuisibiles? Et idem est
 de reliquis scientijs mathematicis, quæ circa
 alias quantitates continuas versantur. Quippè
 omnes istæ facultates, vt præcindunt à materiâ
 obiecti quanti, quod speculantur, non curantes
 vtrum materia sit hæc, aut illa, dummodo for-
 ma quanti, in quod vnaquæque tendit, semper
 retineatur; ita etiam abstrahunt à compositione,
 & diuisibilitate, seu diuisione ipsius obiecti, non
 curantes, vtrum sit ea vel realis, vel rationis,

vel mixta, quando non magis illis interest
 quod sit vna, quam alia, vt semper, aut plerun-
 que fit.

Sed adhuc potest contra dicta opponi se-
 cundo. Quantum continuum in infinitum non
 diuisibile, atque adeo ex solis punctis finitis com-
 positum suam essentiam obiectiuam habet, vt
 est notissimum, atque adeo innumeras, imò infi-
 nitas passiones tum communes, tum proprias:
 hoc namque commune est omni essentis; vt in
 Pharo nostro Scientiarum disp. 17. quæst. 18. mon-
 stratum est. Igitur non minus est illud idoneum
 obiectum scientiæ humanæ, quam quantum con-
 tinuum in infinitum diuisibile. Ergo, cum ma-
 thematicæ disciplinæ in hoc, non in illo specu-
 lando incumbant, & semper ab initio incubue-
 rint; signum est, hoc solum esse verum, possibi-
 leque quantum continuum; illud verò chymæri-
 cum, & impossibile. Vel dicatur, cur Mathema-
 tici in hoc præ illo speculando totam suam ope-
 ram impenderunt, nec perdidit sanè cum-
 oleo. Siquidem tam mirabiles circa ipsum scienti-
 as contexerunt.

Respondeo, omnes mathematicas scientias
 sub paucis quibusdam vniuersalibus rationibus
 respicere omnia quanta, in quæ tendunt, siue con-
 tinua, siue discreta: nempe quatenus inuicem
 comparata aut proportionem aliquam, aut pro-
 portionalitatem habent, aut aliquod aliud præ-
 dicatum contactus, sectionis, circumscriptionis,
 &c. vel illis carent. Omnis enim mathematica
 demonstratio eo plerumque dirigitur, vt ostendat
 duas, aut plures quantitates aliquam proportio-
 nem habere aut æqualitatis, aut inæqualitatis siue
 maioris, siue minoris. Vel vt ostendat tres vel
 plures quantitates proportionales, aut secus esse,
 hoc est, qualem proportionem habet prima ad
 secundam, talem habere, aut non habere secun-
 dam ad tertiam, vel tertiam ad quartam, &c.
 Interdum vero dirigitur ad demonstrandum,
 vnam quantitatem taliter dispositam, siue descrip-
 tam debere aliam tangere, aut secare, aut cir-
 cumscribere, &c. Quod vel mediocriter versatis
 in istis scientijs est notissimum. Cumque omnis
 proportio, & proportionalitas, & cetera fere
 prædicata indifferentia sint, vt vel in magnis, vel
 in paruis quantitatibus reperiantur, adeo, vt nulla
 proportio, nulla proportionalitas, aut etiam nul-
 lum aliorum prædicatum sit in quibusuis quan-
 titatibus quantumuis exiguis repertum, quod in
 minoribus, & in minoribus eiusdem rationis re-
 periri non possit, casu quod quibuslibet datis,
 aliæ minores eiusdem rationis dari possint, &
 aliæ minores sine fine; (quippe magis, & minus
 non variant speciem, vt fert vulgatum axioma);
 idcirco vniuersalitas scientiæ iure sibi poposcit,
 vt Mathematici quantum in infinitum diuisibile,
 ac minorabile, vt sic dixerim; sibi speculandum
 præfigerent, ordines scilicet circa illud suam
 scientiam ex hypothesi quod tale sit, siue hæc
 hypothesi reipsa, siue in intellectu solùm eorum
 absolutè subsistat. Vnde iam vides, cur Mathema-
 ticæ demonstrationes titulo suæ vniuersalitatatis, hoc
 ipso, quod in quantum proportionibus, pro-
 portionalitatibus, aliisque commemoratis præ-
 dicatis ostendendis distent sunt, non possint
 non ex suppositione procedere, quod quanta ipsa
 in infinitum diuisibilia, atque minorabilia sint.
 Et cur Mathematici talia quanta sub eis rationi-
 bus sibi propofuerint speculanda; non verò itidem
 quanta finitè tantam diuisibilia, qua talia. Ta-
 meti

metri & hæc sub eam partem Arithmetice cadant, quæ tractat de numeris integris, utpote quorum singula ex certo numero punctorum composita sunt; præterquam quod sub alijs rationibus sub Physicam etiam, & sub Metaphysicam cadunt.

216 Adde, Geometras multa supponere in quanto continuo, quod sibi speculandum proposuerunt, quæ in quanto continuo physico aut non dantur de facto, aut nullo modo dari possunt. Supponunt namque primò, indiuisibile additum, quanto nullatenus facere illud maius. Secundò, quoties duo quanta se tangunt in aliquo indiuisibili, tale indiuisibile utriusque quanto esse commune; vel quia reuera est vnicum; vel quia, si duo sunt, in eodem spatio penetrantur. Tertiò, à quouis puncto ad quouis punctum posse duci lineam rectam. Quartò, à quouis lineâ in quamuis lineam posse extendi superficiem planam. Quintò, ex quouis puncto per quouis punctum posse describi circulum. Sextò, quoduis quantum in plura quanta diuidi posse, atque adeò in infinitum diuisibile esse, ut diximus. Septimò denique alia multa ex istis sequuntur; quæ à quanto continuo physico aliena sunt, prout ex dicendis apparebit. Hæc autem omnia supposuerunt Geometre in obiecto scientiæ, quam moliebantur; vel quod putarunt; ea de conceptu quidam esse omnis quanti continui extensi localiter; vel certè quia planè videntur, quantum talibus conditionibus præditum aptissimum, expeditissimumque obiectum esse geometricarum speculationum, quæ per figurarum descriptiones eisdem conditionibus indigentes procedant. Parumque subinde curarunt, an conditiones ipsæ in tali obiecto reipsa, & physice darentur, aut dari possent, vel tantum per rationem. In quo etiam cæteri Mathematici Geometras imitati sent quoad cætera quanta continua, quæ more mathematico speculantur, supponentes in eis aliquas conditiones, quas reipsa habere nequeunt, sed tantum per rationem.

217 Tertiò contra dicta potest opponi. Geometria, Mechanica, & aliæ mathematicæ disciplinæ aut simpliciter, aut bona ex parte sunt scientiæ practicæ. Ergo possibile est ad praxim reducere, atque adeò ad materiam physicam transferre, quæ illæ demonstrant. Ergo quantum physicum, & quantum mathematicum, quod illæ habent pro obiecto, earundem omnino sunt conditionum; atque adeò illud non solum per rationem, sed physice habet, tum posse in infinitum diuidi, tum cætera, quæ Mathematici in ipso supponunt. Respondeo, scientias prædictas ita esse practicas bonæ ex parte, ut non opus sit, quod possint ad praxim reduci, transferrique ad materiam physicam, quæ ab eis demonstrantur, aut supponuntur, sub eâ exquisitâ perfectione, sub qua demonstrantur, aut supponuntur; sed sat sit, quod possint reduci, & transferri crassiori quodam, atque consimili modo, aut non desciscente sensibiliter, aut certè parum desciscente à perfectione dictâ. Itaque, ut dicatur Geometria scientia practica, quatenus practice docet à puncto in punctum ducere lineam rectam; super datam lineam rectam triangulum æquilaterum facere; perpendicularem excitare; quadratum describere; per tria data puncta describere circulum; bisariam datam lineam, aut quamuis aliam quantitatem secare, &c. necesse non est, quod nos tali scientiâ ducti possimus cuncta hæc talia in quanto physico exequi, qualia scientia ipsa præscribit; sed sufficit, quod possimus exequi val-

de ad similia, seu parum discrepantia, seu quæ talia videantur ad sensum, etsi reuera talia non sint.

218 Quod ut plane perspicias, nota primò, corpuscula illa, quæ minima visibilia dicuntur, eò quod minora naturaliter videri non possunt, qualia fere sunt; quæ radij solis fenestris traiectione demonstrant, atomi vulgò nuncupata, si non ex infinitis, ut multi putant, ex prope innumeris particulis indiuisibilibus constare. Dixerim, quoduis minimum visibile ex decies centenis millibus, siue ex milione partium indiuisibilium quidem scorsim, sed adhuc in plures diuisibilium, ut minimum constatum esse. Etenim, si per instrumentum recens inuentum, quod Engyscopium dicunt, illud inspicias, eius diameter centupla ferme tibi apparebit, atque sine instrumento visa. Vnde, quia sphaera, ut demonstrat Euclid. lib. 12. Elem. proposit. 18. in triplicatâ ratione sunt suarum diametrorum; sphaerula minima visibilis intra Engyscopium visa ad se visam extra proportio nem habebit quam habet millio ad unitatem. Siquidem ex his quatuor numeris continet proportionalibus proportione centupla 100000. 10000. 100. 1. primus ad quartum triplicatam rationem habet eius, quam habet ad secundum (atque adeò eius, quam tertium habet ad ipsum quartum) iuxta definit. 10. lib. 5. Elem. Ex quo colligitur, tantulam sphaerulam ex tanto saltem particularum numero compositam esse, quantum singula adhuc manerent visibiles scorsim intra Engyscopium, utpote minima visibilia intra illud. Quod argumentum est, earum quamlibet in plures alias minores omnimodisque iam indiuisibiles adhuc diuisibilem esse. Ut hinc tandem deprehendas, ex quâ ingente numero punctorum indiuisibilium quoduis corpusculum ex minimis visibilibus erit compositum iuxta sententiam, quæ quantum physicum ex punctis finitis componit. Id quod agnosces insuper, si acrum animalculorum minimum, ut fertur, intra Engyscopium contempleris; ibi enim deteges in illo rostrulum cum proboscida ad fungendum sanguinem, deteges plura cura, & pedes; plures caudulas, siue villos, plures cutis asperitates; quod si ex distinctè visis ad ea, quæ latent, aduertas animum, iure colliges in eo tantillo corpusculo, utpote viuente sensibilis; omnia instrumenta esse oportere, quæ nutritioni, cæterisque functionibus vitæ, sensusque à natura sunt destinata. Quantula igitur erunt in animalculo tam subtili stomachus, intestina, iecur, cor, cerebrum, venæ, arteriæ, nerui, muscoli, fibræ, tendones, ossa? quantula organa singulorum sensuum visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, aliorumque interiorum? quantula demum cætera cuncta, sine quibus nequit intelligi animal nutrire, sentire, appetere, atque moueri? Quæ rursum singula ex multis particulis dissimilibus, necesse est, esse composita; particulae autem dissimiles non possunt non ex alijs similibus constare. Ut hinc appareat, quàm multæ diuisiones præire debeant, ut quantum physicum in puncta tandem indiuisibilia, si ex illis solis componitur, diuidatur, & quàm remota à nostris sensibus sint eiusmodi puncta.

219 Vnde secundò notandum sequitur, operam mathematicam nunquam in praxi talia euadere, qualia per scientiam præscribuntur. Nulla enim superficies extima adeò exquisitè est perpolitata, ut penitus sit perfecte plana, neque vllis quasi

vallicellis, monticulisque sit inæquabilis: nullamque subinde lineam in superficie externâ descriptam adeo rectam reperies, in qua non sint multæ particulae aut subsultantes, aut depressæ, aut inflexæ; nullam seu rectam, seu circularem, seu quouis modo curvam, quæ exactè sit linea omni latitudine, atque profunditate expers, & non potius exilè quoddam solidum aliqua latitudine, atque profunditate præditum. Vnde neque vllum circum, triangulum, quadratum, neque vllam spheram, conum, parallelepipedum, aliam ve quamlibet figuram seu planam, seu solidam arte factam reperire est, quæ non ab ijs multum desciscat, quas Geometria præscribit: tametsi sæpe insensibiliter. Iam quis vnquam hominum poterit quantitatem quamuis propositam exactè, prout præscribit scientia, diuidere? Cùm & instrumenta ipsa secandi, siue scindendi non adeo acutæ aciei possint esse, quæ non aliquam adhuc retineat latitudinem, aliquamque inæquabilitatem quoad longitudinem ob innumeras insensibiles fossulas, quas vel lima dentiuli, vel cotis granula exacuendo creauerint, atque reliquerint. Circuli autem crura quis ita exacuat, vt punctum dumtaxat, lineamque tangat, & signet quantitatis secundæ, & non potius extensam quamdam eius particulam innumeras alias, quæ sensus fugiunt, suo ambitu complectentem? Ex quo patet, nullam scitionem quantitatis prædicæ fieri, quæ non innumeris particulis à præscripto artis exorbitet: tametsi error persæpe profusus sit insensibilis. Quod satis est, vt artis opus perfectè factum asseratur, eà nimirum perfectione, quam licet ad praxim deducere. Per quæ solutio argumenti tertij proposita satis superque conspicua manet. Quomodo autem ne intra ipsa quidem quanta physica naturaliter reperiuntur tot superficies planæ, & tot lineæ rectæ, aut circulares, tot demum figuræ, aut planæ, aut solidæ, quot Mathematici speculantur, ex dicendis in seqq. à proposit. 3. apparebit.

Propositio 6.

320 Quantum continuum physicum ex partibus in infinitum diuisibilibus reipsa, & physicè aut solis, aut mixtis cum indiuisibilibus eas copulantibus, ac terminantibus nullatenus potest esse compositum.

Sermo est in propositione de quanto physico tam extenso, quam intenso aut localiter, aut temporaliter, aut vtroque modo, atque adeo de omni omnino quanto physico tam permanente, quam successiuo. Nullum enim censemus esse possibile, quod sit compositum ex partibus reipsa, & physicè diuisibilibus sine fine; diuisibilitate scilicet propriè dicta in eà, quæ insunt, de qua modo loquimur: quidquid sit de abusiua illâ inducta à quibusdam, quam reieciimus proposit. 3. In sensu quippe proprio, ab omnibusque visitato communiter procedit præsens propositio.

221 Pro qua sit argumentum primum illud theologicum, quo iam illam demonstratam reliquimus disp. 5. quæst. 6. proposit. 31. Impossibile quippe est, dari aliquod quantum, cui Deus ratio- ne sua immensitatis non sit intimè, præsens, & penetratus adæquatè localiter. Sed Deus non potest esse intimè præsens, & penetratus adæquatè localiter quanto composito ex partibus physicè

diuisibilibus in infinitum. Ergo tale quantum est impossibile. Consequentia legitima est. Maior certa secundum fidem. Minor demonstrata loco citato; vbi eius demonstratio videnda. Eodemque pacto sit argumentum ab æternitate Dei, quæ non potest non temporaliter penetrari adæquatè cum omni ente existente; & tamen cum quanto successiuo composito ex partibus in infinitum physicè diuisibilibus non potest temporaliter penetrari adæquatè. Vnde similiter consequitur tale quantum impossibile esse; prout pariter disp. 8. quæst. 4. proposit. 24. demonstratum est; vbi etiam demonstratio videnda.

Secundum argumentum sit illud Zenonis, 222 quo non semel Aristoteles vexatus est. Potestque sic formari. Si quantum continuum esset compositum ex partibus in infinitum diuisibilibus reipsa, & physicè, dum aliquod de loco in locum finito tempore mouetur, infinitas spacij intermedij partes successiuè, atque adeo veluti singulas numerando pertransiret. Prius namque, pertransiret, atque adeo numeraret alterum cuiusuis partis dimidium, quàm alterum: essent autem in datâ hypotthesi infinita dimidia. At est impossibile, in tempore finito aliquam multitudinem infinitam successiuè numerando singula, ex quibus componitur, pertransire. Igitur quantum continuum non est compositum ex partibus in infinitum diuisibilibus reipsa, & physicè. Huic argumento respondit prius Arist. in lib. 6. Physicorum, tempus finitum æquè, ac spatium finitum, habere infinita dimidia, atque adeo nullum esse inconueniens, vt in tali tempore talia infinita successiuè pertransiantur. Verum, quia argumentum propositum in ipso tempore fieri potest, ex quo non est ad aliud tempus recurrere; illud repetens Aristot. in lib. 8. Phys. cap. 8. cum solutione datâ, aliam addidit vniuersalem dicens, idcirco quantum continuum finito in tempore successiuè pertransibile esse; quia in eo non actu, sed potestate solum sunt infinita dimidia. In continuo autem, inquit text. 68. insunt quidem dimidia infinita, sed non actu, sed potentia sunt; & mox, Quare ad interrogantem, si fieri potest, vt in tempore, aut in longitudine pertransiat quispiam infinita; partim posse, partim fieri non posse, dicamus oportet. Si enim infinita sine actu, fieri nequit, si vero potentia, fieri potest.

Verum enim verò, Cùm sit manifestè im- 223 possibile, vt continuum in infinitum, siue in infinita dimidia sit diuisibile reipsa, & physicè, quin actu compositum sit ex dimidijs actu infinitis, vt supra proposit. 5. in primo argumento monstratum est. Non abs iure fortasse credi posset, Aristotelem in nostrâ eadem sententiâ esse renerâ: atque ita, quoties continuum in infinitum diuisibile ponit, dumtaxat de diuisibilitate mathematicâ ab intellectu oriundâ; non item de physicâ loqui. Id quod contextus citati capitis etiam videtur indicare; vt legenti attentè constabit.

Cæterum suppositâ diuisibilitate physicâ in 224 infinitum quanti continui, quam hæcenus Aristotelici communiter tutati sunt, premamus contra eos paulò vrgentius argumentum Zenonis primò in motu successiuo continuo, siue lationis, siue cuiusuis alterationis; deinde in ipso tempore, suppositis ijs, quæ supra proposit. 1. in vndecimo argumento tradidimus de progressionibus continuis proportionalitatis geometricæ à proportionem maioris inæqualitatis, quæ ad rem præsentem sunt recolenda. Sit quiuis motus successiuus,

fius, & continuus durans per quoduis tempus, a termino scilicet A vsque ad terminum F, vt cernitur in linea AF, quæ nobis loco motus sic claritatis gratiâ. Dico, si talis motus in infinitum est diuisibilis, mobile, quod per illum in se receptum mouetur, & posse intra tale tempus, & nunquam posse illum totum in se recipere: quod est chymæricum. Etenim, si in infinitum est diuisibilis, diuisibilis erit primo bifariam per B;

A B C D E F

dimidiumque eius BF bifariam similiter diuisibile erit per C; & iterum CF per D; & DF per E; & ita deinceps sine fine. Quo fiet progressio partium proportionalium proportione duplâ, cuius versus terminum F nulla omnino sit vltima, vltra quam aliæ, & aliæ in infinitum non possint accipi. Igitur accipienti, seu recipienti in se mobili (vt verè recipit, cum mouetur) prius partem motus AB; & post hanc partem BC; & post hanc partem CD; & post hanc partem DE; & sic deinceps semper vnâ post aliam secundum dictam proportionem, semper restabunt aliæ, & aliæ sine fine accipiendæ, seu recipiendæ. Atque ita nunquam poterunt esse omnes ab illo acceptæ, siue in eo receptæ. Cum constet totum motum cum omnibus suis partibus posse recipi in ipso mobili intra limitatum tempus, quo durat. Quæ erat contradictio ostendenda.

325 Deinde sit quoduis tempus finitum incipiens ab instanti A, & desinens in instanti F. Dico similiter, si tale tempus ex partibus sine fine diuisibilibus constat; & posse totum successiue transire; & non posse: quia transire non possunt omnes partes eius proportionales. Quod rursus chymæricum est. Quod possit transire, & de facto transeat, plûs est, quam certum. Quod non possit, sic demonstratur. Sumptâ itidem pro tali tempore lineâ propositâ; necesse est prius transire partem AB, quam partem BC; & partem BC prius, quam partem CD, & partem CD prius, quam DE; & ita deinceps sine fine iuxta progressionem partium proportionalium proportione duplâ nuper expositâ; nullaque est dabilis in tali progressionem pars proportionalis iam transiens, vltra quam non restent aliæ, & aliæ transituræ post sine fine, siue, quin sit dabilis vltima: alioquin residuum inter vltimam, & instans F ipsi vltimæ æquale amplius non esset in duo dimidia diuisibile contra suppositionem. Igitur impossibile est, omnes eiusmodi partes proportionales, atque adeo totum tempus AF coalescens ex illis transire. Quod erat ostendendum. Consequentia est euidens. Quia nulla series partium non habens vltimam, atque adeo ab eo latere infinita, potest vllatenus successiue vel transire, vel pertransiri; eo quod, quibusuis partibus acceptis, siue transactis, non possunt non semper aliæ, & aliæ sine fine accipiendæ, siue transituræ restare iuxta Arist. & omnes tract. de infinito. Aliâs multitudine infinita numerari successiue posset, atque numerando finiri. Quod omnium sententiâ fieri nequit, testante ipso Arist. supra text. 68. initio. Ipsaque tota æternitas à parte post infinita transire tandem integrè posset, atque adeo finiri, quantumuis nulla sit pars eius iam transiens vltra quam non super sint semper aliæ infinitæ. Quod tamen non solum rationi, sed fidei etiam aduersatur.

326 Dicet fortasse aliquis: seti series infinita partium aliquotarum, qualis est æternitas à parte post infi-

nita, non sit pertransibilis successiue; quia, quo latere caret vltimâ, nullum habet terminum adhuc extrinsecum; simpliciterque subinde est ab eo latere infinita: seriem tamen infinitam partium proportionalium successiue pertransibilem esse; quia etiam, quo latere caret vltimâ, eoque iure est infinita, terminum extrinsecum habet, vltra quem non progreditur, atque ideo non simpliciter, sed secundum quid dumtaxat est infinita: ab eo latere; vt cernere est in seriebus commemoratis partium proportionalium motus, & temporis, quæ intra terminos A, & F integrè concluduntur; atque ita sunt infinitæ versus terminum F, vt vltra ipsum non progrediantur.

Contra tamen est primò. Quia proprietatè omnium notissima multitudinis infinitæ tradita ab Arist. & recepta ab omnibus, vt infra disp. 13. monstrabimus, est, non posse eam pertransiri, vel numerari successiue, quidquid sit de naturâ vnitatum, ex quibus talis multitudo coalescit. Igitur quod vnitates multitudinis infinitæ sint partes proportionales, vel aliquotæ, impertinens est ad hoc, vt illa sit successiue imperransibilis, vel secus. Vnde, dato, quod multitudo infinita partium proportionalium posset inter duos terminos extrinsecos esse conclusa, vt adhuc maneret multitudo infinita, adhuc maneret itidem imperransibilis successiue, vt argumentum factum probat.

Contra secundò. Quia, si modò esset existens infinita multitudo Angelorum, Deusque decerneret, eos successiue destruere vnâ post alterum, ita, vt nullius destructio concurreret in eadem mensurâ temporis cum destructione alterius; nemo dixerit, esse possibile, vt post aliquod tempus finitum iam tota talis multitudo esset destructa. Fieret enim inde, vt illa & esset infinita, vt supponimus, atque adeo talis iuxta Aristotelicam infiniti definitionem, vt, quibusuis Angelis successiue destructis, alij, & alij semper, ac sine fine successiue destruendi restarent; & non esset infinita: quia, destructis omnibus successiue intra finitum tempus prædictum, alij destruendi deinceps non superessent. Quod est chymæricum. At si multitudo infinita partium proportionalium intra finitum tempus successiue transire posset, possibile planè esset, vt omnes Angeli infiniti prædicti successiue vnus post alterum intra finitum tempus destruerentur: quia nihil vetaret destruere Deum omnium eorum singulos in singulis infinitis partibus proportionalibus talis temporis, in singulis ve infinitis instantibus copulantibus tales partes. Igitur multitudo infinita partium proportionalium nec transire, nec pertransiri potest intra tempus finitum. Et confirmatur clarè. Quia nulla est excogitabilis pars proportionalis aut motus, aut temporis, quæ quoad extensionem temporalem maior non sit quolibet ente omnino indiuisibili, qualis est Angelus, vt constat. Ergo si, infinitam multitudinem Angelorum successiue numerari, ac numerando pertransiri in aliquo tempore finito, prorsus est impossibile iuxta dicta. Longe erit impossibilis, infinitam multitudinem dictarum partium in aliquo finito tempore pertransiri. Siquidem, quod vnâ quæque talium partium plus temporis, quam vnusquisque Angelus, ad suum transitum exposcat, ac sibi vendicet, necesse est, vt etiam est notissimum.

Contra tertio. Quia, si multitudo infinita partium proportionalium est pertransibilis successiue intra tempus finitum, sequitur planè etiam multitudinem infinitam partium aliquotarum

rum intra idem tempus successivè pertransibilem esse. Quod iure responsio data non fert. Id autem sequi, sic ostenditur. Quia Deus citrà omne dubium ita potest movere quodvis mobile versùs meridiem, seu replicando præsentiam eius, seu aliter celeritatem præbendo, ut, quo passu transeunt partes proportionales cuiusvis temporis finiti, aut aliud mobile pertransit partes proportionales spatij finiti, eodem mobile illud pertransit partes aliquotas spatij extensi versùs meridiem; ita, quòd singulis partibus proportionalibus illius temporis, vel motus singulæ partes aliquotæ huius æquè respondeant. Quod si Deus præstare velit, ut manifestè potest; iam intrâ tempus quadrantis horæ, vel intra quodvis aliud, quantumvis parvum, mobile illud à Deo motum infinitam multitudinem partium aliquotarum tum spatij, tum præsentia, & motus localis successivè pertransiet. Quod iure responsio data censetur impossibile. Quinimo totum spatium infinitum extensum versùs meridiem successivè pertransiet: quia citrà totum non sunt in eo infinitæ partes aliquotæ. Unde & aliud absurdum sequitur, nempe, tale mobile post peragratas successivè intra quadratam horæ omnes omnino partes aliquotæ spatij infiniti meridionalis in fine ipsius quadrantis & esse præsens ultra totum tale spatium, quia totum iam pertransiit, & non esse præsens ultra illud, quia non datur ultra. Quæ omnia plena contradictione sunt. Stet ergo, multitudinem infinitam partium proportionalium æquè, ac aliquotarum, quarumvisque aliarum unitatum, ex suo conceptu infinitudinis successivè impertransibilem esse. Proindeque quantum finitum, successivum, haud dubie pertransibile, in talem partium multitudinem nequiquam reipsa, & physicè divisibile esse; prout data propositio fert.

230 Pro qua sit argumentum tertium. Quod ordine inieris, atque præcedens, adhuc circa motum, aut tempus finitum fieri potest, considerando scilicet progressionem partium proportionalium eius à termino finali versùs terminum initialem. Ita enim concluditur, sequi ex sententiâ, quam impugnamus, nullum motum, nullumque tempus finitum posse vñquam incipere; & consequenter nullum posse vñquam existere. Quod est plus quàm absurdum. Si enim in motu, aut tempore finito non dum existente A F à termino F versùs A procedat progressio partium, in proportione duplâ, ut in argumento præterito procedebat à termino A versùs F, nulla erit ab F versùs A pars vltima talis progressionis, & consequenter neque vlla erit prima eiusdem, ab A versùs F, à qua talis motus, aut tempus possit incipere. Repugnabit ergo, ut incipiat; atque adeo etiam ut existat. Ut incipiat quidem: quia id, cuius nulla pars potest existere, antequàm alia non præexistere, incipere non potest, ut constat. Ut existat autem: quia, quod antea non existebat, & nequit incipere existere, simpliciter nequit existere, ut etiam constat. Quod autem Aduersarij dicunt, motum, & tempus incipere per vltimum sui non esse; non verò per primum sui esse: quia verum est dicere, in instanti A non est motus, nec tempus A F, sed immediate post erit, chymericum existimamus. Repugnat enim dari in aliquo instanti vltimum rei non esse, si immediate post tale instans non datur primum esse eius. Argumentum autem nostrum, intendit, suppositâ Aduersariorum sententiâ, post instans A motus, aut tempus A F nullum esse,

nedum primum, habere posse. Hoc enim ipso, quòd nulla est pars eius, possibilis, quæ sit primò futura immediate post instans A; eo quòd nulla est ante cuius existentiam non debeat, necessariò præexistere dimidium eius; consequitur planè, nullam esse partem eius, possibilem, quæ non expectet, ut existat præexistentiam alterius: quò fit, ut omnes necessariò in eâ persistant expectatione; quin possint vltatenus ad existentiam statim accedere. Unde concluditur, eo ipso, quòd nulla est dabilis pars prima post instans A; à cuius existentia positivè incipiat existere motus, aut tempus, A F, nequiquam talem motum, tale ve tempus posse incipere; & consequenter neque existere. De quo plura infra, argumento septimo.

231 Quartum argumentum sit illud etiam Zenonis, quod ipse vocabat Achilles. Sicque formatur. Si motus in infinitum divisibilis esset, res velocissima rem tardissimam, Achilles scilicet (dictus ab Homero pedibus celer) testudinem fugientem non posset assequi. At hoc est ridiculum. Ergo, Probatur assumptum. Sic Achilles decuplo velocior, quàm testudo; & cum eam, persequi incipit, vno stadio ab eâ distet; fietque, ut dum Achilles stadium istud percurrit, decimam alterius stadij partem testudo conficiat: quam decimam dum Achilles transmittit, aliam decimam eiusdem decimæ decurret testudo. Sicque progressio partium proportionalium spatij percurrendi secundum decuplam proportionem ibit in infinitum; semperque testudo vñ à talium partium proportionalium distabit ab Achilles. Nunquam igitur assequetur illam Achilles. Quod erat ostendendum.

232 Hoc argumentum censet Arist. lib. 6. Physic. cap. 9. idem esse atque aliud Zenonis, quod nos secundo loco posuimus; nisi quòd illud à divisione continui in infinita dimidia, atque adeo in infinitas partes proportionales proportione duplici ducatur: hoc verò ducitur à divisione continui in infinitas partes proportionales proportione decupla. Quare eandem quoque censet huius, atque illius solutionem esse. Caterùm, quam ipse, illi exhibuit ex eo desumptam, quòd continuum non actu, sed potentia solum infinitas partes proportionales habet, ea profectò, nisi in sententiam nostram cadat, prout ibi notauimus, nec ibi, nec hic sufficiens est. Nam, ut ex ibidem dictis constat, semel admissò, quòd continuum non mathematicè dumtaxat, atque adeo per nostram rationem, sed reipsa, & physicè sit divisibile in infinitum: præterquàm quòd statim sequitur, non posse non illud habere partes proportionales actu infinitas; quò corrui solutio Aristotelis; nec potest non in suo robore persistere tam hoc argumentum, quàm illud. Illud quidem propter ibidem dicta. Hoc autem propter eadem vno verbo resumpta. Si enim spatium, per quod Achilles, & testudo moventur in infinitum est divisibile reipsa, re quoque ipsa divisibile erit in seriem quendam partium proportionalium proportione decupla tam ab Achille, quàm à testudine decurrendam, quarum partium nulla sit dabilis ab illis transmissa, ultra quam aliæ, & aliæ sine fine non restent transmittendæ; quæ proinde series iuxta dicta loco citato tum ab Achille, tum à testudine impertransibilis erit. Cùmque Achilles vñ semper interpositâ talium partium à testudine distet; & hæc ab illo in tali cursu inassequibilis erit. Quod ut vel ipsis oculis cernas. Sic series prædi-

statum partium ABCDE, &c. Si enim, dum Achilles pertransit partem A, testudo pertransit partem B decuplo minorem, & dum Achilles pertransit partem B, testudo pertransit partem C decuplo iterum minorem, & ita deinceps; semper erit Achilles in fine partis præcedentis, quando testudo est in fine partis subsequenti; semperque subinde testudo spatio vnus partis proportionalis distabit ab Achille. En vim huius argumenti, quam multi non intellexerunt; atque adeo difficultatem de tarditate, & velocitate motus huc intruserunt; quæ quidem omnibus sententijs de compositione continui communis est, vt postea videbimus; adeoque à præsentate proposito prorsus aliena.

333 Quintum argumentum sit. Necessè est, vt omne quantum successiuum, quale est tempus, & motus, dum existentialiter fuit, in omnes partes, ex quibus physicè coalescit, vltimo diuidatur actualiter, & defacto. Ergo impossibile est, vt aliquod quantum successiuum componatur ex partibus sine fine diuisibilibus physicè. Consequentiã est euidens. Quia quod vltimò in omnes suas partes diuisum est, in partes amplius non diuisibiles, sed penitus indiuisibiles sit resolutum, necesse est. Alioquin & esset vltimò diuisum in omnes suas partes, vt ponitur, & non esset omnibus partes, in quas est diuisum, in alias adhuc diuisibiles essent. Probatur igitur antecedens. Quia nulla pars cuiusvis quanti successiuu coexistit simul cum alia parte eiusdem quanti, vt constat; alias non omnes sibi succederent quoad existentiam, atque adeo neque essent partes extensionis, seu successions temporalis, de quibus solis sermo est, vt pote ex quibus solis componitur quantum successiuum quæ tale iuxta dicta quæst. 2. Ergo nulla est pars cuiusvis quanti successiuu, quæ non existat actu diuisa ab omnibus alijs: siquidem non potest non esse actu diuisum existens à non existente. Ergo nulla est, quæ non existat diuisa vltimò, atque adeo amplius non diuisibilis. Alioquin non omnes existerent actu diuisæ: siquidem intra existentem non vltimò diuisam coexisterent inuicem indiuisæ, quæ illam componerent. Ergo necesse est, vt omne quantum successiuum, dum existentialiter fuit, in omnes partes, ex quibus physicè coalescit, vltimo diuidatur actualiter, & de facto. Quod erat probandum. Et consequenter, vt nullum componatur ex partibus sine fine diuisibilibus physicè.

334 Dicit fortasse aliquis, ad continuationem quanti successiuu non requiri coexistentiam partium, sed immediatam, seu non interruptam earum successionem: atque adeo ex eo, quod nulla pars coexistat alijs, non bene inferri, aut illas omnes inuicem esse actu diuisas, aut quantum esse in illas omnes actu diuisum. Cæterum responsio ista rem difficillimam tentat reducere ad controuersiam de nomine: nihiloque profus imminuit vim argumenti facti. Nolo modo contendere, an ad physicam vnionem, seu continuationem partium oppositam diuisioni physicæ, de qua tractamus, sit necessaria, vt videtur, ipsarum partium coexistentia in eadem mensurâ temporis. Proindeque abstinens à termino actualis diuisionis instauro aliter argumentum. Nulla omnino pars successions, seu extensionis temporalis componens quantum successiuum coexistit simul cum alia in eadem mensurâ temporis, vt est certissimum; quæ enim simul coexistunt in eadem mensurâ temporis non extensionis, sed intensio-

nis temporalis sunt partes, nec quantum temporaliter successiuum componunt, sed permaoens, vt constat. Igitur nulla omnino est pars successions, quæ, dum existit, non existat prorsus simplex, ac penitus indiuisibilis. Probo consequentiã. Quia, si qua, dum existit, ex alijs composita existeret, illa, ex quibus esset composita, & cum quarum collectione esset idem; & ei, & sibi inuicem necessariò coexisterent in eadem temporis mensurâ contra antecedens statutum. Necessè est ergo, vt quantum successiuum ex partibus tandem penitus indiuisibilibus, non verò ex semper diuisibilibus compositum sit. Quod prætendebat argumentum.

Respondent alij, etiam si nulla pars quanti successiuu coexistat alijs, quamlibet tamen nihilominus, dum existit, non simplicem, sed compositam ex alijs existere; quia eius existentiã non permanens, aut simultanea, sed successiua est; quæ subinde ex partibus successiuè auentibus potest, imò & debet esse composita. Quemadmodum totum ipsum successiuum reuerà existit iuxta sententiã omnium; & tamen, dum existit, non simplex, sed compositum ex suis partibus successiuè auentibus existit. Sed contra. Quia totum successiuum eatenus solum dicitur reuerà existere, quatenus vnaquæque pars eius in suo gradu successions reuerà existit. Cæterò quin simpliciter, & absolutè loquendo nunquam dici potest cum veritate, totum successiuum existere. Quia id solum dici potest cum veritate simpliciter, & absolutè existere, quod de præsentis existit. Totum autem successiuum nunquam existit de præsentis: quia nunquam existunt de præsentis omnes partes eius, vt constat. Vnde, quia si omnes partes totius successiuu ex alijs partibus coalescerent, eodem titulo nulla earum existeret absolutè, & simpliciter; quia nulla earum existeret vnquam de præsentis; necessum planè est, quod totum successiuum ex partibus tandem physicè indiuisibilibus sit compositum; quò & illa ratione sui simpliciter, & absolutè existeret, possint, vnaquæque in suo gradu; & totum successiuum ratione illarum reuerà etiam dici possit existere. Quod autem id solum sit simpliciter, & absolutè existens, quod de præsentis existit, est certum. Quia, quod de præsentis non existit, simpliciter est non existens; tametsi sit postea exiturum, aut antea exiterit, vt constat. Adde; quod postea est exiturum, aut antea exiterit, idcirco dici existens in suâ mensurâ, seu gradu: quia in suâ mensurâ, seu gradu de præsentis erit, aut fuit existens. Vnde, si quid non possit vnquam de præsentis esse existens, id sanè nullo modo erit potens existere. Tales autem, essent partes quanti successiuu, si infinitum physicè diuisibiles essent, vt iam iam ostendo.

336 Sextum enim argumentum affine præcedenti est. Si quantum successiuum ex partibus physicè diuisibilibus in infinitum componeretur, nulla eiusmodi partium eius posset vnquam existere de præsentis. Ergo simpliciter nulla posset vnquam existere; atque adeo nec quantum ipsum posset vnquam existere, subindeque impossibile esset. Quod est absurdum. Quod nulla eiusmodi partium eius sine fine diuisibilium posset vnquam existere de præsentis, probatur. Quia solum posset existere, defactoque existunt de præsentis partes eius in alias partes non diuisibiles qualia sunt indiuisibilia. Et quidem (incipiendo à tempore) quod solum eius indiuisibile, nimirum instans; siue

sue momentum posse existere, de factoque existat de presenti; imprimis probat communis omnium existimatio atque consensus. Omnes quippe passim in ore habent, nihil nos esse tempore habere de presenti præter instans; reliquum enim totius temporis aut præterisse iam antecale instans, aut nondum esse, sed fore post illud. Quò iure dixit Seneca lib. 6. quæst. natur. cap. vii. *Nec quod futurum est meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pædeo.* Idemque post longum discursum concludit. D. August. lib. 11. confess. cap. 15. dicens. *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel minutissimas momentorum partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicatur.* Quod tamen ita rapit à futuro in præteritum transvolat, ut nullà morulà extendatur. Nam si extenditur, dividitur in præteritum, & futurum. Præsens autem nullum habet spatium. Rursusque lib. 12. confess. cap. 28. ait. *Quis neget tempus præsens carere spatio?* Consentit Damascius in Dial. cap. 33. dicens. *Tria igitur sine quantitate, unitas, presentium, & nunc, id est tempus præsens.* Idem docuit Arist. & ex illo S. Thom. opusc. 36. cap. 3. inquit. *Vnde Philosophus quærens naturam instans in 4. Physic. docet, quòd nihil temporis est, nisi instans, & 1. p. q. 46. art. 3. ad 3. Nihil autem est temporis, nisi nunc.* Deinde probatur id ipsum ratione factà à D. August. loco citato, quæ huiusmodi est. Tempus centium annorum non est præsens: quia, præter annum, qui iam agit, cæteri aut sunt futuri, aut præteriti. Nec est præsens tempus vnius anni: quia, præter mensem, qui iam agit, cæteri aut sunt futuri, aut præteriti. Nec est præsens tempus vnius mensis: quia, præter diem, qui iam agit, cæteri aut sunt futuri, aut præteriti. Nec est præsens tempus vnius diei: quia, præter horam, quæ iam agit, cætera aut sunt futura, aut præterita. Nec est præsens tempus vnius horæ: quia, diuisa hora in quasvis particulas, præter earum vnam, quæ iam agit, cætera aut sunt futura, aut præterita. Eodemque titulo nulla omnino pars temporis quantumvis minima, si sit diuisibilis in alias, poterit esse præsens: quia earum, in quas est diuisibilis, cætera, præter vnam, aut erunt futura, aut præterita. Relinquitur ergo, ut solum possit esse præsens, si que de factò indivisibile temporis partibus expers, nimirum instans, seu momentum. Hæc ratio D. Augustini, meo quidem iudice, demonstrata est. Sed confirmemus, & explicemus amplius vim eius. Suppositis tribus principijs evidentibus supra disp. 8. q. 4. stabilitis. Primum est. Impossibile est totum aliquod de presenti existere; quin omnes partes eius existant de presenti. Secundum, vnam partem temporis alteri, à qua adæquatè distinguitur, esse coexistentem, seu temporaliter penetratam, impossibile est. Tertium, repugnat aliquod ens existens esse de presenti, quin sit coexistens, seu temporaliter penetratum cum alio ente, quod de presenti existens est. Ex his demonstrò planè, nullam omnino partem temporis ex alijs partibus compositam posse existere de presenti. Quia nulla potest existere de presenti, quin vtrumque dimidium eius existat de presenti iuxta principium primum. At nullius vtrumque dimidium potest existere de presenti; eo quòd alterum dimidium alteri, à quo adæquatè distinguitur, non potest esse coexistens, seu penetratum temporaliter iuxta principium secundum: & nequit de presenti existere quidpiam; quin sit coexistens, seu penetratum temporaliter

cum alio (quopiam, quod de presenti existens est, iuxta principium tertium. Igitur nulla omnino pars temporis ex alijs partibus, atque adeò ex duobus dimidijs composita potest existere de presenti. Quod erat demonstrandum. Vel aliter. Si qua pars temporis ex alijs composita dicatur de presenti existere. Rogo. Vel vtrumque dimidium eius existit de presenti, vel neutrum; vel alterum tantum. Si neutrum, vel alterum tantum; pars non existet de presenti iuxta principium primum. Si vtrumque; alterum alteri erit coexistens; seu penetratum temporaliter iuxta principium tertium. Quod tamen iuxta secundum impossibile est.

Præterea sic potest argui ad probandum idem assumptum. Aut præsens, præteritum, & futurum sunt differentia inter se opposita partium temporis, aut non. Si non sunt, nulla erit pars temporis, quæ non sit præsens, etiam quando est futura, aut præterita. Sicque totum tempus futurum, atque præteritum modò erit præsens, quod est ridiculum. Si sunt. Ergo nulla pars temporis, quæ vel præterita, vel futura est comparatione partis præsentis, est præsens. Est clarum. Pergo. Ergo impossibile est, ut pars temporis præsens sit diuisibilis in alias partes. Probo consequentiam. Nam, si id fieri potest; sit pars præsens A diuisibilis, cuius dimidia sint B C. Et arguo sic. Aut ambo dimidia sunt præsentia, aut non sunt ambo præsentia. Si non sunt. Ergo non est præsens pars A, quæ idem est ac ambo dimidia; & simul est præsens, ut supponitur. Si sunt. Cum dimidium C non possit non esse futurum comparatione dimidij B præsentis; dimidium C iuxta dicta non erit præsens. Et, cum dimidium B non possit non esse præteritum comparatione dimidij C præsentis; similiter dimidium B non erit præsens. Cum aliàs ponatur præsentia. Quæ omnia contradictoria sunt.

Accedit ad dicta, quòd non sit assignabilis ratio, cur pars quævis temporis, quantumvis magna, non possit esse præsens, si semel statuatur, aliquam partem diuisibilem eius, quantumvis minimam, posse esse præsentem. Mitto alia. Nam satis superque demonstrant dicta, partes dumtaxat temporis physicè ex alijs non compositæ, sed penitus indivisibiles posse esse de presenti. Vnde manifestè consequitur, integrum tempus ex præterito, presenti & futuro coalescens ex puris tandem indivisibilibus debere necessariò componi. Siquidem prorsus est impossibile, ut aliquid temporis sit præteritum, quòd aliquando non fuerit præsens, & ut aliquid temporis sit futurum, quòd præsens aliquando non erit, ut est manifestum. Id quod eodem iure venit dicendum de cæteris quantis successivis. Tum quia, æquè pro omnibus qua talibus militat argumentum factum cum suis confirmationibus. Tum quia cætera temporis commensurantur. Atque ita aliter, quàm illud, composita, diuisibiliaque esse non possunt. Vide idem assumptum iam demonstratum, & magis scientificè supra disp. 8. q. 4. citatà.

Septimum argumentum est. Ex suppositione, quòd quantum successivum ex partibus physicè diuisibilibus sine fine compositum sit, & non ex solis indivisibilibus sese immediatè succedentibus, nonnulla sequuntur absurda non sustinentia circa inceptionem, & desinentionem rerum. Igitur talis suppositio falsa est. Antequam probem autecedens, suppono, bifariam dici com-

maniter res incipere, & desinere esse. Intrinsicè & extrinsicè. Intrinsicè dicitur res incipere, quæ incipit per primum sui esse; ita, vt sit verum dicere. Hæc res nunc est, & immediatè antea non erat. Pariterque desinere intrinsicè dicitur, quæ desinit per vltimum sui esse; ita, vt sit verum dicere. Hæc res nunc est, & immediatè post non erit. Extrinsicè autem incipere dicitur, quæ incipit per vltimum sui non esse; ita, vt sit verum dicere. Nunc non est res, sed immediatè post erit. Similiterque extrinsicè desinere dicitur, quæ desinit per primum sui non esse, ita vt sit verum dicere. Nunc non est res, & immediatè antea erat. Clarius tamen, breuius, & adæquatius fiet ita diuisio. Quod incipit, aut desinit esse; vel in instanti; vel immediatè post instans; vel immediatè ante instans incipit, aut desinit esse. Idque vel secundum se totum, seu adæquatè; vel secundum aliquam partem sui, seu inadæquatè. Probatur iam antecedens propositum recensendo absurda, quæ ex prædicta suppositione aduersa sententiæ sequuntur.

340 Primum est; rem successiuam; vt motum, nunquam posse incipere esse. Non enim potest incipere esse in instanti, vt aduersarij consentunt; quia in instanti solum potest incipere esse indiuisibile motus, quod apud eos ne inadæquatè quidem est motus; cum non sit pars eius. Nec potest incipere immediatè post instans; quia immediatè post instans nec totus motus, nec vlla pars eius prima potest incipere; cum ante quamlibet debeat præcedere dimidium eius; omnesque subinde in expectatione perpetua suorum dimidiatorum debeant necessariò persistere iuxta dicta supra in argumento tertio sub finem. Tum quia impossibile est, immediatè post instans esse futuram partem motus, quæ nequit, transacto instanti, esse præsens, vt constat: nulla autem pars motus, sicut nec vlla pars temporis, cui respondere debet, potest, transacto instanti, esse præsens iuxta argumentum præcedens. Nec potest incipere immediatè ante instans propter eandem rationes, quæ vehementer premunt in hoc casu. Nunquam ergo res successiuam, vt motus, iuxta sententiam aduersam potest incipere.

341 Secundum absurdum est; rem successiuam & vt motus, nunquam posse desinere esse contingenter. Quia non in instanti, vltra quod motus non progreditur: eo quod negatio motus in eo instanti non est contingens, sed necessaria: siquidem nulla pars motus iuxta aduersarios in vilo instanti potest existere. Neque immediatè ante tale instans; eo quod motus supponitur vltra ad illud durare. Neque immediatè post; eo quod nulla est pars temporis immediatè post instans, in qua possit primò non esse motus: siquidem ante quamlibet partem in dimidio eius debet non esse.

242 Tertium absurdum est; indiuisibile motus nunquam posse desinere. Quia non in instanti, in quo est; neque ante tale instans; vt constat. Neque immediatè post illud; eo quod non potest quidpiam indiuisibile corrumpi, ne inadæquatè quidem, in tempore diuisibili; vt supra disp. 8. q. 4. monstratum est. Constatque ex proposit. 6. statuta supra q. 3. Immediatè autem post instans iuxta Aduersarios non aliud instans, sed tempus diuisibile sequitur.

243 Quartum absurdum est; non posse Deum creare vnum Angelum immediatè post creationem alterius. Quia Angelus, sicut & quiduis

aliud temporaliter indiuisum, non potest produci nisi in instanti, vt loco nuper citato etiam monstratum est. Immediatè autem post instans creationis prioris Angeli iuxta Aduersarios non sequitur aliud instans, in quo posterior possit creari. Vnde rursus sequitur, creato priore Angelo, necessitatum esse Deum ad expectandum pro creatione posterioris, vt transeat successiue infinita instantia: quia inter primum, & quoduis aliud sequens non possunt non infinita fluere copulancia infinitas partes proportionales temporis intermedij.

Quintum absurdum est; nec Deum, nec vllam aliam causam posse dare existentiam alicui effectui indiuisibili, aut indiuiso temporaliter primo instanti dumtaxat: sed necessariò debere dari illi existentiam, quæ duret per aliquod tempus. Quia immediatè post instans, in quo primò talis effectus existit, non potest corrumpi. Sed necessariò est expectandum aliud instans, in quo corrumperetur, vt constat ex dictis. Vnde rursus sequitur, debere Deum, & quamuis aliam causam expectare ad destruendum talem effectum, vt fluant infinita instantia. Ex quo item sequitur, nullam causam, ne primam quidem, esse liberam ad omitendum actum, quæ liberè elicit, immediatè post primum instans, in quo illum elicit. Vnde præterea sequitur, nullo præcepto posse hominem, aut Angelum obligari ad desistendum ab actu incepto immediatè post primum instans existentie eius. Quo circa præceptum vetans odium Dei, vltra primam existentiam eius, nequitiam perseverantiam pro tempore immediato vetabit. Idemque erit de alijs præceptis similibus. Cumque voluntas ita sit impotens ad omitendum actum immediatè post primum instans, in quo illum producit; atque adeò necessitata ad expectandum aliquod tempus pro illius omissione; vt nullum sit tempus determinatum post tale instans, ad quod determinatè expectandum necessitata sit; eo quod ante quolibet præcedit eius dimidium, in cuius aliquo instanti potest voluntas suum actum omittere. Consequitur planè, necessitatem voluntatis ad expectandum aliquod tempus post dictum instans vagam ex parte obiecti esse. Et consequenter vagam quoque esse ex parte obiecti obligationem dictorum præceptorum ad desistendum ab actu per illa prohibito post primum instans existentie eius, nimirum ad desistendum ab illo post aliquam temporis partem earum, quæ sequuntur post tale instans. Ex quo tandem sequitur, posse voluntatem per integram horam, aut etiam diem perseverare impune in odio Dei semel concepto, quin magis peccet, maioriq; poenâ reâ enadat per longam eam perseverantiam, quam si statim post primum instans existentie talis odij ab illo desisteret. Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt.

In sententiâ autem opposita componentis tempus, & motum, & alia quanta physica ex solis indiuisibilibus tanquam ex partibus nullum ex commemoratis absurdis locum habet, vt singula consideranti perspicuum fiet.

Quod, si quantum continuum temporaliter extensum, seu successiuum ex partibus sine fine diuisibilibus physice constare non potest, vt sex præcedentia argumenta speciatim ostendunt; nec poterunt cætera quanta continua: quia in omnibus esse debet idem compositionis genus, eo ipso, quod omnia sunt quantà suo modo continua. Etc.

Etenim, admissio semel, ut iuxta argumenta facta videtur necessariò admittendum, quòd quantum successuum ex solis indivisibilibus re ipsa, & physicè componatur; in eo veniunt infringenda argumenta omnia, quibus contenditur, quantum permanens ex partibus sine fine diuisibilibus re ipsa, & physicè constare. Tum argumenta, quæ persuadent, quantum successuum ex solis indivisibilibus re ipsa, & physicè constare, neque ex partibus in infinitum diuisibilibus vlatenus posse esse compositum, vehementer impellunt ad iudicandum, tantumdem pariter esse dicendum de quanto permanente; prout vnicuique ea omnia percurrenti, & attentè consideranti non obscure proculdubio innotescet. Iam persequamur alia argumenta, quæ aut de omni quanto continuo in vniuersum idem ipsum probant, quale est, quod memorauimus primo loco; aut in speciali vel de quanto localiter tantum extenso, vel de quanto intenso tum localiter, tum temporaliter. Interim tamen adnotando; quodcumque argumentum probauerit, quantum continuum ex partibus actu infinitis constare non posse; eo ipso probare, non posse illud in infinitum esse diuisibile physicè, ut nostra propositio fert. Siquidem impossibile est, esse quidpiam physicè diuisibile in infinitum, nisi ex partibus actu infinitis physicè compositum sit, ut proposit. 5. argumento primo monstratum est. Igitur.

247 **O**ctauum argumentum sit. In rerum principijs dari processum infinitum impossibile est. Proindeque in quouis eorum genere dari vnum, aut plura oportet, vbi progressio tota sitatur. Ita in genere principiorum efficientium necesse est dari vnum primum, quod ab alio non fiat. In genere finalium vnum, quod non sit propter aliud. In genere materialium, vnum quòd non recipiatur in alio, &c. Sed rerum, quæ ex partibus componuntur, principia quadam sunt partes ipsæ. Ergo necesse est tandem ad aliquas deuenire, quæ ex alijs compositæ non sint, sed penitus simplices, atque adeò indivisibiles physicè. Probo consequentiam. Quia, ut dependet quiuus effectus à suo efficienti effectiue tanquam ab aliquo priori secundùm naturam: ita dependet quoduis totum à sua parte compositiue tanquam ab aliquo priori secundùm naturam. Ergo, sicut in serie dependentium ab anterioribus effectiue non est procedere in infinitum; sed tandem est necessariò deueniendum ad aliquod, à quo tota series dependeat, & quod ab alio in eo genere dependens non sit: ita in serie dependentium ab anterioribus compositiue non est in infinitum procedere, sed tandem est necessariò deueniendum ad aliqua componentia, à quibus tota series dependeat, & quæ ab alijs in eo genere dependentia non sint, utpote ex alijs non composita; qualia sunt indivisibilia.

248 **N**onum argumentum. Si quantum physicum ex partibus sine fine diuisibilibus esset compositum, Deus posset hoc papyri folium quo ad profunditatem in alia, & alia folia tenuiora sine fine diuidere, eaque quoad latitudinem asuendo, mappam quandam papyraceam conficere, quæ Mundum vniuersum contegi posset, & circumuolui. Quid dico Mundum vniuersum? Pone dari quocumque non modò myriades, sed miliones millionum, in summa quocumque numeros Mundorum absque vilo termino; eos omnes posset facilè circumuoluerè mappam papyraceam modo dicto confecta ex hoc solo folio, in quo

scribo. Quæ post tam immensam amplitudinem adhuc maneret amplius, & amplius in infinitum extendibilis ex solâ quantitate huius chartulæ. Tametsi enim mappâ prædictâ ex illâ factâ eo tenuior quoad profunditatem euaderet, quo extensior quoad latitudinem fieret: semper tamen in infinitum diuisibilis quoad profunditatem maneret. Eodemque pacto posset Deus solâ quantitate vnius pedis acari, vniuseve ex minimis, quas vocitant atomos Solis, tantumdem modo dicto, & amplius extensâ omnes commemoratos Mundos, & plures inuoluerè. Rursusque eam sine fine amplius, & amplius per totam æternitatem extendere. Quæ sanè incredibilia sunt. Et ex opposita sententiâ manifestè sequuntur. Non ergo ex partibus sine fine diuisibilibus, sed tandem ex indivisibilibus dicenda sunt quanta physicè composita esse.

249 **D**ecimum argumentum desumitur ex progressionibus actu infinitis partium proportionalium mutuo sese excludentium, nullatenusque communicantium, aut subintrantium, quas plerique Aduersariorum admittunt in omni quanto; à nemineque eorum negari possunt, ut constat ex demonstratis à nobis in superioribus præsertim proposit. 1. argumento vndecimo iuncto cum argumento primo proposit. 5. Et tamen tales progressionibus actu infinitæ implicatoriæ sunt. Quia ex vna parte titulo progressionum partium proportionalium proportione maioris inæqualitatis ita coercentur intra terminos quantitatis finitæ, ut ultra illos nullatenus possint extendi, ut in dicto argumento proposit. 1. monstrauimus: ex alia verò parte titulo infinitarum actu, & categorematicè non possunt non quantitatem infinitam componere. Quia impossibile est habere quantitatem partes actu infinitas, quarum vnaquæque illam auget, & facit maiorem, quin talis quantitas sit infinita. Negant Aduersarij, id esse impossibile, quando sunt partes proportionales proportione maioris inæqualitatis: quia infinitudo multitudinis, quam habent infinitudine inæqualitatis, seu minoritatis, quam etiam habent, coercetur, ne infinitam quantitatem conficiat. Nimirum quo passu in infinitum progrediuntur, eodem in infinitum minorantur. Sed contra est. Quia posito iuxta sententiam nostram, quòd indivisibile additum indivisibili faciat maius, ne Aduersarij quidem ipsi negabunt quantitatem ex infinitis indivisibilibus compositam fore infinitam, id quod nos ostendemus infra proposit. 7. Sed quantumuis partium prædictarum proportionalium alix sint alijs minores, & minores in infinitum, nulla tamen earum est, quæ alteri addita non faciat maius, cum nulla sit, quæ non sit quantitas iuxta ipsorum Aduersariorum sententiam. Ergo, si multitudine sunt infinitæ, non potest non quantitas ex illis composita esse infinita. Quare absolutè arguendo quæcumque producta à nobis in totâ hac quæstione probauerint, quantum physicum finitum ex solis indivisibilibus finitis constare; & non posse non esse infinitum, quod constiterit ex infinitis, supposito, quòd indivisibile additum indivisibili facit maius, eadem vi probant, progressionem actu infinitam partium proportionalium non posse non quantitatem infinitam conficere. Cum tamen aliunde talis progressio intra terminos quantitatis finitæ debeat concludi, ut dictum est. Quod ipsum est, esse eam implicatoriam, seu chymæricam.

Vndecimum argumentum supponit cum ple-

partibus sine sine diuisibilibus, & ex indiuisibilibus eas vniuersibus, ac terminantibus constare; ita, vt nulla sit pars, intra quam non sint infinitæ alie partes, & infinita indiuisibilia. Probatque hoc esse impossibile in hunc modum. Vel, præter omnia omnino indiuisibilia huius calami, restat insuper in ipso aliquid aliud: vel nihil aliud restat. Si nihil. Ergo calamus ex solis indiuisibilibus compositus est contra suppositionem. Si aliquid. Id in se nullum includit indiuisibile etiam contra suppositionem. Quia præter omnia indiuisibilia nullum restare potest indiuisibile; vt constat. Restaret autem, si in eo, quod præter omnia restat, aliquid indiuisibile includeretur. Confirmatur primò. Pone iudicium citra dubium possibile de existentia omnium omnino indiuisibilium huius calami præcindens ab omni alio obiecto. Tum sic. Aut posito tali iudicio ignoratur aliquid de calamo: aut nihil. Si nihil. Ergo calamus solis indiuisibilibus constat. Si aliquid, id nullum indiuisibile claudat, necesse est: quia, si id, quod profus manet incognitum per tale iudicium, clauderet aliquid indiuisibile, hoc simul esset cognitum, & incognitum per tale iudicium. Quæ sunt contradictoria. Confirmatur secundò. Aut collectio omnium indiuisibilium calami est idem adquatè cum calamo: & sic iterum calamus constabit solis indiuisibilibus. Aut solum inadquatè: & sic erit in calamo aliquid, à quo adquatè distinguitur talis collectio: quod subinde iterum erit aliquid nullum, in se claudens indiuisibile. Repugnat enim distinguere vnum ab alio inadquatè: quin distinguatur adquatè ab aliquo contento in illo iuxta proposit. 5. & 6. statuta supra q. 3.

²⁷¹ Duodecimum argumentum contra eisdem. Aduersarios probat similiter, quantum physicum ex partibus semper diuisibilibus, & ex indiuisibilibus constare non posse. Quoniam quando illud mouetur motu continuo ex parte spatij localis vniuersi quodque eius punctum describit lineam ex solis punctis compositam; & vnaquæque linea superficiem compositam ex solis lineis; & vnaquæque superficies solidum compositum ex solis superficiebus. Similiter, si moueatur Angelus per spatium continuum absque vlla sui replicatione locali, lineam describet compositam ex solis punctis. Idem, si moueatur continuè corpus mathematicè sphericum super mathematicè planum; cum semper debeat hoc tangere in solo puncto, vt demonstrat Theodosius in suis Sphæricis Elementis lib. 1. proposit. 3. continuam eius lineam continget ex punctis solis compositam. Pariterque superficiem continget compositam ex solis lineis cylindrus mathematicus simili modo super planum mathematicum motus. Igitur tum spatium locale, præsentiaque, & motus illi correspondentes; tum quoduis omnino quantum physicum ex solis indiuisibilibus, non item ex partibus semper diuisibilibus compositum est. Probo antecedens, probaturus deinde consequentiam. Nam vt Aristoteles arguit lib. 6. Physic. cap. 10. *Impossibile est, vt id, quod mouetur, spatium maius se transeat, nisi prius aut æquale sibi, aut minus spatium transeat. Indiuisibile autem spatium minus se transire nequit. Igitur æquale transibit. Vnde erit tota linea ex punctis. Semper enim per æquale transeundo punctum lineam metietur.* Quo argumento conuictus est Philosophus ad asserendum, vt ibi asserit, indiuisibile per se moueri non posse; sed solum per

accidens ad motum corporis, in quo est, vt mouetur Naucerus ad motum nauis, in qua fertur. Sed certè, cum genus hoc motionis per accidens non tollat, quominus punctum motum cum corpore proprias, & sibi proportionatas indiuisibiles præsentias acquirat punctis dumtaxat spatij correspondentes, æquè, ac si moueretur seorsim: sicuti Naucerus navi vectus perinde acquirit proprias præsentias, ac si extra nauim per se motus idem spatium pertranseat; argumentum factum, me quidem iudice, æquè probat, punctum motum cum corpore describere lineam ex solis punctis compositam, ac describeret, si moueretur seorsim. Idemque est de lineà, & superficie, seruata proportione, vt constat. Et confirmari clariùs potest. Quia, vt supra disp. 5. quæst. 6. propos. 23. monstrauimus, indiuisibile, quodcumque sit, citra sui replicationem in spatio diuisibili locari non potest. Igitur, dum quoduis indiuisibile per quemuis motum localem citra sui replicationem mutat spatia, vt verè mutat sine cum corpore, in quo est, siue seorsim moueatur, non possunt non talia spatia semper esse indiuisibilia, tali nimirum indiuisibili proportionata, & adquatè. Si ergo aliunde fiat continua: quia, vt ponimus, indiuisibile siue intra corpus, siue seorsim mouetur continuè, & non per saltus, ex illis vrique coalescet spatiale quantum continuum; nempe; linea ex solis punctis composita, si, quod mouetur, est punctum; superficies composita ex solis lineis, si, quod mouetur, est linea; & solidum compositum ex solis superficiebus, si, quod mouetur, est superficies. Malè ergo Aristot. distinctione motus per se, & per accidens pondus argumenti sui se eleuasse arbitratu est: quominus spatium, per quod corpus cum suis indiuisibilibus mouetur de facto, ex solis indiuisibilibus esse, compositum fateretur. Præterquam quod à nobis non videtur posse negari possibles motus omnino per se Angeli per spatia indiuisibilia, & continua. Quo Arist. doctrinà sumpta vniuersè falsificatur. Iam verò circa motum spheræ, & cylindri super planum varia aduersarij tentat effugia; ne cogantur fateri in plano lineam ex solis punctis, & superficiem ex solis lineis compositam. Sed quæ præcludere facile esset, supposito, vt ipsi supponunt, possibilem esse contactum, motumque physicum huiusmodi mathematicorum. Verùm, quia censeo, talem suppositionem, vt sonat, non esse absolutè admittendam, in eis ex illà recensendis nolo immorari. Sat sic habere ex dictis: dum quantum quoduis, & eius indiuisibilia continuè mouentur, describere per totum spatium, per quod mouentur lineas compositas ex solis punctis; superficies ex solis lineis; & solidum ex solis superficiebus. Hinc enim sequitur imprimis, spatium ipsum ex solis indiuisibilibus constare; deinde, præsentias tali spatio suapte essentia correspondentes, in quarum capacitate, seu possibilitate consistit re ipsa spatium ipsum, ex solis pariter indiuisibilibus componi; ac demum omnia quanta in tali spatio per tales præsentias locabilia ex solis similiter indiuisibilibus composita esse debere. Repugnat enim locari quidpiam in spatio composito ex solis indiuisibilibus, nisi illud pariter sit compositum ex solis indiuisibilibus, vt supra disp. 5. quæst. 6. propos. 29. monstratum est.

Decimum tertium argumentum. Quando arbor partim est in aqua, & partim in aere, linea terminatiua aquæ, & linea terminatiua aeris seletan-

tangentes immediatè non possunt non in trunco arboris duas lineas immediatas contingere. Ergo superficies extima arboris ex solis lineis, & consequenter integra arbor ex solis indiuisibilibus composita est. Ob hoc, & similia argumenta, negant nonnulli omni quanto continuo omnia indiuisibilia physica. Sed malè, vt tum ex iam dictis, tum maximè ex dicendis proposit. 8. apparebit. Communior tamen reliquorum responsio est, eas duas extremas lineas aeris, & aquæ tum inter se, tum cum vnica tantum lineâ trunci arboris penetrari in eodem spatio; quo cessat argumentum. Vniuersaliter enim putant hi Auctores, non posse vnum indiuisibile tangere aliud, quin inuicem penetrentur localiter: eo quòd necessariò se mutuo tangunt quoad totum, quod sunt adæquatè. Sed contra est. Quia in eorum sententiâ etiam tanguntur quoad totum, quod sunt indiuisibilia à partibus, quas vniunt, vel terminant; & tamen non sunt cum illis penetrata localiter. Ergo ex eo, quòd indiuisibilia quoad totum, quod sunt, tanguntur inuicem, non sequitur, debere ea penetrari localiter. Atque adeò nec dicenda sunt penetrari in casu propositio. Quo redit iterum argumentum. Scio Petr. Hurt. disp. 15. Physic. sect. 3. consequenter asseruisse, indiuisibilia cum partibus, quas vniunt, aut terminant, esse penetrata localiter. In quo tamen merito à plerisque suæ sententiæ deseritur. Tum quia in spatio diuisibili, quale est spatium partis, repugnat locari indiuisibile citra replicationem sui, vt demonstrauimus disp. 5. quæst. 6. Tum quia nec per replicationem sui potest indiuisibile locari in spatio partis diuisibilis sine fine; vt ex ibidem dictis constat. Tum denique quia indiuisibile vnitium in duobus saltem locis existeret partium, quas vnit. Quod planè principis tum Physicæ, tum Mathematicæ aduersatur.

253 Decimum quartum argumentum. Si quantum physicum ex partibus sine fine diuisibilibus compositum est, indiuisibilia talium partium vnitua, & terminatiua, quæ Adversariorum plerique adstruunt, & sunt, & non sunt earum modi. At hoc repugnat. Ergo. Quòd sunt, ipsi fatentur. Quòd non sunt probo. Quoniam de essentia modi est connecti essentialiter cum re, quam modificat, atque adeò ad sui existentiam illà necessariò indigere. In casu autem nostro nulla quanti physici pars est, cum qua quoduis indiuisibile eius essentialiter connectatur, quaque subinde ad existendum indigeat necessariò. Si enim dicas indiuisibile A connecti cum parte B quam vnit, aut terminat, falsum dices. Quia indiuisibile A non indiget necessariò parte B ad existendum: cum satis sit sibi dimidium eius. Sed neque indiget hoc dimidio: quia etiam huius dimidium est sibi satis: & sic, diuidendo ia infinitum, nulla assignari, ne à Deo quidem, potest pars, vt nulla reuera est, qua ad existendum indigeat indiuisibile A; & cum qua subinde essentialiter connectatur. Igitur nulla est, cuius si modus. Quod erat probandum. Dices, cum nullà parte connecti indiuisibile determinatè, connecti tamen vagè, seu indeterminatè cum aliqua earum proportionalium, quæ includuntur in aliquota à immediatè. Sed contra est. Quòd indiuisibile solidum potest esse conexum cum parte, quam immediatè vnit, aut terminat, vt constat. Sed impossibile est vnire illud, aut terminatè partem indeterminatam, seu vagam. Tum quia

actus determinatus, qualis est vnio, & terminus, nullatenus potest circa aliquid indeterminatum, siue vagum versari; vt ostendimus in Pharo Sient. disp. 10. quæst. 2. Tum quia pleræque partium proportionalium inclusarum in dicta aliquota remota sunt ab indiuisibili; cum intermedient aliæ; proindeque ne vagè quidem possunt per illud vniri, aut terminari immediatè, vt est notum. Igitur indiuisibile cum parte indeterminatè, seu vagè connecti non potest. Cùmque nec cum determinatè sit conexum, vt vidimus; cum nulla conexum erit. Nulliusque subinde erit modus. Quod probandum assumpimus.

Decimum quintum argumentum contra 254 idem quantum compositum ex partibus sine fine diuisibilibus copulatis indiuisibilibus sic potest formari. Inter primum indiuisibile talis quanti, & cætera omnia, quæ sequuntur, collectiue sumpta nihil omnino mediare, seu interponi potest. Ergo post primum immediatè sequuntur reliqua. Ergo tale quantum ex solis indiuisibilibus immediatè se succedentibus compositum est contra suppositionem. Vtraque consequentia videtur euidens. Antecedens autem facile ostenditur. Nam inter primum indiuisibile, & cæterorum, omnium collectionem nec potest mediare aliquid indiuisibile: quia hoc & medieret, vt ponitur, & non medieret, cum esset inclusum in collectione omnium cæterorum post primum. Nec potest mediare aliquid diuisibile: quia indiuisibilia copulatiua partium eius necessariò medierent itidem, aliundeque simul non medierent, vt potest, quæ in collectione cæterorum omnium post primum includerentur. Eodemque titulo inter quoduis aliud indiuisibile, & reliqua omnia, quæ subsequuntur neque aliquid indiuisibile, neque aliquid diuisibile potest mediare, seu interponi. Quod erat probandum. Concluditur ergo, prædictum quantum ex solis indiuisibilibus esse compositum: cum tamen compositum insuper supponatur ex partibus sine fine diuisibilibus eis copulatis. Quod est, illud profus chymericum, seu impossibile esse. Accedit; quòd, supposità compositione quanti continui, quam impugnamus, omnia puncta lineæ seriatim debent esse ordinata, sicut & omnis eius pars, vt constat. Quæ ordinatio intelligi nequit, nisi post vnumquodque punctum sequatur aliud, & post hoc aliud, & ita deinceps. Aliunde verò hæc ordinatio stare non potest: quia inter vnumquodque punctum, & quoduis aliud necessariò interponuntur alia infinita. Quod videtur implicatorium. Et sanè intelligibile non est; quòd sit inter quoduis punctum A, & quoduis punctum B series ordinata punctorum; & tamen nullum sit punctum immediatum post A; quia nullum est post A, ante quòd, & post ipsam A non intercedant alia infinita. Vnde alia sequitur inferenda contradictionis implicatio.

Decimum sextum argumentum sit contra 255 eandem continui compositionem ex partibus & indiuisibilibus. Pro quo suppono vt per se notum, & infra disp. 13. insuper demonstrandum, in quavis omnino multitudine infinità vnitatum infinitam multitudinem contineri binariorum earum; atque etiam infinitam multitudinem aliarum multitudinum minorum in se infinitarum: binaria tamen infinite esse plura, quàm dictæ minores multitudines in se infinite; cum nulla harum sit, cui non correspondeant infinita binaria. Ex quo vniuersali, & manifesto principio sequitur

R x qui-

quiritur necessario, infinite plura debere esse binaria punctorum cuiusvis lineæ, quam sunt multitudines eorum in se infinitæ, contentæque in integrâ ipsorum multitudine iuxta sententiam, quam impugnamus. At aliunde non sunt plura, nedum infinite plura, sed totidem: cum nullum omnino sit binarium punctorum talis lineæ, cui non respondeat infinita multitudo eorum, quæ includit intra se, iuxta dicta circa argumentum præcedens. Igitur talis sententia, talisque compositio continui implicatoria contradictionis est.

356 Decimum septimum argumentum contra quodvis continuum compositum ex partibus physicè diuisibilibus in infinitum, huiusmodi est. Quælibet pars diuisibilis, & intermedia cuiusvis continui seu permanentis, seu successiui immediatè tangere debet extremum subsequens, siue illud sit indiuisibile continuans ipsam cum aliâ parte, si talia indiuisibilia admittuntur, siue sit pars alia, si reiiciuntur, ita, quod inter talem partem, & tale extremum nihil penitus mediet, vt est notissimum; nam hoc manifestè est de ratione continui. Sed, si continuum ex partibus sine fine diuisibilibus componeretur, talis contactus immediatus impossibilis esset. Ergo, &c. Probo minorem, quæ sola indiget probatione. Quia in datâ hypothesi pars intermedia continui neque adæquatè per se totam, neque inadæquatè per aliquid sui tangeret immediatè extremum subsequens, & alius modus tangendi immediatè illud non est possibilis, vt constat. Non adæquatè: quia inter dimidium partis, & tale extremum mediaret alterum dimidium. Non inadæquatè: quia nihil esset in tali parte, quod adæquatè tangeret: cum quilibet excogitabile in illâ tali extremo immediatum ex duobus quoque dimidijs esset compositum. Estque impossibilis inadæquatus tactus totius absque adæquato alicuius in ipso tacti iuxta doctrinam demonstratam q. 3. proposit. 6. In datâ igitur hypothesi contactus immediatus, & essentialiter requisitus ad essentiam continui cuiusvis partis intermedia eius, & subsequens extremi omnino esset impossibilis. Quod erat absurdum ostendendum.

357 Decimum octauum argumentum sit. Si continuum esset compositum ex partibus physicè in infinitum diuisibilibus, neque anima rationalis omnibus, & singulis partibus corporis esset vnita, cum ipsisque penetrata localiter, & temporaliter, vt verè est. Neque persona Verbi diuini vnita pariter, & penetrata localiter, atque temporaliter esset cum omnibus, & singulis partibus corporis Christi domini, vt est verissimè secundum fidem. Neque vllum diuisibile totum cum omnibus, & singulis partibus suis inesset immediatè in aliquo subiecto, aut loco, aut tempore indiuisibili, vt innumera propemodum insunt reuerà. Neque aliqua indiuisibilis actio, aut effectus ab aliqua causâ diuisibili, ab omnibusque, & singulis partibus eius indiuisim procederet, vt procedit sæpe absque dubio. Quoniam impossibile est vniuersè correspondere rem indiuisibilem quouis correspondentie genere omnibus, & singulis partibus rei diuisibilis, scilicet per sui replicationem, siue repetitionem, nisi res ipsa diuisibilis ex solis indiuisibilibus composita sit, vt supra q. 3. proposit. 23. est monstratum. Non igitur quantum continuum ex partibus sine fine diuisibilibus, sed ex indiuisibilibus solis compositum est.

358 Decimum nonum argumentum. Si quan-

tum continuum esset compositum ex partibus sine fine diuisibilibus physicè, possibilis esset, imò de facto daretur series causarum à latere ipsarum infinita, ita, quod vna fieret ab aliâ, & hæc ab aliâ, & hæc ab aliâ in infinitum absque vllâ primâ in tali serie. At eiusmodi causarum infinita series omnino repugnat, vt infra disp. 13. q. 7. ex communi fere omnium sententiâ ostendimus. Igitur quantum continuum non ita compositum est. Consequentiâ est legitima; & minor ex dicendis loco citato supponitur vera. Probo ergo maiorem, supponendo tanquam certum e. g. quoties ignis per subiectum extensum diffundit calorem, singulas partes talis subiecti propinquiores igni in singulas remotiores per calorem in se receptum influere effectiue ad producendum calorem in illis productum. Quo posito, supponamus partem igni applicatum duas longitudinis vnas habere, à quarum remotiori incipiendo, & procedendo versùs ignem in proportione duplâ, (in datâ scilicet hypothesi de compositione continui), antequam accedatur ad ignem infinita series erit partium proportionalium physicè inter se distinctarum, & mutuo se excludentium, eoque semper minorum, & minorum absque vllâ vltimâ in tali serie, quo propinquiores igni fuerint iuxta doctrinam demonstratam supra proposit. 1. in argumento vndecimo. Cum igitur nulla omnino sit talium partium proportionalium, incipiendo à remotioribus; & procedendo versùs ignem, quæ à subsequente minore, & igni propinquiore non recipiat calorem, productum videlicet à calore in minore ipsâ præexistente; necessario consequitur, seriem quamdam dari de facto causarum efficientium à latere ipsarum infinita, quarum vna ab alterâ sit, & hæc ab alterâ, & hæc ab alterâ in infinitum absque vllâ primâ in tali serie. Quod erat absurdum ostendendum.

Mitto alia. Nam producta hæcenus pro nostra proposit. 6. satis, superque illam demonstrare videntur. Ampliusque deinceps confirmabitur ex dicendis; ex solutioneque argumentorum, quæ ab Aduersarijs in oppositum opponuntur. De quibus post propositiones sequentes.

Propositio 7.

Quantum continuum physicum ex solis indiuisibilibus multitudine infinitis nullatenus potest esse compositum.

Sermo est de quanto physico finito tam successiue, quam permanente. Probat autem propositionem primò argumentum secundum proposit. 6. præcedentis. Quoniam, si quantum finitum ex indiuisibilibus multitudine infinitis esset compositum, successiue impertransibilis esset contra experientiam. Siquidem nulla multitudo infinita est successiue pertransibilis, aut numerabilis iuxta dicta ibidem.

Secundò illam probant argumentum quartum, & decimum eiusdem proposit. 6. Quia quantum finitum ex indiuisibilibus infinitis compositum eo ipso esset successiue diuisibile in infinitum, seruât proportionem partium geometricâ maioris inæqualitatis; atque adeò progressionem partium proportionalium in eo darentur actu infinitæ, perinde, atque in quanto composito ex partibus sine

sine sine diuisibilibus, vt mox demonstrabo. Huiusmodi autem actû infinitas progressionis esse impossibiles, dicta duo argumenta probant, vt ea recolenti constabit.

262 Tertiò illam probat argumentum nonum eiusdem propositi. 6. Quia quantum ex infinitis indiuisibilibus compositum quoquoersus esset diuisibile sine sine in quemuis numerum finitum partium aliquotarum, vt constat. Atque ita perinde, ac quantum compositum ex partibus semper diuisibilibus, posset Deus illud quantumuis minimum extendere, vt omnia spatia in eo argumento commemorata repletet.

263 Quartò specialiter probatur præfens propositio. Quoniam, vt quantum physicum continuum ex solis indiuisibilibus componatur, necesse imprimis est, quòd indiuisibile additum indiuisibili faciat maius, vt constat. Quo posito, statim necessariò sequitur, omnia indiuisibilia huiusmodi quantum potentia, vt pote inter se æqualia, partes aliquotas eius esse, vt est notissimum. Sed impossibile est, quantum compositum ex infinitis partibus aliquotis non esse infinitum, vt contentur omnes, & ex dicendis disp. 13. apparebit. Ergo impossibile est, vt quantum finitum ex solis indiuisibilibus multitudine infinitis compositum sit. Et confirmari potest. Quia, vbi sunt infinita indiuisibilia, non possunt non esse infinita milliaria, imò infiniti miliones indiuisibilium, vt cunctis est notum, patebitque ex dicendis ibidem. Ergo in quanto composito ex solis indiuisibilibus infinitis, quorum singula eo ipso addita alijs faciunt maius, non possunt non esse infinite partes aliquotæ inter se æquales, quarum vnaquæque ex millione indiuisibilium compacta sit. At infinita multitudo talium partium aliquotarum, non potest non infinitum quantum componere, vt dictum est. Ergo.

264 Quintò probatur propositio, imò demonstratur manifestè ab absurdo. Quia quantum physicum compositum ex solis indiuisibilibus infinitis eo ipso debet simul esse compositum aut ex partibus sine sine diuisibilibus, aut ex solis indiuisibilibus finitis. Quorum vtrumque contradictionem inuoluit; vt patet. Sic enim linea ex solis punctis infinitis composita AF diuisibilis in proportione duplâ versus F primò per B, secundò per C, tertio per D, quarto per E, &

ita deinceps. Quæ quidem progressio partium proportionalium physicè diuisibilium nequibit extendi vltra punctum F vt demonstratum est supra propositi. 1. argumento vndecimo. Tum sic. Aut ista progressio est infinita, ita vt nulla sit in eâ pars proportionalis, vltra quam non detur alia ante punctum F. Quo casu pars lineæ inter vnquamquamque partem proportionalem talis progressionis & punctum F interiaccens semper, & sine sine erit bifariam diuisibilis, vt constat. Aut ista progressio est finita, ita vt aliqua sit pars eius proportionalis vltima. Quo casu hæc vnum dumtaxat punctum erit, inter eamque, & punctum F aliud solum punctum restabit, vt etiam constat. Si dicatur primum. Cùm partes interiacentes inter singulas proportionales prædictas, & punctum F in infinitum sint diuisibiles; eademque citra dubium sit ratio eatum, & cæterarum totius lineæ AF, hæc vtique ex partibus in infinitum diuisibilibus, & non ex solis punctis erit composita. Si verò dicatur secundum. Cùm

partes proportionales prædictæ progressionis finitæ sint, & vltima sit vnus puncti, penultima duorum, antepenultima quatuor punctorum, & ita in proportione subdupla retrocedendo vtique ad primam, tota linea AF ex finito numero punctorum; atque adeò ex punctis finitis, & non ex infinitis erit composita. Si igitur quantum physicum ex solis indiuisibilibus infinitis compositum est, necessariò erit simul compositum aut ex partibus in infinitum diuisibilibus, aut ex solis indiuisibilibus finitis. Quod erat absurdum demonstrandum.

265 Dicit aliquis, hanc nostram demonstrationem principium quoddam incertum supponere, nempe posse multitudinem infinitam punctorum, ex quibus solis supponitur linea AF componi, ita diuidi in proportione duplâ, vt fiat progressio prædicta partium proportionalium. Cùm enim multitudines infinite per inde, ac numeri finiti, & pares, & impares esse possint; & multitudo impar, bifariam non sit diuisibilis: sitque incertum, an omnes partes multitudinis infinite in proportione duplâ diuidendæ sint pares, vt possint diuidi bifariam: incertum assumitur, cùm supponitur, lineam AF diuisibilem esse in proportione duplâ per B, per C, per D, per E, & ita deinceps. Sed certè obiectio hæc nihil derogat demonstrationi factæ. Quia, licet infinitarum multitudinum aliz sint pares, & aliz impares; ob idque in progressionem prædictam aliquando pars lineæ omnino bifariam nequeat diuidi; eo quòd impar est multitudo infinita punctorum, ex quibus supponitur composita: hinc tamen solum sequitur, talem progressionem non semper posse in proportione duplâ exactè procedere. Quia tamen citra omne dubium saltem potest semper procedere iam in duplâ, iam in aliquanto maiore, vt cernitur in hæc numerorum iam parium, iam imparium 101. 50. 25. 12. 6. 3. 1. Ad demonstrationemque factam nihil interest, quòd progressio procedat eadem simplici proportione, vel mixtâ ex diuersis; dummodo semper sit proportio maioris inæqualitatis, vt ex se, & ex dictis de huiusmodi progressionibus in præcedentibus est manifestum. Idcirco ad factam demonstrationem nihil prorsus refert, quòd partes continui proportionaliter proportione maioris inæqualitatis diuidendæ aliquando ex pari, aliquando ex impari infinitudine indiuisibilium compositæ esse dicantur. Et quidem, cùm sit certissimum, lineam propositam bifariam, si puncta eius paria esse dicantur, & prope bifariam, si imparia, diuisibilem esse. Tantumdemque necessariò veniat dicendum de singulis eius dimidijs, aut prope dimidijs; de singulisque eius quartis, aut prope quartis partibus; tum octauis, aut prope octauis; & ita deinceps. Manifestè consequitur, si sic ea sit in infinitum diuisibilis, ipsam non iam ex metis punctis, sed ex partibus sine sine diuisibilibus compositam esse: sin minus, ipsam ex punctis finitis, non verò ex infinitis constare. Quo demonstratio nostra firma persistit.

Iam verò opinio commemorata supra num. 266 140. Recentiorum componentium continuum ex indiuisibilibus infinitis, quorum extrema sint in loco per proprias præsentias, cætera verò per continentiam quamdam inordinatam inter illa, præterquam quòd per præcedentia argumenta satis superque est confutata, vt consideranti innotescet, speciatim insuper sic confutari potest primò. Quia, posito, quòd extrema lineæ propo-

sive AB in loco sunt per proprias presentias, A B impossibile est, quod cetera puncta inter talia extrema contenta non respondeant spatio locali contento inter extrema ipsa, ut satis ex se videtur notum. Hoc autem ipsum est, talia puncta tali spatio presentia esse æque, ac extrema ipsa spatijs, quibus correspondent, presentia sunt. Quod confirmatur primò. Quia si altera æqualis linea in eo ipso spatio, sicut proposita est collocata, collocaretur, non possent non ambæ inter se penetrari localiter non tantum quoad extrema, sed etiam quoad intermedia puncta. Ergo quoad omnia presentia eidem spatio propriè, & æque, ac ipsa extrema, essent: quia penetratio duorum in eodem spatio absque presentia amborum in tali spatio constare non potest; ut constat ex communi omnium conceptione; ex doctrinæque tradita supra disp. 5. quæst. 6. Confirmatur secundò. Quia Deus ratione suæ immensitatis necessariò est presentis in toto spatio contento inter extrema lineæ propositæ AB; ob idque tale spatium non potest non ex solis indivisibilibus compositum esse iuxta demonstrationem factam disp. 5. quæst. 6. citatâ. Eodemque pacto ratione eiusdem immensitatis est Deus intime penetratus in tali spatio cum omnibus, & singulis punctis dictæ lineæ. Ergo singula puncta talis lineæ singulis punctis talis spatijs correspondere, necesse est: & consequenter per singulas proprias presentias in eis presentia esse. Confirmatur tertio. Quia certum est, puncta contenta inter extrema dictæ lineæ inæqualiter esse distantia ab extremis ipsis. Hoc autem ipsum est, habere singula eorum proprias presentias, in quibus unâ cum extremorum presentijs constituent reipsâ huiusmodi distantia inæquales iuxta doctrinam vniuersalem de presentia locali traditam disp. 5. quæst. 1. Confirmatur quartò. Quia, ut constat etiam ex dictis ibi quæst. 8. quoduis ens essentialiter est connexum cum aliqua presentia locali. Ergo quoduis punctorum prædictæ lineæ non potest non habere presentiam localem, scilicet indivisibilem in puncto spatijs indivisibili. Confirmatur quintò. Quia, quo iure ponuntur ab Adversarijs extrema lineæ, quæ sunt puncta, cum proprijs presentijs, eodem debent poni cum proprijs presentijs extrema superficies, quæ sunt lineæ. Presentia autem linearis tot punctis ac ipsa linea totidem punctis spatijs correspondentibus constare debet, ut est notum. Atque ita in lineâ terminante superficiem non solum extrema puncta; sed etiam cetera intermedia habebunt necessariò proprias presentias. Quinimo, ob eandem rationem omnes, & singula lineæ componentes superficies extremas solidi cum omnibus suis punctis proprias presentias necessariò debent habere. Quid ni igitur dicatur idem de cæteris omnibus punctis, lineis, & superficies componentibus totum solidum? Quandoquidem de compositione linearum, ac superficialium extremarum eodem pacto ac de cæterarum compositione ob eandem prorsus, quas omnes habent, difficultates, philosophandum est proculdubio. Sextò denique confirmatur. Quia, quo iure asseritur, solam extremam superficiem cuiusvis spherulæ habere propriam presentiam, ceteraque internas spherulæ partes per continentiam intra illam esse locatas; eodem utique dici posset, solam superficiem externam Cæli Empyreï habere presentiam propriam; ceteraque omnia entia totius Vniuersi contenta intra illam per

huiusmodi continentiam esse locata. Quo quid alienius ab omnium mente, aut quid absurdius dici posset? Mitto alia.

Impugnoque secundò prædictam Recentiorum opinionem. Quia, estò in continuo permanente talis, qualem ipsi adstunt, compositionem ex infinitis indivisibilibus localiter non ordinatis, nec propriè presentibus datam possit. At in continuo successivo, ut tempore, & motu nullatenus potest admitti. Quia necessarium omnino est, ut indivisibilia continui successivi ordinatè darent, & fluant, seriemque ordinatam constituent secundum prius, & posterius: cum omnia, & singula sigillatim, ut simpliciter habeant esse, de presentibus debeant illud habere; vnicuique dumtaxat indivisibile sit semper illud, quod presentis est, iuxta doctrinam datam supra disp. 8. quæst. 4. & iterum in hac quæst. à n. 233.

Tertio denique confutatur opinio prædicta. Nam, etiam admisâ eâ confusione, & inordinatione indivisibilium infinitorum continui in ordine ad locum, estò per illam aliquæ earum difficultatum, quæ locum concernunt, specie tenus fortasse videantur vitari: quia tamen, utcumque ipsa in continuo dicantur existere, non possunt non inter se distinga esse, & ipsum continuum componere; cetera omnes difficultates oriundæ ex compositione continui ex infinitis indivisibilibus cum præcisione a loco considerati integræ prorsus perseverant. Ex quibus omnibus concluditur, & falsam esse Recentiorum, cum quibus agimus, cogitationem; & in sufficientem, tamen vera esset, fore, ne dicam inutilem, ad vincendas difficultates, quas aliæ sententiæ non vincunt circa compositionem continui.

Propositio 8.

Quantum continuum physicum ex solis indivisibilibus multitudine finitis compositum est. Nec aliter potest esse compositum.

Hæc propositio ex præcedentibus constat. Si enim quantum continuum physicum neque ex solis partibus sine fine diuisibilibus physicæ, atque adeò infinitis, neque ex solis indivisibilibus infinitis, neque ex vtriusque componi potest, ut proposit. 6. & 7. monstratum est. Consequens est, ut ex partibus finitis vitimò diuisibilibus, atque adeò ex solis indivisibilibus finitis possit esse compositum. Quod non à aliqua probatione non indiget. Quare solum restat, ut argumenta, quæ contra hanc, & duas præcedentes propositiones opponi possunt, diluamus.

Primum est. In concilio Constantiensi sess. 8. præter 45. articulos principales Ioannis VVicleffi anathemate condemnatos, alij 260. ex eiusdem libris collecti, & appellati extra pendentes similiter reprobandi sunt. Ex quibus 56. sess. 15. sunt retractati. Et residuus sancta Synodus habuit pro lectis. Quinquagesimus autem ita se habet. *Linea aliqua mathematica continua componitur ex duobus tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis. Vel tempus est, sive vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint, taliter componantur. Prima pars est error in Philosophia. Sed ultima errat circa diuinam potentiam.* Igitur propositio nostra sustineri non potest. Respondet primò, aliquos putare, ceasuram propositio

fici articuli, utpote in eius corpore inclusam, ipsius VVicleffi esse articulum ipsum reprobantis, quod probabile censet Arriaga disp. 16. Physicæ. 8. subf. 6. Et si ita est, Concilium potius pro nobis stabit, quam contra nos. Respondeo secundo, verius esse, dictam censuram non esse VVicleffi, sed contra ipsum; non tamen est Patrum Concilij, sed eius, qui ad Concilij transcripsit in margine eam opinionem erroris notans: quæ censura postea errore Impressorum translata est ad corpus articuli, ut testatur Ripalda tom. 2. de Ente supern. disp. 1. sect. 6. num. 49. Respondeo tertio, prædictos 56. articulos, inter quos est propositus, in corpore Concilij non contineri, sed in appendice quadam Concilio addita, ex quodamque codice Studij Colonienfis desumpta, quem codicem Typographus fatetur esse mendosum, ideoque non in omnibus editionibus reperitur, ut testatur Arriaga supra. Respondeo quarto, ex Bellarm. lib. 2. de Concilij auctoritate cap. 19. Concilium Constantiense non fuisse legitimum, nisi quantum ad ea, quæ postea approbavit Martinus 5. Qui tamen solum damnauit 45. illos principales articulos VVicleffi, non reliquos 260. extrapendentes, è quorum numero est propositus. De quo profecto, utpote pure philosophico, neque ad Concilium, neque ad Pontificis institutum pertinebat quidquam decernere. Respondeo demum, VVicleffum in proposito articulo de quanto mathematico loqui, ut verba præferunt. De quo sanè, ut nos etiam censemus, citra errorem in Philosophiâ dici non potest ex solis indiuisibilibus finitis compositum esse, ut constat ex superioribus statutis proposit. 1. 2. & 5. Aliud verò est de quanto physico, de quo tractamus in præsentî. Ex quibus omnibus apparet, quomodo Concilium Constantiense propositioni nostræ non contrahentur.

271 Secundum argumentum ab auctoritate desumptum opponit nobis D. August. lib. 11. de Trinit. cap. 10. & lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 4. & epist. 56. ad Dioscorum, & epist. 151. ad Nebridium, & lib. 2. soliloq. cap. 4. 8. & vit. & lib. de quant. anim. cap. 11. & 12. Quibus in locis quantum continuum in infinitum diuisibile videtur aperte approbare. Opponit & alios sanctos Patres, qui in idem conspirare videntur. Opponit item Arist. eiusque amplissimam Peripateticorum Scholam. Opponit denique plerosque Scholasticorum Doctores. Respondeo D. Augustinum locis citatis interdum expressè tractare de quantitate mathematica, quandoque de quantitate sensibili quatenus sine fine diuisibili intra terminos sensibilis, quandoque potius supponit, Mathematicorum, Philosophorumque dogmata in hæc materiâ ex eorum sententiâ, quam profert ex propria. Quare vbiq; probabiliter saltem explicationem habere videtur, ne nobis censetur aduersus. Pariterque fere reliqui Patres exponi poterunt. Posito autem, quod Peripateticorum Schola cum suo Arist. aduersus nos sit. Pro nobis tamen stant Academia Platonis, Stoa Zenonis, & Viridarium Epicuri, si Auctoribus id testantibus est fidei adhibenda, ut dicebamus principio quæstionis. Cæterum nec Arist. nec plerosque eius interpretes antiquiores nostræ sententiæ contrariari, non leuis coniectura est, ut vidimus proposit. 6. argumento secundo. Videntur enim nobiscum de quanto continuo mathematico, non verò de physico loquuti, cum illud in infinitum diuisibile posuerunt. De quo etiam multi ex Do-

coribus Scholasticis poterunt fortasse explicari. Contra residuos autem non desunt ex eadem classe, qui pugnent pro nobis, ut etiam principio quæstionis notatum est.

272 Tertio opponuntur nobis multa argumenta mathematica, quibus videtur citra omne dubium demonstrari, quantum continuum ex partibus sine fine diuisibilibus suis indiuisibilibus copulatis, atque terminatis constare. Hæc tamen contra nos nihil præstant: potius pro nobis sunt. Fatemur enim, quantum continuum mathematicum eiusmodi esse. Id quod ipsis met argumentis ostendimus proposit. 1. Quæ tamen in quanto physico, de quo modò agimus, locum non habent. Quomodo autem quantum mathematicum à physico discriminetur proposit. 5. exposuimus.

Inferet tamen hinc, & ex ibi dictis nonnemo. Ergo quantum mathematicum, qua ratione differt à physico, & est obiectum mathematicæ, physice impossibile est; à Deoque subinde produci non potest. Atque ita Deus non potest facere perfectum circulum, perfectam spheram, perfectum planum, perfectam quadratam, & triangula, cæterasque figuras tum planas, tum solidas; atque reliquas quantitates, quarum essentiam, & passiones Mathematica contemplatur. Quod videtur absurdum. Respondeo, licet quantum mathematicum sub eâ præcisione, sub qua à Mathematicis concipitur, sæpe sit impossibile. Simpliciter tamen dicendum esse possibile, quatenus identificatum cum quanto physico verè potest existere. Quemadmodum, licet animal ut præcisum ab omni differentia sit impossibile; simpliciter tamen dicitur esse possibile, quatenus identificatum cum aliqua differentia verè potest existere. Addo, sæpe euenire, ut quantum mathematicum adquatè sumptum ne per rationem quidem distinguatur à quanto physico: sed ipsum physicum eò solum dici mathematicum, quod mathematicè in infinitum est diuisibile; cum tamen physice in infinitum nequaquam diuisibile sit. Talia sunt motus, pondus, impulsus, tempus, & alia huiusmodi; quæ, cum physice in indiuisibilia finita, ex quibus coalescant, sint dumtaxat diuisibilia, à Mathematicis verò in partes proportionales minores, & minores in infinitum diuisibilia considerantur. Vtrum autem possibile sit, ut aliqua figuræ geometricæ seu planæ, seu solidæ, nec non aliqua linear, vel superficies, prout à Geometris concipiuntur, reipsa existant distinctæ non per rationem solum, sed etiam physice ab alijs quantis, ab alijs ve partibus quanti, in quo concipiuntur; ex dicendis infra proposit. 9. constabit.

274 Quarto obijcitur. Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius: quia non potest contingere illud secundum se totum: & consequenter nec potest non penetrari cum illo. Ergo quantum continuum ex solis indiuisibilibus componi non potest. Nego antecedens. Ad cuiusque probationem dico; etiam si nequeat vnum indiuisibile coniungi, siue continuari cum alio, quin tangat illud secundum se totum; eo quod nequit aliquid illius tangere, & aliquid illius non tangere; cum careat partibus; hinc tamen non sequi, debere illud penetrare: quia contactus ad coniunctionem, continuationem ve requisitus iuxta positionem dumtaxat extremorum, non item penetrationem exposcit. Id quod etiam in aduersâ sententiâ necessario fa-

tendum est. Iuxta quam negari non potest, aut partes quantitatis inter se, aut partes, & indiuisibilia inuicem immediatè tangi, quin penetrantur. Quoniam vel quantum continuum componitur ex solis partibus absque indiuisibilibus, vt aliqui Aduersariorum censent. Vel ex partibus, & indiuisibilibus, vt censent plerique. Si primum, Necessè omnino est censeri, duas quasque partes eius inuicem tangi, quin penetrantur: alioquin omnes penetrarentur inuicem. Si secundum. Necessè quoque est censeri, dari contactum immediatum absque extremorum penetratione. Tum quia indiuisibilia cum partibus penetrari non possunt, vt constat ex dictis in argumento 13. proposit. 6. Patetque in indiuisibili temporis, quod solum est præsens iuxta dicta ibi argumento 6. atque adeò cum tempore præterito, & futuro, non penetratur temporaliter. Tum quia, si indiuisibilia cum partibus penetrantur, non inter partes, sed in eodem ipsarum spatio locata essent, partesque subinde immediatè se tangerent absque penetratione sui. Negari ergo nequit possibilis mutuus extremorum contactus absque penetratione. Vnde planè sequitur, optimè posse indiuisibilia inuicem se tangere; quin penetrantur. Quod enim se tangant quoad totum, quia partibus carent, impertinens omnino est ad rem. Benè ergo poterunt indiuisibilia coniuncta facere maius, extensum ve tum localiter, tum temporaliter: atque adeò quantum continuum se solis componere, vt nostra propositio fert. Quod confirmatur manifestè. Quia certum est, aliquid indiuisibile per sui replicationem spatium extensum replere posse; vt replent Deus, & Angelus spatium locale, & temporale. Ergo certum quoque esse debet, spatium extensum per plura indiuisibilia repleri posse. Compertum enim est, plura indiuisibilia per sui coniunctionem posse occupare, quod vnum quid indiuisibile occupat per sui replicationem. At plura indiuisibilia spatium extensum per sui coniunctionem replentia eo ipso sunt componentia quantum continuum extensum, vt constat. Ergo. Deinde confirmatur. Quia, dum indiuisibile mouetur, totum spatium, quod pertranst, metitur iuxta dicta supra in argumento 12. proposit. 6. sed mansura, quæ aliquoties repetita metitur quantum, eo ipso valet componere quantum æquale coniuncta cum totidem alijs sibi æqualibus, vt est notissimum. Igitur indiuisibile coniunctum cum alijs sibi æqualibus quantum æquale spatio, per quod mouetur, componere valet. Demum confirmatur. Quia vnum indiuisibile, additum alijs facit maius quantum discretum. Siquidem maior est numerus quatuor indiuisibilium, quam trium. Cur ergo non poterit facere maius continuum?

275 Dices. Quantum extensum non potest tangere aliud secundum se totum, nisi illud penetret. Igitur neque indiuisibile aliud indiuisibile. Concesso antecedenti; nego consequentiam. Discrimen est clarum. Quia, cum partes quantum extensorum inuicem sint inter se distantes, nequeunt singulæ partes vnius poni immediatè iuxta singulas partes alterius, quin aliæ cum alijs penetrantur. Quod est, non posse vnum secundum se totum tangere aliud, quin penetrantur. Indiuisibile verò, cum careat partibus, secundum se totum potest poni immediatè iuxta aliud; atque adeò illud secundum se totum per iuxta positionem tangere citra penetrationem.

Quinimo quantum intensum potest secundum se totum aliud quantum intensum tangere citra penetrationem: eo quòd omnes partes vnius, cum inuicem inter se non dissent, iuxta omnes partes alterius inuicem pariter indistantes possunt poni immediatè; atque ita illas per iuxta positionem tangere, quin cum eis penetrantur.

276 Quintò obijecitur. Ex non quantis non potest resultare quantum. Ergo ex indiuisibilibus, quæ non sunt quanta, nequit componi quantum continuum. Et confirmari potest. Quia, si quantum continuum ex indiuisibilibus componeretur, nullum esset compositum integrale ab essentiali condistinctum constans ex partibus homogenijs, seu eiusdem rationis: siquidem in omni composito partes diuisibiles diuersæ ab indiuisibilibus essent. Quod omnium Philosophorum consensui videtur refragari. Respondeo ad argumentum negando antecedens. Quia ex vnitatibus, quæ non sunt quanta discreta, resultant omnium consensu numeri, qui sunt quanta discreta. Cur ergo ex indiuisibilibus, est non sint quanta continua, non poterit, imò potiori iura, resultare quantum continuum. Ad confirmationem respondeo, quoties indiuisibilia sunt eiusdem rationis specificæ, totum ex illis compositum integrale esse, & partes eius homogenias: quia cum magis, & minus non variant speciem, partes ex indiuisibilibus compositæ eo præcisè titulo, quòd sunt diuisibiles, non sunt diuersæ speciei ab ipsis indiuisibilibus, ex quibus compositæ sunt: sicut totum ex partibus eiusdem rationis specificæ compositum eo præcisè titulo, quòd est diuisibile in tot partes, in quot nulla suarum partium est diuisibilis, non est ab eis specie diuersum. Tantumdemque est de partibus maioribus, quæ eiusdem speciei sunt cum minoribus, est diuisibilitatem ampliozem, quàm illæ, habeant. Ex quo patet, non ob id partes à toto, aut ab alijs partibus diuersas species esse, quòd carent diuisibilitate, quam totum, aut aliæ partes habent.

Cætera argumenta, quæ militent contra sententiam nostram oportunè proponuntur, & diluantur post sequentes propositiones.

Propositio 9.

Quantum continuum physicum solidum, quale de facto datur, ex duplici specie dumtaxat corporum regularium, scilicet ex Tetracdris, & Icosacdris; ex duplicique item specie corporum semiregularium, videlicet ex Exacdris, & Decacdris; ex multiplicique irregularium mirabili textura componitur. Quemadmodum quantum physicum perfectè planum, quale à Deo creari posset, ex duplici specie dumtaxat figurarum regularium, nempe ex triangulis æquilateris, & ex Exagonis; ex vnàque semiregularium scilicet ex Rhombis; & ex multiplici irregularium componeretur. Quorum vtrumque ex punctis, ex lineolis binorum punctorum, & ex triangulis æquilateris ternorum punctorum venit imprimis componendum.

Pro intelligentiâ, & probatione huius propositionis suppono primò, quinque esse figuras soli-

solidas sub planis superficiebus, atque adeo sub planis figuris rectilineis contentas omnium celeberrimas, quæ quinque corpora regularia, siue Platonica nuncupantur. Regularia quidem, quod simul sunt æquilatera, & æquiangula, atque adeo sub figuris planis, æqualibus, æquilateris, & æquiangulis contenta sunt. Platonica autem, quod Plato in Timæo quatuor Elementa, & Cælum hisce quinque corporibus comparauit; quodammodoque ex illis composuit. Sunt autem eorum nomina Hexaedrum, siue Cubus, Tetraedrum, Octaedrum, Dodecaedrum, & Icosaedrum. Quæ Euclid. lib. 11. Elem. definit. 25. & seqq. ita definit. Cubus est figura solida sub sex quadratis æqualibus contenta. Tetraedrum est figura solida sub quatuor triangulis æqualibus, & æquilateris contenta. Octaedrum est figura solida sub octo triangulis æqualibus, & æquilateris contenta. Dodecaedrum est figura solida sub duodecim pentagonis æqualibus, & æquilateris contenta. Icosaedrum est figura solida sub viginti triangulis æqualibus, & æquilateris contenta. Quomodo autem, præter hæc quinque corpora regularia, nullum aliud possibile sit, demonstrat noster Clavius in lib. 13. Elem. Eucl. sine. Vbi etiam ostendit, Cubum, & Octaedrum quoad bases planas, & angulos solidos reciprocari. Similiterque Dodecaedrum, & Icosaedrum. Quia Cubus habet sex bases, & octo angulos. Octaedrum verò è conuerso octo bases, & sex angulos. Dodecaedrum pariter habet duodecim bases, & viginti angulos. Cùm Icosaedrum è contra habeat viginti bases, & duodecim angulos. Tetraedrum autem secum ipso tantum reciprocatur, vt potè quod & quatuor bases, & quatuor angulos solidos habet.

279 Porro Plato ita prædictis quinque corporibus regularibus quatuor Elementa, & Cælum comparauit, vt Igni Tetraedrum, Aeri Octaedrum, Aquæ Icosaedrum, Terræ Cubum, & Cælo Dodecaedrum accommodauerit. Ex quatuorque prioribus quadamtenus quatuor Elementa composuerit. Supponit enim Plato Ignem, Aerem, Aquam, & Terram corpora esse. Et omne corpus ex planis, siue superficiebus consistere. Omne autem planum ex triangulis esse compositum. Et consequenter omnia corpora in triangula plana resolui. In quo planè stat pro sententia nostrâ. Quia tamen aliò respiciebat discurus eius, vt ex contextu palam est; assumit tanquam principia prima dictorum quatuor priorum corporum regularium duplex genus triangulorum rectangulorum. Alterum Scalenorum, in quorum sex resoluitur triangulum æquilaterum. Alterum Isoscelium, in quorum quatuor resoluitur quadratum. Atque ita Tetraedrum, Octaedrum, & Icosaedrum, quorum primum sub quatuor, secundum sub octo, tertium sub viginti triangulis æquilateris continetur, ex triangulis scalenis prædictis tanquam ex primis elementis à se assumptis componit. Primumque Igni, secundum Aeri, & tertium Aquæ attribuit. Cubum vero Terræ attributum, quod sub sex quadratis æqualibus contentum est, ex dictis triangulis Isoscelibus vt ex primis elementis componit. Quæ rursus quatuor corpora Ignis, Aeris, Aquæ, & Terræ elementa, & semina vocat.

280 Nos verò paulò aliùs sumentes exordium, prima elementa omnis corporis, siue quanti continui physici puncta indiuisibilia censemus. Ex


quibus primò coalescunt lineolæ binorum punctorum. Secundò ex his triangula plana æquilatera trium punctorum. Tertio ex his Tetraedra, quatuor punctorum. Quarto denique ex his Icosaedra tredecim punctorum. Ex quibus deinde rotum corpus, seu quantum continuum, compingitur modo postea explicando. Itaque, ex quinque speciebus corporum regularium dumtaxat veniunt in compositionem quanti continui, videlicet Tetraedra, & Icosaedra. Quo fortasse respiciebat triplex ille ordo specierum, & numerorum, quem Pythagoras, Platoque ponebant in rebus (puta corporeis) censentes scilicet ex numeris figuras, ex figuris autem rerum, species, siue naturas coagmentari, vt videre est apud Marsilium Ficinum compendio suo in Timæum Platonis cap. 40. Omnis quippe res corporea, atque adeo extensa localiter ex aliquo numero indiuisibilium punctorum, ex aliquibusque figuris composita est.

Suppono secundò, ea corpora sub figuris 281 planis rectilineis contenta dici à nobis semiregularia in præsentia, quæ æquilatera quidem, non verò æquiangula sunt. Cùm tamen irregularia dicantur cætera, quæ neque sunt æquiangula, neque æquilatera. Semiregularium autem duo dumtaxat notare opus est, vt pote quæ sola veniunt in compositionem quanti continui. Alterum Hexaedrum sub sex triangulis æqualibus, & æquilateris contentum, habetque quinque angulos solidos; duos quidem trium, & tres quatuor angulorum planorum. Alterum est Decaedrum sub decem triangulis æqualibus, & æquilateris contentum: habetque septem angulos solidos; duos quidem quinque, & quinque quatuor angulorum planorum. Irregularium verò corporum sub planis figuris rectilineis contentorum, quæ inhænta sunt, non est cur aliqua speciem notemus.

Suppono tertio, figurarum rectilinearum, 282 planarum alias similiter venire dicendas regulares; alias semiregulares; & alias irregulares. Regulares sunt quæ simul sunt æquilateræ, & æquiangulæ, vt Triangulum æquilaterum habens tria latera æqualia, atque etiam tres angulos æquales. Quadratum habens quatuor latera æqualia, atque etiam quatuor angulos æquales. Pentagonum habens quinque latera æqualia, atque etiam quinque angulos æquales. Hexagonum habens sex latera æqualia atque etiam sex angulos æquales. Et cætera huiusmodi. Semiregulares autem dicuntur, quod ad rem attinet, quæ sunt æquilatera non verò æquiangula, vt Rhombus habens quatuor latera æqualia, & quatuor angulos non æquales. Pentagonum habens quinque latera æqualia & quinque angulos non æquales. Et similes. Irregulares denique veniunt dicendæ, quæ neque latera, neque angulos habent æquales, vt quævis Trapezia.

Suppono quarto, punctum indiuisibile nul- 283 lam posse habere figuram. Quia figura nihil aliud est, quàm partium quanti dispositio. Punctum autem indiuisibile non habet partes, neque est quantum. Quoniam verò nos punctum concipere non possumus, nisi sub aliqua quantitate, & figurâ, & cum nullâ aliâ maiorem illud analogiam habet, quàm cum sphericâ, & circulari; sub hac vtique concipiendum est. Censendumque omnino, puncta ad componendum quantum continuum solidum citra vacuitates perinde inter se accommodari reipsâ, atque accom-

modarentur globuli parvuli ad componendum etiam quantum continuum solidum cum minimis vacuitatibus omnium inter se possibilem. Ad componendum autem quantum continuum planum similiter citra vacuitates perinde accommodari puncta reipsa, atque accommodarentur circuli parvuli ad componendum etiam quantum continuum planum cum minimis vacuitatibus omnium possibilem inter se. Et quoniam quantum continuum solidum ex punctis, & locorum ex globulis distinctè compositum in charta depingi non potest; depingatur, oportet, planum, quale cernis, ex circulis parvulis compositum, qui nobis loco punctorum sint. Ex his enim, quæ in tali plano nobis representantur semel expositis gradum faciemus ad explicandum, quid eueniat in solidis. Quanquam enim in quantis solidis nulla superficies exactè plana dicitur, præterquam composita ex tribus tantum punctis; possibile tamen est citra dubium superficies, quantumvis magna, perfectè plana composita ex punctis, à Deoque producta saltem in vacuo, siue seorsim ab omni quanto solido. Qualis censenda est esse, quæ in schemate proposito representatur.



284 In quo, ut vides, ex tribus quibusque punctis sibi vicissim immediatis fit triangulum æquilaterum, & ex sex quibusque triangulis ab vno suorum angulorum concurrentibus in eodem puncto fit exagonum ex septem omnino punctis compositum. Rursusque additis tribus alijs punctis cuilibet basi vniuscuiusque trianguli trium punctorum fit triangulum maius æquilaterum sex punctorum. Et ex sex quibusque huiusmodi triangulorum maiorum ab vno suorum angulorum concurrentibus in eodem puncto fit exagonum etiam maius constans ex decem, & novem punctis. Deinde additis alijs quatuor punctis cuilibet basi vniuscuiusque trianguli sex punctorum resultat triangulum maius æquilaterum decem punctorum. Et ex sex quibusque triangulis talibus concurrentibus ab vno suorum angulorum in eodem puncto resultat exagonum maius compositum ex triginta septem punctis. Et ita deinceps ascendendo à minimis versus maiora, tota superficies plana ex triangulis æquilateris; & ex exagonis figuris regularibus, tum minimis, tum maioribus, & maioribus mirabili contexturâ composita est.

Præterea ex quatuor quibusque punctis, quantum fieri potest sibi, immediatis Rhombus componitur. Additis autem vnicuique Rhombus quinque alijs punctis, Rhombus resultat maius compositum ex nouem punctis. Et vnicuique horum rursus additis alijs septem punctis à binis quibusque eius lateribus Rhombus conficitur maius decem & sex punctorum. Atque ita deinceps ascendendo à minimis versus maiores ex Rhombis itidem tum minimis, tum maioribus, & maioribus figuris semiregularibus mirabili etiam texturâ composita est tota integra superficies.

Denique accipiendo quouis trapezium quinque, aut ex sex aut ex pluribus punctis composito, ex similibus omnino trapezijs tum minimis, tum maioribus, & maioribus, atque adeo ex figuris irregularibus talis speciei tota superficies plana inuenietur mirâ etiam contexturâ composita. (Aduerte obiter puncta notata litterâ V. vnitua esse modalia; cætera autem extrema vnitua. Si tamen compositio ista ex punctis modis vniuentibus, & punctis rebus vnitis sit adstruenda. De quo infra).

Ad istum ferme modum si accipias multos globulos cereos loco punctorum, eosque paulatim ita coniugas ut minimæ omnium possibilem intersint vacuitates, quemadmodum in proposito plano parvuli circuli sunt coniuncti, deprehendes facillè id, quod depictum tibi non possum proponere. Nempe ex binis quibusque punctis lineolas rectas resultare. Ex ternis autem quibusque triangula plana æquilatera. Ex quatuor autem quibusque punctis solidatis componi Tetraedrum sub quatuor triangulis æquilateris contentum, & habens quatuor angulos solidos. Et ex viginti eiusmodi Tetraedris ab vno suorum angulorum concurrentibus in eodem puncto resultare Icosaedrum contentum sub viginti triangulis æquilateris, & habens duodecim angulos solidos, ex tredecimque omnino punctis constans, quæ sunt duæ primæ, minimæque figuræ regulares solidæ, siue corpora regularia, ex quibus quantum continuum solidum compositum est. Inter quas dantur aliæ duæ semiregulares, quas iam memorauimus, nempe Hexaedrum constans duobus Tetraedris, contentumque sub sex triangulis æquilateris, & habens quinque angulos solidos non æquales, ex totidemque punctis coalescens; & Decaedrum constans duobus Exaedris, contentumque sub decem triangulis æquilateris, & habens septem angulos solidos non æquales, ex totidemque punctis coalescens. Vnde Icosaedrum, immediatè ex duobus Decaedris habentibus idem punctum medium commune compositum est. Et quoniam in quanto solido ex punctis modo dicto composito nullæ figuræ exactè planæ reperiuntur præter triangula æquilatera minima ex ternis tantum punctis composita. Neque aliæ sunt possibile figuræ solidæ sub talibus triangulis contentæ, præter quatuor prædictas minimas etiam intra suas species. Conficitur, quantum solidum ex nullis alijs figuris solidis contentis sub figuris planis, præterquam ex quatuor prædictis, esse compositum. Tametsi ex pluribus alijs non sub figuris planis contentis compositum sit.

Quæ cum ita sint; sequitur, quantum planum factibile à Deo, quale depinximus, & quantum solidum, qualia sunt quæ de facto dantur, in multis differre, quod ad rem attinet. Primum enim differunt, quod in plano non solum dantur figuræ planæ minimæ intra vnamquamque speciem,

ciem, vt minima Triangula æquilatera ex ternis tantum punctis composita: minima Exagona composita tantum ex septenis: minimi Rhombi compositi tantum ex quaternis, &c: sed etiam dantur maiores, & maiores intra vnquamque speciem; vt vidimus. In quanto verò solido duntaxat dantur figuræ solidæ contentæ sub figuris planis minimæ cuiusque speciei; vt Tetraedra minima ex quaternis tantum punctis composita; Icosaedra minima ex tredecenis tantum punctis composita; Exaedra minima ex quinis; & minima Decaedra ex septenis. Tametsi aliz figuræ maiores, & maiores istis subsimiles, non verò exactè similes dentur sub planis figuris non contentæ. Secundò differunt, quòd in quanto plano multæ figuræ planæ irregulares, & rectilineæ, siue sub rectis lineis contentæ dantur tum minimæ, tum maiores, & maiores intra vnquamque earum speciem; vt etiam vidimus. In quanto verò solido nullæ figuræ solidæ irregulares dantur contentæ sub figuris planis: quia præter quatuor prædictas minimas, quarum duæ regulares, & duæ semiregulares sunt, vt constat ex dictis, nullæ aliz omnino figuræ solidæ dantur contentæ sub figuris planis. Tametsi dentur multæ sub planis figuris non contentæ non solum, quæ regularibus, & semiregularibus didis, sed etiam, quæ alijs excogitabilibus irregularibus subsimiles sint. Tertio differunt, quòd in quanto plano multæ dantur lineæ exactè rectæ, extentæque ab vno extremo eius ad aliud, & multæ dantur vndosæ vel adzquatæ, vel ex parte; vt in schemate depicto cernere licet. In quanto verò solido, præter lineolas binorum punctorum, omnes longiores sunt vndosæ. Vnde tradita differentia, & si quæ sunt aliz, promanant. Per quæ omnia propositio data satis superque exposita, atque comprobata videtur.

289 Sed dubitari potest. An ex punctis componendis quantum physicum quædam sint modi vnionis aliorum, atque adeò ab eis omnino inseparabilia, & cætera res per illa vnita, & separabiles ab illis. An potius omnia illa sint res vicissim separabiles, vicissimque sibi adhaerentes ad componendum quantum continuu; quem admodum res glutinosæ aut sibi inuicem, aut alijs citra modalem vnionem adhaerere solent. Vtrumque enim videtur possibile. Censeo, posteriori modo compositionem de facto fieri, saltem in plerisque quantis continuis, aut certè in omnibus homogenijs. Primò, quia alioquin non essent homogenia; cum puncta, quæ essent modi vnionis, specificè differrentia punctis, quæ essent res vnita, vt pote habentes præ illis prædicatum modi; & connexionis essentialis cum ipsis.

290 Secundò, quia, cum corpora, quantumvis dura, per tale genus compositionis consistere possint, non est, cur dicantur illa componi ex punctis, quorum alia aliorum sunt modales vniones. Secus namque necessitate eiusmodi vnionum modalium ad corporum continuationem, & consistentiam, absque fundamento illæ adstruuntur. Ad corporum autem continuationem, & consistentiam tales vniones necessarias non esse, inde videtur planè probari: quia sæpe duo corpora, quantumvis dura, ita copulantur medio glutine, aut bitumine aliquo citra omnem modalem vnionem aut ipsorum corporum interse, aut ipsius glutinis, siue bituminis cum ipsis, vt magis consistentia euadant, quàm, si essent vnium, & idem, adeò, vt difficilius per iuncturam, quàm per

aliam partem distrumpi, siue frangi possint, vt cernere est in tabulis, aut lapidibus fori aliquo glutine copulatis; in ferris, aut cupris copulatis statim; in alijsque huiusmodi. Igitur, sicut extrema ista citra vnionem modalem ita vicissim adhaerescunt, vt mediâ eiusmodi adhaerentia possint in vnium compositum adeò consistententer coire; sic & quæuis partes, atque adeò puncta quanti continui citra vnionem modalem poterunt ita suapte naturâ sibi mutuo adhaerescere, vt valeant coire in vnium compositum, etiam cum magnâ consistentiâ, atque firmitate, quando compositi natura illam exposcit. Iuxta magis enim, aut minus firmam adhaerentiam connaturalem partium, atque adeò punctorum euadit haud dubiè compositum magis consistens, seu magis durum, seu magis resistens fractioni, vel diuisioni.

291 Tertio; quia dum aqua, & vinum, aliaque huiusmodi corpora liquida permiscetur in minutissimas particulas, & forsan in vltimâ quandoque puncta absè inuicem dissecantur, vt per alternarum particularum vniones fiat exactè mixtio. Incredibile autem videtur totidem tunc corrumpi vniones, & totidem denuò produci ab ipsis extremis miscibilibus absque aliâ causâ, prout opus esset, si dictæ particulae, & puncta vnirentur per vniones modales, & non per meram adhaerentiam mutuam; vt constat.

292 Quarto; quia, cum in nostrâ sententiâ indiuisibile additum indiuisibili faciat maius, proindeque puncta modalia vnitiua, si darentur, maius cum alijs quantum componerent; fieret vtique si darentur, vt quo in partes minuitiores quodlibet quantum diuideretur, eò minus euaderet, quàm erat antea; quia tot puncta modalia vnitiua, corrumpentur, quot essent quanti diuisiones. Atque ita, dum triticum ad farinam, aut quoduis aliud corpus ad puluerem minutissimum redigerentur, minus molis, minusque ponderis haberent, quàm habebant antea. Quod planè contra experientiam est.

293 Quinto; quia materia prima communi existimatione nullatenus esse censetur operatiua. Operaretur autem suas vniones modales, si eas haberet, quoties ex partibus antea seiuictis componeretur.

294 Sexto; quia in quantis successiuis non dantur vniones modales aliorum indiuisibilium: quia vnio modalis, cum sit actuale vnendi exercitium, non potest non coexistere simul cum extremis vnitis. Extrema autem successiua non existunt simul, vt constat. Vnde neque quanta continua, quæ in se tantum sunt successiua, & permanentia in conseruari, tales vniones habent; quia quæuis earum deberet existere post vnium extremis vnendis, & antequam existeret alterum; quod tamen cum eius essentia vnionis actualis amborum stare non potest. Tantumdem ergò de cæteris quantis omnimodis permanentibus censendum est.

295 Propter hæc, & alia, quæ excogitari possunt, videtur dicendum, in quantis continuis de facto nulla indiuisibilia dari; quæ sint vniones modales aliorum ab his inseparabiles essentialiter; sed tunc esse res inuicem separabiles; conaturaliter tamen sibi inuicem adhaerentes ad componendum totum, magis, aut minus firmiter, siue tenaciter, prout totum suapte naturâ magis, aut minus durum, seu firmum, seu diuisioni obstans est; donec per aliquam violentiam toto diuiso separantur. In quem dicendi modum



dum tenentur conspirare omnes, quicunque negant in continuo indiuisibilia continuatiua componentis illud ex partibus in infinitum diuisibilibus; prout retulimus in principio presentis questionis. Si cui tamen eorum, qui physice nobiscum componunt illud ex punctis finitis, placuerit, ijs non obstantibus, ponere in illo vniones modales, atque adeo alia, quæ sint puncta vnitiua suapte essentia, alia, quæ puncta vnitiua sciat oportet in quanto continuo plano diuinitus possibili, quale depinximus in schemate supra proposito, duplo pauciora puncta vnitiua quam puncta vnita, sufficere ad componendum illud prout cernere est in ipso schemate. Vbi, vt notauimus, puncta vnitiua ea sunt, quæ per litteram V notantur. In quanto verò continuo solido, qualia sunt, quæ defacto dantur, sufficere puncta vnitiua triplo pauciora, quam vnita, ad illud componendum; eo quod, qua ratione in plano binis quibusque punctis vnitis vnicum vnitiuum respondet, eadem ternis quibusque respondet in solido; vt vnusquisque considerans, quæ in præcedentibus sunt dicta, deprehendere poterit.

Propositio 10.

296 Quid de opinione bipartitâ relatâ num. 141. quam dicunt de punctis infatis, seu virtualiter extensis, sentiendum sit, determinare. Et cætera, quæ opponi nobis possunt, argumenta diluere.

Retulimus in citato num. opinionem Recentiorum dicentium, quantum continuum ex punctis indiuisibilibus multitudine finitis componi; talia tamen puncta veluti inflata, seu virtualiter extensa esse; quatenus vnum quodque eorum spatium occupat diuisibile. Quod quidem spatium secundum quosdam in infinitum est diuisibile. Sicque proinde punctum quanti existit in illo, vt in minori, & minori in infinitum existere possit. Secundum alios verò finite diuisibile est, puta in octo, vel decem puncta spatij omnimodis indiuisibilia. Sicque proinde punctum quanti existit in illo, vt in minori, & minori tantum possit existere, vsque dum existat in minimo, in vnico scilicet dumtaxat ex prædictis punctis finitis spatij.

297 Circa hanc bipartitam opinionem statuo primo tanquam certum, punctum quanti indiuisibile in spatio locali diuisibili aliter, quam per sui localem replicationem, collocari non posse. Ita enim est demonstratum supra disp. 5. quest. 6. proposit. 23. quæ ad rem recolenda.

298 Statuo secundo vt mihi etiam certum, & demonstratum ibidem proposit. 26. punctum quanti indiuisibile spatium locale diuisibile nullatenus posse per sui localem replicationem replere, nisi tale spatium sit compositum ex solis indiuisibilibus, non verò aut ex solis partibus sine fine diuisibilibus, aut ex vtriusque. Cuius probatio petenda est inde. Vnde ex puris indiuisibilibus debet poni compositum spatium diuisibile ab indiuisibili quanti occupatum iuxta sententiam, quam versamus, tam ab asserentibus tale spatium esse in infinitum diuisibile, quam ab asserentibus finite tantum diuisibile esse. Defactoque videtur tale poni ab vtriusque.

299 Statuo tertio etiam vt certum, punctum quanti indiuisibile per sui replicationem, siue re-

petitionem in spatio locali diuisibili collocari posse. Quemadmodum Angelus indiuisibilis, & anima rationalis etiam indiuisibilis in spatio locali diuisibili collocantur defacto. De quo itidem videnda sunt, quæ scripsimus disp. 5. citatâ quest. 4. Vbi etiam probauimus, quamlibet rem indiuisibilem in spatio diuisibili replicatam, seu repetitam poni posse, non tantum per presentiam diuisibilem ex parte spatij, de quo non est dubium, sed etiam per presentiam indiuisibilem penitus, seque ipsâ subinde replicatam in eodem diuisibili spatio. Tamen impossibile sit, vt res indiuisibilis duret in tempore diuisibili per durationem indiuisibilem se ipsâ toti eo tempore per sui replicationem correspondentem, vt probauimus disp. 8. quest. 3. à num. 58. Cæterum punctum quanti in spatio diuisibili positum non bene à Recentioribus dicitur punctum infatum, imo nec virtualiter extensum. Sed punctum per sui localem replicationem extensum formaliter in loco dicendum est. Sicut anima rationalis neque inflata, neque virtualiter extensa dicitur; quod in spatio diuisibili locata est. Sed potius extensa formaliter in tali spatio, sicut & in eo presentia formaliter, per sui replicationem.

Statuo quarto etiam vt mihi certum, spatium locale diuisibile finitum ex solis punctis infinitis constare non posse. Quia, cum quoduis punctum talis spatij sit extra alia, additumque proinde illis faciat maius, vt supponitur eo ipso, quod ex illis solis componitur, spatium constans ex infinitis punctis non potest non esse infinitum. Puncta siquidem necessariò sunt partes aliquotz eius; & omne quantum compositum ex infinita multitudine partium aliquotarum necessariò est infinitum; vt demonstrabimus inferius disp. 13. In cuius etiam confirmationem veniunt omnia scripta in simili supra proposit. 7. quæ ad rem sunt applicanda. Hinc autem manifestè concluditur contra priores opinantes, dato, quod singula puncta quanti continui finiti spatij diuisibile per sui replicationem replerent, nullatenus talis spatij puncta posse esse infinita. Sed necessariò debere illa esse finita, vt supponunt posteriores. Pro quo recognoscenda sunt, quæ supra proposit. 4. scripsimus fusius ad rem.

His ita statutis, arbitror, Philosophiam, de presentia vnus cuiusque puncti quanti continui in pluribus punctis finitis spatij localis, qualis dumtaxat, vt diximus, possibilis est saltem diuinitus, nihil conferre ad leniendas difficultates de compositione quanti continui, quæ propriè ex compositione ipsâ nascuntur hoc, vel altero modo adstructa. Vt etiam colligere est ex dictis proposit. 4. Quamquam enim conferre, forsitan possit ad duas difficultates leniendas, aut etiam resoluendas; alteram de velocitate, & tarditate motus quanti continui, alteram de eius rarefactione, & condensatione, prout ex dicendis apparebit. Istæ tamen duæ difficultates, meo quidem, aliorumque multorum iudicio, communes sunt omnibus quanti continui compositionibus, quas hæcenus excogitauerunt Philosophi. Ab omnibusque proinde vincendæ sunt; quidquid sit de compositione quanti continui aut ex solis punctis, aut ex solis partibus sine fine diuisibilibus, aut ex vtriusque, prout etiam ex dicendis constabit. Sequitur enim iam, dumtaxatque superius post omnia prædicta stabilita, vt, præter argumenta diluta proposit. 8. cætera, quæ contrariè sententiam

riam nostram in præcedentibus propositionibus
tatis firmatam; & expositam opponi solent, pro-
ponamus, & diluamus. Sitque primum celebre
illud, quo contenditur, cum nostrâ sententiâ de
compositione physica quanti continui ex solis in-
diuisibilibus motuum constare posse. Nam, pos-
tà tali sententiâ, nullum mobile poterit naturali-
ter, & continuè velocius, quàm alterum moueri;
eo quòd, dum duo quæque mobilia mouentur
continuè, & naturaliter, necesse erit, vt quoduis
eorum in singulis instantibus temporis singula
puncta percurrat spatij localis; atque adeò im-
possibile erit, vt alterum in breuiori tempore,
tantumdem spatij localis procurrat, quantum
percurrit alterum in longiori, prout opus erat,
vt velocius, quàm illud, moueretur. Ponatur
enim hora temporis componi ex mille instanti-
bus, & leuca spatij localis ex mille punctis; nul-
lumque mobile erit iuxta sententiâ dictam,
quod possit naturaliter leucam percurrere aut in
breuiori, aut in longiori tempore, quàm horâ;
atque adeò, quod modò velocius, modò tardius
possit per leucam ipsam moueri. Si enim in
dimidiâ horâ aliquod mobile posset totam leu-
cam percurrere, singulis instantibus temporis
corresponderent bina puncta spatij localis: at-
que ita mobile in vnoquoque instanti temporis
duo puncta spatij localis, & consequenter duo
spatia sibi adæquata simul percurreret; vel red-
dendo se simul præsens duobus spatij localibus
sibi adæquatis, vel relinquendo alterum eorum,
per saltum absque præsentia sui. Quod vtrum-
que naturaliter est impossibile. Nam neque po-
test naturaliter idem corpus esse in duobus locis;
neque potest naturaliter transire de extremo lo-
co ad extremum, non transeundo per medium,
vt constat. Si autem posset aliquod mobile in
duabus horis integram leucam pertransire; sin-
gulis punctis spatij localis corresponderent, è con-
uerso bina instantia temporis. Quo fieret, vt in
vnoquoque puncto spatij, & consequenter in
vnoquoque spatio sibi adæquato per duo tempo-
ris instantia deberet mobile quiescere, continuè
que subinde non moueretur contra suppositio-
nem. Repugnat ergo, vt cum sententiâ supra-
dictâ maior, & minor velocitas motus localis na-
turalis, & continui, qualis citra dubium datur
defacto, possit componi. Quod est absurdum.

Hoc argumentum meo quidem, & mul-
torum sapientum præsertim recentiorum iudi-
cio eandem difficultatem habet in sententiâ com-
ponente quantum continuum ex partibus phy-
sicè in infinitum diuisibilibus. Nam, ex quibusuis
partibus siue infinitis, siue finitis aut proportio-
nalibus, aut aliquoties dicantur componi quali-
bet duo quanta continua, necessarium omnino
est, vt, si talia quanta sint inter se æqualia, & mul-
titudines quarumuis partium, ex quibus illa
componuntur, prout sibi inuicem correspon-
dent, sint inter se æquales: inæquales verò, si sint
talia quanta inæqualia, prout supra q. 3. proposit.
18. & 19. monstratum est. Quo supposito, quan-
tumuis tempus, & spatium locale ex partibus siue
siue diuisibilibus, atque adeò ex infinitis par-
tibus proportionalibus dicantur constare, eadem
vi argumentum factum militat contra velocita-
tem, & tarditatem motus localis. Quod vt soli-
ditiis, clariùsque ostendam, suppono ex demon-
stratis supra q. 3. proposit. 14. & 16. duo quæque
quanta seu multitudinis, seu extensionis eiusdem

generis, siue illa sint infinita, siue finita, necessa-
riò esse inter se vel æqualia, vel inæqualia. Dein-
de suppono, & si duo spatia alterum locale, &
alterum temporale quanta diuersi generis sint
quoad alia, quod attinet verò ad essendum inter-
se æqualia, vel inæqualia diuersi generis non esse,
etiam in sententiâ componente illa ex partibus
siue diuisibilibus. (In nostrâ enim nullum
est dubium; cum possint tempus, & locus ex toti-
dem indiuisibilibus composita esse). Cuius ra-
tio demonstrans est; quia præsentia localis con-
gruens alicui spatio locali, & alicui spatio tem-
porali potest congruere per adæquatam suarum
partium distributionem, producta scilicet succes-
siuè, & continuè quo ad omnes suas partes in
tali spatio temporali, vt est manifestè possibile.
Quæ præsentia subinde & tali spatio temporali,
& tali spatio locali erit æqualis iuxta doctrinam
demonstratam q. 3. citatâ proposit. 12. & 13. &
consequenter spatia ipsa, vt pote æqualia vni ter-
tio, æqualia erunt inter se, quæuisque pars vnus
proinde integro alteri inæqualis erit. Ponamus
igitur etiam in Aduersariorum sententiâ, spatium
vnus horæ, & spatium vnus leucæ æqualia esse,
totque propterea omnino partes primum, quot
secundum habere iuxta dictâ, & redibit vtiq;
contra ipsos eadem vi argumentum factum. Per-
currente namque quouis mobili totam leucam
in dimidiâ horâ, singulis quibusque partibus tem-
poris binæ partes ipsis æquales spatij localis cor-
respondebunt. Sicque fiet, vt mobile in vnaqua-
que talium partium temporis duas simul talium
partium spatij localis, & consequenter duo spa-
tia sibi adæquata simul percurrat, vel reddendo
se simul præsens duobus spatij localibus sibi adæ-
quatis, vel relinquendo alterum eorum per saltum
absque præsentia sui. Quod erat absurdum il-
latum contra sententiâ nostram. Percurrente
autem quouis mobili in duabus horis integram
leucam singulis quibusque partibus spatij localis
binæ partes temporis ipsis æquales corresponde-
rent. Quo fieret, vt in vnaquaque talium par-
tium spatij, & consequenter in vnoquoque spatio
sibi adæquato per duas tales temporis partes
quiesceret mobile. Quod erat alterum absurdum
illatum contra nos in hoc casu.

Sed dicunt Aduersarij. Eo ipso, quòd spa-
tium temporale, & spatium locale sunt siue siue
diuisibilia, cuius multitudini partium vnus toti-
dem correspondere partes in altero, maiores ta-
men, aut minores, prout opus fuerit ad proposi-
tum. Atque ita, cum mobile in dimidiâ horâ
velociori motu pertransit leucam, quot percur-
rit partes spatij temporalis, tot spatij localis per-
currere, maiores tamen. E contra verò, cum mo-
tu tardiore pertransit leucam in duabus horis,
quot percurrit etiam partes spatij temporalis,
tot spatij localis percurrere, minores tamen.
Quo cesant commemorata absurda. Sed contra
est, quòd, vbi sunt totidem partes maiores, non
possunt non esse totidem æquales, præciso sin-
gularum excessu, vt est manifestum. Igitur in
primo casu non potest non mobile percurrere
singulas partes spatij temporalis simul cum sin-
gulis ipsis æqualibus spatij localis: cumque pro
excessibus maiorum ipsius spatij localis nullæ
aliæ partes spatij temporalis supersint, in eisdem
necessariò percurrunt tales excessus; & con-
sequenter mobile in singulis partibus spatij tem-
poralis binas simul partes spatij localis necessariò
percurrat, aut per replicationem sui, aut per sal-
tum

Pariterque in secundo casu philosophan-
duo est vice versa. Quo indemnitate persistunt ad-
huc commemorata absurda.

305

Confirmatur, & declaratur. Quia in omni
sententiâ de diuisibilitate temporis, & motus,
& spatij localis, si semel ponatur, (vti ponitur ab
Aduersarijs), nullam esse partem temporis, cui
non respondeat pars motus distincta ab alijs, &
nullam esse partem motus, cui non respondeat
pars temporis distincta ab alijs. Tum, nullam
esse partem spatij localis, cui non respondeat
pars motus ab alijs distincta, & nullam esse par-
tem motus, cui non respondeat pars spatij lo-
calis etiam distincta ab alijs, necessariò conse-
quitur, talem motum, & tale tempus, & tale spatium
locale omnimodis mutuo sibi congruere per ade-
quatam suarum partium distributionem, & con-
sequenter æqualia esse tam quoad multitudinem
partium, quam quoad extensionem iuxta doctri-
nam demonstratam q. 3. propos. 12. & 13. Vnde
fit tertius, cum simili partium correspondentiâ, &
congruentiâ nullum motum peragi posse, nisi in
spatio locali, & in tempore sibi, & inter se prorsus
æqualibus: & consequenter, seruata tali partium
correspondentiâ, & congruentiâ, per idem, aut
per æqualia spatia nullatenus posse eundem, aut
distinctos motus fieri in temporibus inæqualibus.
Quod ipsum est, seruata tali partium correspon-
dentiâ, & congruentiâ, nullatenus posse motus
esse inæquales quoad velocitatem, aut tarditatem:
quæcumque denum esse dicatur compositio
quantitatis continui. Ex quo patet, à diuersitate
opinionum de tali compositione, difficultatem
de velocitate, & tarditate motus, & resolutionem
eius independentem esse. Recentâ enim prædi-
ctâ omnium partium temporis, & motus, & spa-
tij localis distributiâ correspondentiâ, & con-
gruentiâ, (quid quid sit de eorum compositione
aut ex indiuisibilibus solis siue finitis, siue infin-
tis, aut ex solis partibus siue siue diuisibilibus, aut
ex utriusque), impossibile prorsus est, vt quid-
piam moueatur per tantum spatium locale, nisi
in tempore æquale, totidemque omnino partes
habente, ac habet spatium ipsum, motuque pariter
æquali, quin possit nullatenus moueri aut in
minore, aut in maiore tempore, motuque aut mi-
nore aut maiore. Similiterque impossibile est, vt
quidpiam moueatur in tanto tempore, nisi per
spatium æquale, totidemque omnino partes ha-
bens, ac habet ipsum tempus, motuque pariter
æquali. Quod ipsum est, cum recentâ semper
eiusmodi distributiâ correspondentiâ, & con-
gruentiâ omnium partium temporis, & motus,
& spatij localis in nullâ sententiâ de compositio-
ne eorum posse componi, quod vnus motus sit
magis, aut minus velox, quam alius.

306

Requiritur ergo in omni sententiâ de quanti-
tati continui compositione ad motus velocitatem
maiorem, aut minorem illâ, quam dictâ con-
gruentiâ fert secum, quod motus ipse aliquo mo-
do desinat ab illâ. Desinere autem potest bi-
faciam. Nempe aut percurrente mobili in vnaqua-
que temporis parte plures simul æquales illi par-
tes spatij localis, idque vel per replicationem
sui in eis, vel per saltum iuxta superius dictâ,
quo casu motus erit velocior: eoque velocior, quò-
plures fuerint partes spatij correspondentes vni-
cuique temporis parti. Aut quiescente mobili in
vnaquaque parte spatij, dum pertransierunt plures
temporis æquales ipsi, quo casu motus erit tar-
dior, eoque tardior, quò plures fuerint partes

temporis vnicuique parti spatij correspondentes.
Cumque certum sit, quomodo ex his modis possit
motus supernaturaliter saltem descendere ab illâ
æquabili congruentiâ cum tempore, & cum spatio
locali ad hoc, vt alij velociores euadant, & alij tar-
diores; dissidium superest inter Authores, præter-
tim recentiores, quoniam eorum naturaliter de-
facto que res transigatur.

Quidam enim, vt Arriga disp. 16. Physi-
sect. 11. Quiedo contr. 17. Physi. punct. 2. & alij
cum Galeno & Vallesio per solas morulas com-
ponunt velocitatem, & tarditatem omnium mo-
tuum, qui defacto dantur, censentes, (suppositâ
compositione continui ex solis indiuisibilibus),
tunc motum fore summè velocem, quo velocior
alius esse non possit, quando in singulis instanti-
bus temporis percurreret mobile totidem indi-
uisibilia spatij localis. Atque adeo, quidquid ci-
tra summam velocitatem mouetur, aliquas mo-
rulas conficere quiescens per aliquot instantia
temporis in singulis indiuisibilibus spatij localis.
Eiusmodique morulas eò esse longiores, quiescen-
te scilicet mobili per vnicuique instantia temporis in
vnoquoque indiuisibili spatij localis, quo motus
minus velox, seu magis tardus est.

Verùm sententiâ hæc prorsus falsa mihi vi-
detur. Primò; quia iuxta illam nullus esset mo-
tus de facto durans per instantia temporis pau-
ciora, quam sunt indiuisibilia spatij localis, per
quod peragitur, quia velocitas talis motus exce-
deret summam in tali sententiâ possibilem.
Quod planè repugnat. Hoc autem manifestè est
falsum. Quia motus diurnus curusius puncti
Æquatoris Firmamenti per vnicuique diem natu-
ralem durat, spatiumque, per quod peragitur totè
circumferentia est ipsius Æquatoris: constans
1017562500. miliaribus, vt tradit Clavius in
Sphæram cap. 11. prope finem. Quis autem mani-
festè non videat, tam longam tot miliariorum
circumferentiam spatij localis multo plura pun-
cta habere, quam habet instantia dies vnus? Se-
cundò; quia cum punctum quoduis dicti Æqua-
toris percurrat in vna horâ 42398437 miliaria
iuxta dicta ex Galileo, si auis velocitissimè volans
percurrat in vna horâ 40. miliaria, vnicuique
puncto spatij localis, quod auis pertransierit, in
spatio locali, quod pertransit quoduis punctum
dicti Æquatoris, correspondebunt plura, quam
1059960. puncta. Atque ita, dato etiam, quod
motus curusius puncti dicti Æquatoris sit summè
velox, sicque iuxta sententiâ dictam tot, & non
pluribus instantibus temporis correspondens,
quot correspondet punctis spatij localis; proinde
de ex solis morulis interceptis in motu auis
nasceretur, quod adeo minor esset huius velo-
citas; necessariò sequitur, fore, vt auis in vno-
quoque puncto spatij localis, quod pertransierit,
per plura quam 1059960. instantia temporis
moraretur, siue quiesceret; atque adeo numerus
omnium instantium temporis, in quibus auis
quiesceret, ad numerum instantium temporis in
quibus moueretur proportionem haberet, quam
habet hic numerus 42398437. ad hunc 40. Quod
ex se videtur ridiculum. Inde enim planè fieret,
vt longè apertius experiremur morulas, seu quie-
tes auis adeo velocior volantis, quam experimur
eius motum. Cum tamen apertissimè percipiamus
per experientiam motum, & nullatenus per-
cipiamus per ipsam, vtrum vel breuissimas mo-
rulas ille secum patiat. Per solas igitur mo-
rulas motuum minus velotium differentie veloci-
tatis

ratis motuum naturalium, qui dantur, neutriquam componi possunt.

309 Propterea alij videntes ad rem philosophiâ supra commemoratâ de punctis inflatis, seu potius replicatis in pluribus spatijs localibus, per illam solam tentant componere inæqualitatem, velocitatum repertam in motibus naturalibus; censentes, tunc esse motum omnium tardissimum, cum mobile in singulis instantibus temporis singula indivisibilia spatij localis percurrat, velociorem autem iam esse, cum in singulis instantibus temporis, bina indivisibilia spatij localis percurrat per sui replicationem in illis. Eoque velociorem deinde motum euadere, quò plura indivisibilia spatij pariter per sui replicationem percurrat in singulis instantibus temporis.

310 Hanc sententiam impugnant aliqui ex eo, quòd iuxta illam necessarium esse videatur, quòd aliqua puncta mobilis inter se penetrarentur. Sed certè necessarium non est, si puncta mobilis non simul, sed successiue principio motus replicentur in pluribus punctis spatij hoc pacto. Sic mobile lineola recta quatuor punctorum mouenda in directum per lineam rectam spatij, quotcumque punctorum, ita, quòd in primo instanti, à quo incipit motus, primum punctum mobilis duo acquirat puncta spatij per sui replicationem in illis, & vnum relinquat, in quo erat, acquirendum à puncto immediato; sicque quoduis ex tribus punctis alijs à primo vnum tantum punctum spatij acquirat, & vnum relinquat in eodem primo instanti. In secundo verò instanti primum punctum mobilis duo alia puncta spatij pariter per sui replicationem acquirat, & duo, in quibus erat, relinquat à secundo puncto mobilis acquirenda, acquirente dumtaxat vnum, & alterum relinquente in eo secundo instanti tum tertio, tum quarto puncto mobilis. In tertio autem instanti primum punctum mobilis duo puncta acquirat, & duo, in quibus erat, relinquat pro secundo; secundum similiter duo acquirat, & duo, in quibus erat, relinquat pro tertio; quòd duo ea acquirat, relicto vno, in quo erat, acquirendo à quarto. In quarto denique instanti quoduis ex tribus punctis prioribus mobilis duo acquirat puncta, & duo relinquat, quartum vero relicto vno in quo erat duo sibi à tertio relicta acquirat. Iamque deinceps in singulis quibusque instantibus sequentibus semper quoduis punctum mobilis duo acquirat, & duo relinquat. Sicque integrum mobile in singulis quibusque instantibus sequentibus duo puncta spatij localis de nouo acquirat, & duo ex præacquisitis relinquat. Pariterque philosophandum est in cæteris huiusmodi casibus. Ex quo patet, quomodo absque vllâ suorum punctorum penetratione possit quoduis mobile per omnium eorum replicationem in pluribus, & pluribus punctis spatij localis velocius, & velocius moueri. Sed est aduertendum, quia proportione omnia, & singula puncta mobilis sunt, dum mouentur replicata localiter, eadem, & integrum mobile necessariò esse replicatum similiter quandiu mouetur. Si enim in exemplo posito quoduis ex quatuor punctis mobilis, quandiu mouetur, occupat duo puncta spatij, necessariò integrum mobile debet octo occupare. Deinde etiam est aduertendum, quia ratione, diximus, singula puncta mobilis, cum motus incipit, debere acquirere successiue replicationem, vt citra inconueniens penetrationis transeat mobile integrum à non replicato ad replicatum, eadem, sed

inuerso ordine, debere illa sub finem motus amittere successiue replicationem, vt citra inconueniens separationis transeat integrum mobile à replicato ad non replicatum, prout debet connaturaliter esse, dum non mouetur.

311 Cæterum, quamquam hæc ita sint, aliunde mihi non placet sententia proposita. Primò; quia, vt per experientiam ipsam deprehendi potest, nullus motus adeò tardus signari potest, quò tardior alius non possit dari; tardior autem illo, quò in singulis instantibus temporis singula puncta spatij localis percurruntur, absque morulis, quas dicta sententia non admittit, stare non potest, vt ex dictis in præcedentibus satis superque constat. Secundo; quia iuxta sententiam istam, quoduis mobile, excedens quoad velocitatem mobile tardissimum omnium minimo excessu, duplo longius spatium occuparet, dum moueretur, quam, dum quiesceret, iuxta aduertentiam factam nuperrimè: quia singula puncta eius, durante motu, bina puncta spatij occuparent. Mobile autem duplo velocius, quam hoc, consequenter occuparet, dum moueretur, quadruplo longius spatium, quam, dum quiesceret, & quadruplo velocius octuplo longius spatium, & sic deinceps. Cumque corpora sensibilia tanta connaturaliter nobis appareant, quanta sunt spatia, quæ occupant; quia ex omnibus spatijs, in quibus sunt replicata, sese nobis connaturaliter exhibent, prout ex doctrinâ traditâ supra disp. 5. quæst. 13. proposit. 5. licet colligere; fieret utique, vt omnia corpora sensibilia, quæ mouentur quavis velocitatis maiore minimâ, aut duplo, aut quadruplo, aut octuplo, aut multò amplius longiora apparerent nobis, dum mouentur, quam reuera sunt. Quod planè contra experientiam est. Cumque Sol plusquam millecuplo velocitatis moueatur, quam mobilia sublunaria mediocri velocitatis, plusquam millecuplo longior, quam est reuera, apparet nobis. Quod plane etiam experientie aduersatur. Tertio denique; quia, quoties mouetur circumferentia alicuius rotæ velocitatis maiore minimâ, cum totum spatium, per quod mouetur, ipsius circumferentia punctis sit plenum ante omnem eorum replicationem, eo ipso quod replicentur, prout debent, vt tam velocius moueantur iuxta sententiam dictam, inuitabilis est penetratio eorum, velt notissimum. Quam tamen non admittit sententia ipsa. Concluditur ergo, per solam replicationem maiorem, aut minorem punctorum mobilium in pluribus punctis spatij, per quod mouentur, maiorem, aut minorem velocitatem motuum eorum neutriquam posse saluari.

312 Postremò Recentiores alij, è quibus est Alfonso, disp. 25. Phys. sect. 8. & 9. putant, per solos saltus punctorum quanti continui ab extremis punctis spatij localis, per quod mouetur, ad extrema, quin in medijs fiant præsentia, differentias velocitatis motuum omnium naturalium bene componi. Addunt tamen, nullam punctum posse saltare, nisi ad punctum spatij, cui vel per se, vel per alia puncta eiusdem quanti intermedia sit applicatum. Sicuti nullum punctum agentis operari potest in passo, cui vel per se, vel alia puncta intermedia eiusdem agentis applicatum non sit. Itaque, requirunt, si sit lineola quatuor punctorum mouenda indirectum, ad punctum spatij immediatum primo puncto eius quoduis ex quatuor punctis ipsius transire poterit in primo instanti motus: quia quoduis est sufficienter illi appli.

applicatum immediatè, aut mediatè. Erit autem motus omnium tardissimus, si singula puncta talis lineolæ in singulis instantibus temporis ad singula puncta sibi immediata spatij localis transeant absque vilo saltu, omnium verò velocissimus erit motus, si quartum punctum dictæ lineolæ saltet ad primum spatij sequentis in primo instanti, & tertium ad secundum, & secundum ad tertium & primum ad quartum. Sicque deinceps; ita, quod in singulis temporis instantibus quoduis ex punctis dictæ lineolæ tria spatij puncta transiliat, quin in illis fiat præfens. Medijs denique motus erunt, si singula puncta ipsius lineolæ aut vnum tantum, aut duo puncta transilient spatij. Dicunt præterea, eo ipso, quod quartum punctum dictæ lineolæ medijs alijs tribus est applicatum primo puncto spatij sequentis, primum censerì applicatum quarto, vt ad hoc vsque saltare possit, quando quartum saltat ad primum. Similiterque tertium punctum lineolæ secundo spatij, & secundum tertio applicata censerì. Pariterque philosophandum esse, supponunt, de cæteris mobilibus quantis maioribus. Ex qua philosophiã inferunt consequenter, quò longius est quantum mobile, eò velocius moveri posse: eò autem minus velociter, quò minus longum est.

313 Hæc sententia etiam est mihi falsa. Primum; quia ponit cum esse tardissimum motum, quo mobile in singulis instantibus temporis singula puncta spatij percurrit. Sunt enim citra dubium motus multo tardiores; imo nullum est tardissimum, quo tardior alius dari nequeat, (scilicet intercedentibus morulis), vt experientiã constat. Secundò; quia inconsequenter, impertinenterque videtur exigere ad hoc, vt puncta saltent ab extremo ad extremum applicationes mediatas, vt enim primum punctum illius lineolæ ad quartum spatij saltare potest, etsi nulla alia sint interposita, medijs quibus sit reuerà illi applicatum; ita & vltimum posset saltare ad primum spatij, etsi non essent interposita alia tria, medijs quibus dicitur applicari. Tertiò; quia si sagitta viginti punctorum tanto impulsu moueretur, vt singula puncta in quouis temporis instanti, transilirent decem, & nouem puncta spatij, vt iuxta sententiam istam fieri posset, obuiamque staret tabula ferrea quatuor punctorum latitudinem habens, quindecim priora puncta talis sagittæ absque vlla offensione transilirent ipsam tabulam ferream; quia transilirent quatuor puncta spatij latitudinis eius, quin in illis præsentia fierent; proindeque tabulæ puncta ibi præsentia neutiquam illorum transitum, seu potius saltum impedirent. Hoc autem planè est contra experientiam. Quantumuis enim velociter sagitta moueatur, si opponatur ei tabula ferrea cuspis imprimis illius impinget in eam, quin vllum illius punctum, necum quindecim, ipsam sine offensione traiciat. De quo nullum est dubium.

314 His omnibus sententijs ita reiectis, quarum falsitas ex dicendis amplius constabit. Ego in re difficili arbitror primò, motum mediocriter velocem eum esse, quo mobile in singulis instantibus temporis singula percurrit indiuisibilia spatij localis, ita quod ex æquò sibi respondeant singula singulis indiuisibilia extensionis tum temporis, tum ipsius motus, tum spatij localis. Talis autem esse videtur motus auis percurrentis decem ferme leucas in vna hora: quia in tali motu, prout nobis apparet, neque videntur interponi vllæ morulæ, vt plura transeant indiuisibilia temporis, dum auis mouetur, quàm ipsa indiuisibilia spatij

percurrit; neque videntur interponi vllæ replicationes, vllæ ve saltus ipsius auis, vt plura sint indiuisibilia spatij, quod auis suo motu percurrit, quàm sint instantia temporis transeuntis, quandiu durat motus. Aliundeque consentaneum videtur, vt spatium decem leucarum ex tot indiuisibilibus compositum sit, ex quot instantibus vna hora est composita paulo plùs, minùs ve. Vel certè, quicumque sit motus mediocri velocitatis eorum qui de factò dantur, possibilem tamen motuum illum omnino mediocri velocitatis dicendum esse, qui quantitatem prædictam habet, æqualem scilicet quoad multitudinem indiuisibilium tum temporis in quo durat, tum spatio locali, per quod fit; indubitatum est. Siquidem correspondere motum totidem indiuisibilibus spatij localis, per quod fit, atque indiuisibilibus temporis, in quo durat, medium est inter correspondere motum pluribus indiuisibilibus spatij, quàm instantibus temporis, & correspondere motum pluribus instantibus temporis, quàm indiuisibilibus spatij. Illaque media correspondentia, vt potè, æqualitatis in indiuisibili consistit: cum tamen, istæ duæ extremæ, vt potè inæqualitatis, magnam latitudinem habeant. Multitudo siquidem indiuisibilium spatij, quibus correspondet motus, maior, & maior, & maior esse potest multitudine instantium temporis, quibus etiam correspondet; & vice versà multitudo instantium temporis maior, & maior, & maior multitudine indiuisibilium spatij. Certum est autem, quò plura sunt indiuisibilia spatij, quàm instantia temporis, eò velocitatem motus maiorem mediocri esse: eò verò mediocri minorem, quò fuerint instantia temporis plura, quàm indiuisibilia spatij. Quomodo autem velocitas motus minor mediocri sine morulis, maior autem mediocri sine replicationibus, ad saltibus mobilis stare non possit, ex dictis tum in præsentibus, tum modò notissimum est. Si enim plura sunt instantia temporis, quo motus durat, quàm indiuisibilia spatij, per quod fit, non potest non mobile per aliquot instantia temporis in quouis indiuisibili spatij morari. Si verò è contra plura sunt indiuisibilia spatij, quàm instantia temporis, necesse est, vt mobile aliquot indiuisibilia spatij percurrat in quouis temporis instanti, aut per replicationem sui, aut per saltum. Et quod de indiuisibilibus dicimus tum motus, tum spatij, & temporis, quibus ille respondet, pariter dicendum venit de partibus, ex quibuscunque demum illa composita esse dicantur.

Supposito igitur tanquam certo, quòd est possibilis saltem diuinitus, vt potè nullam contradictionem implicans, non solum velocitas motus mediocri, qualem exposuimus; sed etiam velocitas minor mediocri facta per morulas, & maior mediocri facta per replicationes, aut saltus mobilis, nihilque aliud proinde desiderari potest ad hoc, vt eiusmodi morulæ, replicationes, & saltus mobilis sint naturaliter possibiles, nisi quòd penes diuersas circumstantiarum peristatiles à naturis rerum exigantur, & eis sint debita. Arbitror secundò, eas quidem ita debitas, atque adeò naturaliter possibiles esse. Et quidem de morulis nullum est dubium: quia nihil est, quod vetet, posse naturaliter mobile in singulis spatij, quæ suo motu percurrit, aliquantisper quiescere, donec particula aliqua temporis transeat; quandoquidem per longius tempus saepe seipsum quiescit, post quietemque prosequitur motum, vt experientiã constat. Quòd autem mobile, quan-

quandiu mouetur, aliquas sui replicationes saltem inadæquatas in pluribus spatijs localibus naturaliter subire possit, etiam si, dum quiescit, nullatenus possit naturaliter esse in pluribus locis replicatum. Tum aliquos saltus breues saltem inadæquatos de extremo ad extremum conficere, etsi conficere non possit magnos, & adæquatos; inde suadetur vniuersè; quia multa sunt, quæ penes circumstantias diuersas modò naturaliter impossibilia, & modò possibilia sunt. Vt cornere est in omni corpore graui, quod naturaliter à se ipso sursum ascendere non potest; & tamen eum se offert necessitas impediendi vacuum, naturaliter à se ipso sursum ascendit. In lumine emissio, quod è subiecto diaphano nisi in directum naturaliter agere nequit, è opaco verò subiecto in sphaeram agit circumquaque; tum intra idem diaphanum recti sunt radij eius; traiecti autem, ex vno ad alterum diaphanum in ipso transitu franguntur. In igne nunc corpora dura colligante, nunc liquida indurante. In alijsque huiusmodi.

316 Quo posito, arbitror tertio, per eiusmodi morulas, replicationes, & saltus mobilium naturaliter possibiles differentias omnes velocitatis, & tarditatis omnium motuum naturalium venire componendas conuenienter ad experimenta; sedandasque difficultates omnes ortas ex ipsis experimentis, quæ tandem Philosophorum ingenia vexarunt. Igitur, vt ego cuncta sigillatim componam, existimo dicendum primo; quotiescunque velocitas motus mediocri est mediocritate paulò ante explicatà, nullas in tali motu morulas, nullasque replicationes aut saltus mobilis interuenire, imò nec posse, tali semper velocitatis mediocritate retentà, vt ex eius definitione, explicationeque traditâ constat. De quo, suppositâ illâ, nullum est dubium.

317 Secundo existimo dicendum; quotiescunque velocitas motus minor est, quàm mediocri dicta, id à morulis, quæ interponuntur, nasci, quæ eò sunt minores, aut maiores, pauciores, aut plures, quò motus minùs, aut magis infra dictam mediocritatem velox, seu magis, aut minùs tardus est. De quo etiam nullum dubium superesse videtur, suppositis, quæ in præcedentibus dicta relinquimus. Huiusmodi autem morula ex remissione virtutis causatur motus, & ex resistentiâ mediij, per quod fit motus, corporis ve existentis in illo, aut etiam ex alijs circumstantijs nascentur, vt pote in tali rerum, circumstantiarumque peristasi debet naturaliter.

318 Tertio existimo dicendum; (loquendo nunc tantùm de motibus non circularibus); quotiescunque velocitas eiusmodi motuum maior est, quàm supra dicta mediocri, id ab aliquibus replicationibus, & simul ab aliquibus saltibus se habentibus ex parte mobilis originem trahere; quæ replicationes, & saltus eò sunt plures, siue maiores, quò motus supra mediocritatem dictam velocior est; pro causaque connaturali habent tum intensionem virtutis motuæ, à qua fit motus, tum remissionem resistentiæ ex parte mediij se habentis, tum alias circumstantias. Sic autem consentaneè ad experientias, & ad rationem videntur huiusmodi replicationes, & saltus componi, vt primum solum indiuisibile mobilis ab eà parte, versus quam mouetur, replicationes subeat: (siue illud sit punctum siue linea, siue superficies iuxta ipsius mobilis quantitatem aut longam, aut latam, aut profundam); cætera verò

omnia indiuisibilia non replicationes subeant, sed saltus proportionatos replicationibus indiuisibilis primi. E. g. si mobile sit lineola quatuor punctorum, tantæque vi impellatur, vt perat in vnoquoque instanti temporis quatuor puncta spatij localis transcurrere; in primo quidem instanti primum lineolæ punctum in quatuor punctis spatij sequentibus ponetur simul replicatum; quoduisque aliorum trium punctorum lineolæ vnum tantum punctum spatij acquirere in eo primo instanti; eo quòd primum vnum tunc tantum, & non plura relinquit; in secundo verò instanti primum punctum lineolæ in alijs quatuor punctis spatij sequentibus ponetur replicatum, relictis quatuor in quibus replicatum erat; quo fiet, vt quoduis aliorum trium punctorum lineolæ iam in eo secundo instanti quatuor puncta spatij lucrari possit, quod præstabit transiliendo tria absque vllâ sui in illis præsentia, & se reddendo præsens in quarto: quo passu, modo, & ordine procedet motus in omnibus instantibus subsequenteribus. Pariterque moueri censenda sunt cætera quæque mobilia de quibus nunc agimus. Ponimus autem indiuisibile primum cuiusuis istorum mobilium replicari localiter, & non saltare, sicut cætera: quia si omnia saltarent, multa essent spatij puncta in quibus nullum punctum mobilis saltem ex anterioribus præsens fieret. Vnde sequeretur, quòd mobile in corpora obuiam occurrentia, sine in medio opposita suâ fronte non impingeret. Quo multa absurda contra experientiam sequerentur iuxta dicta supra contra sententiam tertio loco reiectam. Quoniam ergo ita cuncta sunt comparata in huiusmodi motibus, vt mobile naturaliter debeat sua fronte impingere in quoduis corpus sibi obuiam occurrens in qualibet omnino parte spatij localis, per quod mouetur, vel, vt expellat illud inde, & ulterius progrediatur, si maiorem, quàm illud, vim habuerit, vel, vt ab eo sistatur, detineaturque, si minorem; ideo naturaliter fuit necessarium, atque etiam sufficiens, vt prima frons, hoc est, primum indiuisibile mobilis in omnibus omnino indiuisibilibus spatij localis per quod mouetur, reddatur præsens, quod aliter, quàm per sui replicationem in pluribus non potest fieri, quando in vnoquoque instanti temporis plura eorum virtute causatum mouentium à mobili ipso naturaliter sunt transcurrenda. Ponimus deinde cætera indiuisibilia mobilis, præter primum, non per sui etiam locales replicationes, sed per saltus insequi illud. Tum quia tanta multitudo replicationum, replicatarumque præsentiarum eorum naturaliter esset superflua, quandoquidem solius primi indiuisibilis replicationes satis, superque sunt ad permeandum totum spatium locale, expellendumque, aut impellendum, quoduis corpus in quaui parte eius occurrens. Tum quia replicatio integri mobilis aliena est ab experientia iuxta dicta contra secundam sententiam. Appareret enim sæpe sæpius incomparabiliter longius, quàm reipla est, & quàm defacto apparet, quandiu mouetur. A replicatione verò solius primi indiuisibilis, etsi aliquantulum cresceret mobile quoad longitudinem; tale tamen accrementum vix, aut ne vix quidem vnquam potest esse sensibile. Si enim, vt dicebamus supra proposuit. s. num. 218. plusquam decies centum millia indiuisibilium (quæ numerum millionem appellant) non sufficiunt ad componendum quantum à nobis sensibile, etsi daretur motus tam velox, (qualis fortasse non potest naturaliter dari

ſaltem in ſublunariſibus), vt in vnoquoque inſtanti temporis trajiceret mobile millionem indiuiſibilium ſpatij, adhuc ſenſibile à nobis non eſſet illud longitudinis accrementum, quod ei pronerit à replicationibus primi ſui indiuiſibilis in ſingulis millionibus indiuiſibilium ſpatij localis. Cum tamen ſit totum mobile in eadem proportione replicaretur millione caplo longius euaderet, taleque à nobis appareret, quàm reipſa eſt. Vnde etiam appareret quomodo accrementum longitudinis pronerens Soli, aut alijs aſtris à replicatione primi eorum indiuiſibilis, eſſi ſit longe maius ob eximiam velocitatem motuum eorum, quàm quod in mobilibus ſublunariſibus reperiri valet, ob eximiam tamen eorum diſtantiã longiſſimè abſit, vt à nobis poſſit eſſe ſenſibile. Ex quibus omnibus concluditur poſitionem, & aſſertionem noſtram aptiſſimè omnium experientis, rationique congruere.

319 Excepi autem in illa motus circulares. Quia de his non nihil diuerſa ratio eſt, quando mobile quantum eſt concinuum replens totum ſpatium per quod in gyrum eſt mouendum; vt euenit in quavis circulerentiã rotæ circunquaque continuã. In tali enim caſu, cum nullum ſit in tali mobili indiuiſibile primum ab eo latere, verſus quod eſt mouendum; aliundeque in ſpatio, per quod faciendus eſt motus, vt pote pleno ſemper ipſo mobili, nec poſſit eſſe aliud corpus expellendum, aut impellendum, nec poſſit eſſe vlla particula, cui non ſit præſens aliqua particula ipſius mobilis; dicendum exiſtimo quartò; nullum indiuiſibile mobilis replicari localiter, etiam quando neceſſe eſt, vt quoduis indiuiſibile mobilis in vnoquoque inſtanti temporis plura indiuiſibilia ſpatij percurrat; ſed in tali neceſſitate euentu omnia, & ſingula indiuiſibilia mobilis per ſaltus tranſcurrere ea plura indiuiſibilia. Imo verò in caſu propoſito naturaliter eſt impoſſibilis replicatio alicuius indiuiſibilis, vt pote qua ſine penetratio- ne eius cum alio eiudem mobilis ſemper, & neceſſariò in eodem ſpatio exiſtens non poſſet fieri iuxta ea, quæ dicebamus ſupra num. 311. ſine. Eſt autem neceſſe in caſu dicto, vt quoduis indiuiſibile mobilis in vnoquoque inſtanti temporis plura indiuiſibilia ſpatij percurrat; idque etiam ſi velocitas motus eius non ſit maior mediocri; quoties mobile circulerentiã eſt diſtans à centro rotæ, quæ circa centrum ipſum in gyrum mouetur.

320 Quod vt planè intelligatur, ſuppono vt certum, quotieſcunque rota aliqua in gyrum circa centrum mouetur, omneſque proinde circuli, ſive circulerentiã eius, omniaque puncta, præter vnum centri, mouentur circulariter, eo velocius moueri circulerentiã, & puncta, quò remotiora à centro ſunt, eò autem tardiùs, quò propinquiora; quia, quò remotiora à centro ſunt, eò maius, quò propinquiora verò, eò minus ſpatium locale in eodem tempore percurrunt. Vnde contra ſententiam componentem quantum continuum ex ſolis punctis ſuius efficaciter ſibi videntur Aduerſarij vtgere argumentum deſumptum à differentijs velocitatis, & tarditatis motuum. Si enim punctum quoduis circulerentiã vltimæ rotæ, quod extremum eſt lineæ rectæ ab ipſo ad centrum extenſæ, octo e.g. puncta ſpatij percurreret, dum aliud punctum eiudem lineæ propinquum centro percurreret duo, neceſſariò ſequeretur, punctum circulerentiã vltimæ quatuor eorum octo punctorum ſpatij percurrere, dum

punctum centro propinquum in vno quoque eorum duorum quieſceret. Quo rursus ſerret, vt dicta linea recta, dum rota mouetur, aut frangeretur, aut ſaltem flexeretur. Idemque eſſet de cæteris lineis extenſis à circulerentiã vltimã ad centrum. Quod tamen planè contra experientiam eſt: quia neque vlla rota linea frangitur, cum rota mouetur; neque vlla flexitur; vt certere eſt in lineis rectis ab vltimã circulerentiã ad centrum depictis aliquo colore, quæ ſemper manent rectæ. Cæterum argumentum hoc eadem vi militare contra omnes ſententias de quanti continui compoſitione, ex dictis ſupra num. 303. & ſeqq. compertum eſt. Ex dictis enim ibi conſtat, quoties duo mobilia in eodem tempore inæqualia ſpatia localia percurrunt; ſi nulla omnino eſt pars ſpatij maioris, cui pars diſtincta ab alijs talis temporis non correſpondeat, neceſſariò vnicuique omnino parti ſpatij minoris debere correſpondere plures talis temporis partes; atque ita in vnaquaque omnino parte ſpatij minoris per plures talis temporis partes debere mobile neceſſariò quieſcere. Vnde in qualibet omnino ſententiã de compoſitione quanti continui, cum quavis particula circulerentiã vltimæ rotæ maius ſpatium in eodem tempore percurrat, quàm particula ſibi æqualis directèque ſibi verſus centrum reſpondens alterius circulerentiã inferioris, & propinquioris ipſi centro, ſi nulla omnino ſit pars ſpatij maioris, quæ à particula circulerentiã vltimæ non percurratur in parte talis temporis ab alijs diſtincta, vt argumentum factum ſupponit, neceſſe erit vtique, vt in vnaquaque parte ſpatij minoris particula inferioris circulerentiã per plures talis temporis partes quieſcat. Eademque ſubinde ſequuntur abſurda per argumentum factum illata.

Itaque difficultas argumenti propoſiti omni ſententiã de compoſitione quanti continui communis eſt, vt plerique Recentiores bene videntur. Quidquid multi ex componentibus illud ex infiniteſimis partibus, ab ea ſe cenſeant immunes. Sanè, quia partium infiniteſime obſoluta non ita pungit. Ob id in ſententiã componentem ex punctis inſinitis conati ſunt multi eam diſſoluere. Quorum varias ſolutiones reſert, & reſellit Quicquid contr. 17. Phyſ. punct. 9. dumque ſuam magnis expenſis adhibere conatur, alterum tandem ex abſurdis deuorat, quæ prætendebat argumentum, concedens, dum mouetur rota, omnes eius lineas per ſingula ſua puncta, tametiſi non rumpan- tur, ſentim inſecti. Quod ſanè incredibile eſt. Quis enim credat, rotam ferream ex eo, quod moueatur in gyrum, quantumuis tardè, tot omnium ſuarum partium pati inſectiones?

Ne igitur illas patiatur, ego ex doctrinã præmiſſa motum eius ita compoſo. Dico, dum rota mouetur quavis velocitate magnã, vel parvã, in quavis eius lineã extenſã ab vltimã circulerentiã ad centrum nullum punctum mutare ſpatium locale niſi in eodem inſtanti temporis in quo mutat illud punctum centro coniunctum. In inſtanti autem, in quo tale punctum tranſit ad punctum ſpatij ſibi immediatum, vnumquodque cæterorum punctorum totius lineæ ad illud punctum ſpatij tranſit per ſaltum, quod expedient eſt, vt omnia in eadem poſitione, in qua antea erant, & rota linea cum eadem reſtitudine, quam habebat antea, remaneant; quod ſit, ſaltante vnoquoque puncto totius lineæ, præter coniunctum centro, eò plura puncta ſpatij circularis ſibi

sibi correspondentis, quò distantiùs à centro est. Vnde si punctum coniunctum centro circum circa centrum moueatur velocitate mediocri supra explicatà, aut maiore mediocri, quæ nullas secum admittunt morulas, integra rota absque vllis morulis mouebitur: quia cætera omnia puncta velociùs, quàm punctum coniunctum centro, mouenda necessariò citra omnem morulam conficient per saltus suos motus, eoque semper velociores, quò distantiùs à centro sunt. Si verò punctum coniunctum centro circa ipsum moueatur velocitate minore mediocri, atque adeò suis morulis interceptà, eisdem omnino morulas patientur motus caterorum omnium punctorum totius lineæ; quia vnumquodque eorum ad faciendum suum saltum expectabit instans temporis, in quo punctum coniunctum centro post morulam mouendum est. Sicque velocitas illorum ex mixtione quadam saltuum, morularumque mobilis conficietur. Eritque æqualis mediocri, si morulæ, & saltus inter se sunt æquales; maior verò, si saltus morulas excedunt; & minor, si morulæ excedunt saltus. En qua ratione inæquales motus circulares in eodem tempore facti singularum partium rotæ maneant compositi absque vllâ prorsus inflexione, nedum fractiõne, partium ipsarum: & tota difficultas de eiusmodi motibus sedata: clarèque argumentum factum solutum. Quod Arriaga disp. 16. Phys. sect. 11. num. 241. se nunquam vidisse solutum, testatus est.

323 Quoniam verò hæcenus dumtaxat fuit sermo de partibus rotæ componentibus circumferentias continuas, aut etiam lineas continuas descendentes ab vltimâ circumferentiâ ad centrum. Superèit animaduertendum, quando rota habet partes versùs circumferentiam seiunctas, atque adeò non componentes circumferentias continuas, vt sunt in rotis orologij dentes externi, & brachia crucis interioris; tunc motus circulares talium partium, non per omnium suorum indiuisibilium saltus peragi, sed insuper per replicationes indiuisibilis earum primi à lacere, versus quod fit motus. Vti supra de motibus non circularibus omnium mobilium philosophati sumus: quia, quòd ad id attinet, eadem de motibus circularibus istarum partium rotæ est ratio; vt satis ex se notum est, suppositis dictis huc vsque. Neque propter replicationes primorum indiuisibilium eiusmodi partium rotæ frontes earum constituentium timenda est inflexio aliqua, nedum fractio, adhuc alicuius lineæ vltimæ ipsarum descendentiæ à circumferentiâ versùs centrum. Quoniam cuiusuis talis lineæ singula puncta ad eadem vltimâ puncta spatij sunt per replicationem sui transferenda in singulis instantibus temporis, ad quæ transferrentur per saltum, vt eandem ibi positionem, quam habebant antea, citra omnem inflexionem retineant; quam etiam eandem retinebunt in punctis spatij primis, siue immediatis ijs, quæ relinquunt pro punctis se insequentibus; quidquid sit de positione, quam antea non habebant in cæteris punctis spatij intermedijs, in quibus insuper replicantur. Quæ omnia in schemate plani ex punctis compositi & num. 283. depicti quisque considerans deprehendet. Ex quibus omnibus ita hæcenus, & satis rationabiliter stabilitatis prompta erit vnicuique optima ratio reddenda, pro quouis omnino excogitabili, quod ad rem spectet, experimento.

324 Venio iam ad argumentum alterum. Quod à rarefactione, & condensatione corporum natu-

ralium contra sententiam nostram desumi solet. Etenim, si quantum continuum ex solis indiuisibilibus fuit compositum est, quando corpus naturale citra omnem partium additionem extenditur per rarefactionem ad plura puncta spatij localis, quàm habebat antea, necessariò sequitur, vnumquodque punctum talis corporis in pluribus punctis spatij replicari localiter; quando verò vice versâ corpus naturale citra omnem partium detractionem per condensationem contrahitur ad pauciora puncta spatij localis, necessariò etiam sequitur, plura talis corporis puncta in eodem puncto spatij penetrari localiter. Vtraque autem sequela absurda est. Quia neque vnum corpus in pluribus locis, neque plura corpora in eodem loco possunt naturaliter poni. Verùm difficultas huius argumenti, quemadmodum & altera præcedentis, nihilo magis expeditur reuera per sententiam componentem quantum continuum ex partibus sine fine diuisibilibus, quàm per nostram; tamen non nihil ampliùs per illam infinitudine partium tegatur, & occultetur. Nam, vt dicebamus supra in simili à num. 303. in omni sententiâ de quanti continui compositione eo ipso, quòd spatium locale, & corpus densum ei correspondens totidem omnino habeant partes, nec plures, nec pauciores, (prout est necessarium, si nulla est omnino pars spatij, cui pars corporis distincta ab alijs non correspondeat, neque vlla est omnino pars corporis, cui non correspondeat pars spatij etiam distincta ab alijs), nequit maius spatium locale, cui correspondet idem corpus iam rarefactum, non habere plures partes, quàm illud. Necesseque consequenter est, vt vel plures partes huiusmodi spatij maioris respondeant eidem parti corporis rarefacti, factâ huius replicatione; vel ipsi corpori, dum rarefit, nouæ corporeæ partes accrescant, quibus respondeat excessus partium talis spatij. Similiter, si corpus rarum, & spatium locale, quod occupat, ita sibi mutuo congruunt, vt nulla omnino sit pars vnus, cui pars alterius distincta ab alijs non correspondeat, & vice versâ, non possunt non æqualia esse quoad partium multitudines. Et consequenter, cum tale corpus ad dimidium talis spatij duplo pauciores partes habens per condensationem reducitur, necesse est vtrique, vt vel binæ partes corporis in singulis partibus spatij per penetrationem iungantur; vel dimidium multitudinis partium corporarum, quæ replebant spatium maius, non intrent in hoc minus. Vnde patet, difficultatem de corporum naturalium rarefactione, & condensatione contra sententiam nostram nihil præstare: cum sit communis omni sententiæ de compositione continui.

325 Quare independenter ab omni huiusmodi sententiâ multi præsertim Recentiores tentant difficultatem istam dissoluere. Omittis autem varijs opinionibus, quæ relatæ, aut etiam impugnatæ videri possunt apud Conimb. lib. 1. de Generat. cap. 5. q. 17. Rub. ibi tract. de rarefact. Pet. Hurt. disp. 4. de Generat. Arriag. disp. 16. Phys. sect. 10. Ouid. contr. 7. de Gerat. Carlet. disp. 11. de Generat. & alios. Dux videntur probabiliores. Altera asserentium, rarefactionem fieri per intromissionem aliquorum corpusculorum in cavitates, siue poros corporis rari; qui pori, cum antea constricti essent, virtute caloris, aut alterius causæ superuenientis dilatantur, utque eos repleant, corpuscula tenuia circumstantia accurrunt, & intromittuntur. Condensationem

T r verò

verò vice versà fieri per ipsorum corpusculorum extramissionem; cum virtute frigoris, aut alterius causæ accedentis prædicti pori contringuntur, & illa expellunt. Altera opinio est eorum, qui censent, rarefactionem fieri per aliquas replicationes punctorum ex quibus componitur quantum continuum rarefaciendum in pluribus punctis spatij localis. Condensationem vero è conuersò per amissionem talium replicationum.

326

Ego ex his duabus opinionibus meam compono. Exillimo enim, aliqua corpora naturalia sæpe extendi ad maius spatium locale; eo quòd eorum pori dilatantur, alijsque corporibus tenuioribus modo dicto replentur. Quæ vice versà, contrarijs superuenientibus causis, ad minus spatium locale contrahuntur, contractis videlicet eisdem poris, expulsisque eisdem corpusculis. Quia tamen multa sunt citra dubium experimenta, in quibus eiusmodi corpusculorum intromissio nullatenus potest habere locum, & nihilominus corpora aut extenduntur ad maius spatium locale, aut contrahuntur ad minus; arbitror, in casibus istis aliter fieri non posse talem extensionem, aut contractionem, quàm per replicationes punctorum, ex quibus talia corpora componuntur, in pluribus punctis spatij localis, aut per eorum amissiones. Esse autem possibiles naturaliter hæcæ partiales, & paruas replicationes corporum in pluribus locis, tamen non sint possibiles totales, & magnæ, ex ijs, quæ dicebamus in simili supra n. 315. colligere est. Et quidem rarefactio, & condensatio factæ priori modo latè, & vulgariter solent tales vocari. Rarefactio enim, & condensatio propriè, & strictè sumptæ ex dumtaxat sunt, quæ posteriori modo fiunt. Quas certè definiunt communiter Philosophi cum Aristotele, dum dicunt. Rarum est, quod sub magnis dimensionibus parum habet materie. Densum vero, quod sub paruis dimensionibus multum habet materie. Non priores illas dilatationes, & contractiones corporum ab accessu, & recessu aliorum corpusculorum, atque adeò à multitudine, & paruitate materie provenientes.

327

Itaque aliqua corpora naturalia (non enim omnia videntur esse capacia rarefactionis, & condensationis) sæpe naturaliter exigunt, vt citra omne substantiæ accrementum, aut decrementum sub eisdem omnino partibus, ex quibus constant, modò in maiori spatio locali, modò in minori collocentur penes diuersas alterationes, quas subeunt, aut etiam alias extrinsecas circumstantias. Fieri autem nequit in omni sententiâ de quanti continui compositione, vt corpus habens pauciores partes, quàm spatium, in quo collocatur, illud nihilominus repleat; nisi aliquæ partes ipsius in pluribus partibus talis spatij replicatæ ponantur. Quemadmodum neque è conuerso potest fieri, vt corpus habens plures partes, quàm spatium, in quo est collocandum, ab eo nihilominus capiatur integre, nisi aliquæ partes talis spatij plures talis corporis partes in se penetras suscipiant. Quæ duò ex dictis, in præcedentibus satis, superque constant. Quia tamen perrationes locales non solum corporum diuersorum, sed etiam partium eiusdem corporis comparatarum inter se, quantumuis illæ sint exiguæ, omnino censendæ sunt impossibiles naturaliter: quia nullum adest fundamentum ad illas adstruendas possibiles. Dicendum ad rem nostram sequitur, tunc corpus naturale esse summè densum, ita, vt densius naturaliter non possit

fieri, quando iustè congruit suo spatio locali, ita, vt singulis punctis spatij singula puncta corporis, & viceversà correspondeant. Rarum autem eò magis erit, quòd in pluribus punctis spatij singula puncta eius sint replicata; aut quo plura eius puncta sint replicata in aliquibus punctis spatij. Non enim necessarium est, vt omnia puncta corporis rari subeant replicationem. Nam, cum minima replicatio possibilis vniscuiusque puncti corporis sit in duobus punctis spatij, sequeretur inde contra experientiam, non posse corpus referri, quin ad duplum spatium, quàm habebat, extenderetur. Quænam autem puncta corporis rarefaciendi sint replicanda, & quæ secus, quando ipsum poscit dumtaxat quod replicentur aliqua, neque adest causa naturalis determinans illa, vt fieri potest, Deus determinabit, sicut determinat, quinam gradus frigoris sint expellendi à subiecto, quando agens calefactiuum exposcit, vt expellantur dumtaxat aliqui. Et hæc de rarefactione, & condensatione satis ad præsens propositum dicta sunt. Cætera enim, quæ possunt desiderari, apud citatos Auctores possunt videri.

Sicut iam argumentum tertium contra sententiam nostram. Sequi ex illà, non esse possibiles figuras mathematicas perfectas, prout à Geometriâ considerantur, vt circulos, quadrata, triangula, &c. Quod videtur absurdum. Respondeo iuxta doctrinam traditam supra circa proposit. 5. etsi figuræ mathematicæ aut aliqua, aut omnes sub eà præcisâ perfectione, seu quidditate, sub qua à Geometriâ considerantur, reipsa distinctæ ab omni aliâ quantitate dari non possint, vt sicque proinde sint impossibiles; in quo nullum continetur absurdum; non tamen, propterea esse eas dicendas absolute impossibiles. Siquidem cum quantitatibus possibilibus, imò & existentibus sunt identificatæ realiter, etiam si per rationem nostram dumtaxat sint distinguibiles ab illis. Quemadmodum omnipotentia Dei possibilis absolute est; tamen si sub eà præcisione ab alijs attributis diuinis, sub qua à Theologiâ præcisiuâ consideratur, realiter non possit existere. Vide ad rem plura dicta loco citato.

Quartum argumentum. Lumen à Sole, & ab alijs luminosis, speciesque visuales à cæteris obiectis per lineas tantum rectas protendantur, vt constat ex experientia, & alibi à nobis ostensum est. Ergo subiectum diaphanum, per quod diffunduntur, physicè debet consistere lineis rectis à quouis puncto ad quoduis extensis. Quod cum sententiâ nostrâ proposit. 9. explicatâ stare non potest; Respondeo, lumen à Sole, & ab alijs luminosis, speciesque visuales à cæteris obiectis per lineas tantum breuissimas protendi, quæ licet non sint reipsa, & physicè exactissimè rectæ, vt sunt lineæ mathematicæ, prout loco citato statuiimus; tamen tam parum ab exactissimâ rectitudine desciscunt ob minimam omnium possibilium, quam habent, vndositatem; penes singula puncta; vt id pro nihilo reputetur in ordine ad effectus physicos, qui per breuissimas lineas peragi possunt; perindeque in ordine ad illos se habeat, ac si esset penitus nihil; nihilque subinde desciscerent ab exactissimâ rectitudine. Quod vniuersaliter dictum esto pro alijs huiusmodi argumentis diluendis. Quæ ab experimentis physicis peti possunt.

Quintum argumentum dogmata quædam certa Opticorum supponit. Nempe, glouum lumi.

luminosum alterius gloui æqualis illuminare semper dimidium è quacunque distantia. Alterius verò minoris semper plus, quàm dimidium, sed semper partem eò minorem, quò magis est distans. Alterius denique maioris semper minus, quàm dimidium, sed semper partem eò maiorem, quò magis est distans. Inferturque, si quantum continuum ex solis punctis finitis componeretur, dogmata ista falsa fore. Quod est absurdum, ab ipsa etiam experientia alienum. Nam si glouus Solis maior glouo terræ ab hoc recederet paulatim, singulis momentis illuminaret pauciora indiuisibilia circumferentia eius. Cùmque hæc ponantur esse finita, tandem perueniret ad distantiam, è qua aut eorum tantum dimidium, aut etiam minus, quàm dimidium, illuminaret; contra dogma secundum. Similiter si glouus Lunæ minor glouo terræ ab hoc recederet paulatim, singulis momentis illuminaret plura indiuisibilia circumferentia eius, tandemque, cùm ponantur esse finita, veniret ad distantiam, è qua dimidium eorum, aut etiam plus, quàm dimidium, illuminaret, contra dogma tertium. Non igitur ex solis punctis finitis componitur quantum continuum. Respondeo, dogmata Opticorum proposita mathematicè quidem esse vera cum toto rigore; sicut & cætera, quæ demonstrat Optica prout subalternata Geometria: physicè tamen ex parte vera esse, ex parte non item. Supponunt enim Geometria, & Optica, prædictos glouos exactè sphericos esse, lineasque inter illos, ductas exactè rectas, & vniuersè quoduis quantum in infinitum diuisibile. Quæ non ita habent ita physicè. Nam neque gloui sunt physicè exactè sphericæ, neque lineæ inter illos ductæ exactè rectæ, neque vllum quantum in infinitum diuisibile. Vnde, loquendo physicè, licet semper sit verum, glouum luminosum è quacunque distantia illuminare plus, quàm dimidium gloui minoris, & minus, quàm dimidium maioris; non tamen est verum, si glouus illuminans ab illuminato maiore recedat paulatim, fore, vt singulis momentis pauciora indiuisibilia circumferentia eius illuminet; plura autem, si recedat pariter à minore. Namque ob vndositatem, & inæqualitatem, quam habent reipsa cuncta indiuisibilia tum circumferentiarum glouorum, tum linearum radiorum luminis ab illuminante ad illuminatum tendentium, passim eueniet, vt ex distantijs diuersis, & inæqualibus eadem omnino indiuisibilia illuminentur, non plura, nec pauciora; imò, vt è longiore distantia interdum plura maioris, & pauciora minoris gloui indiuisibilia illuminentur, quàm è distantia breuiori; distantia autem, in quibus quoad partem gloui illuminati nulla variatio fiet, eò erunt semper maiores, quò glouus illuminans fuerit remotius. Vnde tandem eueniet, vt, licet indiuisibilia illuminanda finita sint, nunquam possit glouus illuminans tantum recedere, vt non illuminet semper plus, quàm dimidium gloui illuminati minoris, & minus, quàm dimidium maioris. Ex quibus patet, sententiam nostram nullum absurdum aut contra Opticorum dogmata, aut contra experientiam, inducere.

331 Sextum argumentum inferre ex sententia nostra conatur, nullum flumen fore nauigabile, & Nili ostia per centrum Mundi intrare in mare. Quod verumque est absurdum. Nam flumen lentum vno pede geometrico est decliue post vnum milliare passuum. Et, qui septem, aut

octo pedibus decliue est, rapidissimum est, & nauium impatiens. In nostrâ autem lententia mille passibus debet necessariò esse quoduis flumen decliue post alios mille: quia vnumquodque punctum decliuius esse debet antecedente; minoremque decliuitatem, quàm vnus puncti nequit habere. Vnde Nilus prope mare tantam comparasse debet decliuitatem, quanta inde est distantia eius vsque ad fontes. Vnde etiam infertur ob eandem rationem quoduis corpus longum tantillum inclinatum ad terram ex vnâ parte plus, quàm ex alterâ, vt lancea in humero militis, baculus, lectum, &c. tanto plus à parte altiore, quàm à depressiore, debere à centro terræ distare, quanta est longitudo totius corporis. Respondeo vno verbo, ad hoc, vt integrum, quoduis corpus decliuius sit ab vno latere, quàm ab altero, versus centrum terræ, non opus esse, quòd omnia, & singula indiuisibilia eius sint decliuiora subsequentiibus; sed tantum, quòd aliqua, plura, aut pauciora iuxta maiorem, aut minorem integri corporis decliuitatem, quòd etiam ex inæqualitate, vndositateve, quam seruant ipsa indiuisibilia in corpore ipso, quòd componunt, enascitur, optimèque cum illâ cohæret. Atque ita, si flumen post longitudinem mille passuum, vnum passum decliuitatis habet, indiuisibilia suis immediatè subsequentiibus decliuiora milleffima pars erunt dumtaxat omnium, quæ flumen habet per eos mille passus. Tantumdemque venit dicendum de quouis alio corpore ab vno latere decliuiore. Quo cessat argumentum.

Septimum argumentum. Si quantum, 332 non possent species magni obiecti per foramen fenestræ, & dioptram vitream traiectione distinctè illud cum omnibus suis partibus in chartâ intracubiculum existente depingere redactum ad figuram exiguam, vt depingunt, teste experientia. Nec possent species magni obiecti intrantes per pupillam oculi, & in humore crystallino contractæ, & collectæ ita pariter illud depingere in tunica retinâ, vt sub eâ magnitudine, sub eaque partium distinctione, sub qua de facto à nobis videtur, appareret, iuxta philosophiam de sensu Visus à nobis traditam in Pharo Scient. disp. 1. q. 2. Quoniam in hypothesi datâ vel vnumquodque punctum illius particulae papyri, aut retinæ, in qua depingitur obiectum, vnus dumtaxat puncti obiecti speciem susciperet; & sic non maior pars obiecti depingeretur, quàm esset ea ipsa particula papyri, aut retinæ, nedum obiectum totum. Vel in vnoquoque puncto dictæ particulae plurium punctorum species confluerent; & sic perinde res succederet. Nam omnia obiecti puncta vnicuique puncto talis particulae simul correspondentia ad eò confunderentur ibi, vt non apparerent plura, sed vnum. Solùmque apparerent distinctè, vt plura, quæ ipsius particulae punctis distinctis corresponderent. Quæ quidem non maiorem particulam obiecti possent componere. Recidimusque in idem absurdum. Vnde & aliud sequitur, fore scilicet, vt eadumtaxat puncta obiecti viderentur distinctè à nobis, quæ in punctis distinctis retinæ depingerentur. Sicque obiectum non appareret maius, quàm, si ex ijs dumtaxat punctis compositum esset. Quod vtrumque contra experientiam est. Non igitur ex solis punctis finitis componitur quantum continuum.

Respondeo primò, hoc argumentum eandem habere difficultatem, si quam habet, 333

in quavis sententiâ de compositione continui. Siquidem in quavis est necessarium iuxta doctrinam sæpe tactam, statutamque in præcedentibus, ut longè plures partes habeat magnum obiectum, quàm supradicta particula chartæ, vel retinæ, in qua illud depingitur: proindeque, ut vnicuique omnino parti talis particulæ longè plures respondeant partes obiecti, & consequenter ut, quæ distinctis partibus ipsius particulæ correspondent, maiorem partem obiecti nequeant componere, quàm est ipsa particula. Quod erat absurdum, primum illatum. Vnde & secundum pariter sequitur inferendum. Eas scilicet obiecti partes dumtaxat posse distinctè à nobis videri, quæ partibus distinctis retinæ correspondent. Sicque nec maius posse apparere nobis obiectum, quàm, si ex partibus ipsis solis componeretur. Quod verumque est contra experientiam. Quod autem plures obiecti partes defacto eidem parti retinæ respondeant, in loco citato Phari Scient. ostendimus ab ipsâ experientiâ. Ob id enim vestis franciscana contexta ex filis albis, & nigris eminentis visa fusca apparet, quia species filii albi, & nigri in eandem partem retinæ cadunt, ibique mixtæ colorem fulcum referunt, qui ex nigro, & albo compositus est.

334 Respondeo igitur secundo ad argumentum ipsum pro omnibus, in vnoquoque puncto particulæ chartæ, in qua depingitur obiectum, species multorum punctorum obiecti coniungi, taliaque puncta subinde in eo confundi, nullatenusque apparere distincta inter se in chartâ ipsâ. Quia tamen ea ex sibi vicissim proximioribus sunt, & componentibus plerumque obiecti partem homogeniam, illa verò, quæ punctis distinctis correspondent dictæ particulæ sunt ex vicissim inter se remotioribus ad partemque etiam eterogentiam obiecti spectantes, efficitur, ut in picturâ factâ in chartâ forma, & figura obiecti non amittatur, sed ut ad brevius spatium redacta representetur. Vnde, licet fateamur, si ea sola puncta obiecti, quæ distinctè representantur in chartâ, cum eadem positione physicè inter se coniungerentur, cum qua representatiuè in ipsâ chartâ coniunguntur, fore, ut ex eis res quadam resularet non maior quoad magnitudinem, quàm est chartæ pictura, & nihilominus retinens eandem formam, siue figuram, quàm habet obiectum, uti equus parvus eandem figuram, in minore tamen quantitate, habet, atque equus magnus; id vti que nequam est reputandum absurdum. Quemadmodum enim ex materijs magni ædificij possent desumi partes idoneæ ad physicè fabricandum aliud exiguum eiusdem omnino figuræ, relictis cæteris partibus, quæ superessent; & ex coloribus, quibus magnus equus pingeretur, potest sumi quantitas sufficiens ad pingendum paruum eiusdem figuræ, relictâ residua. Ita in nostro casu Natura artificio mirabili quasi desumit ex magno obiecto partes, quæ ad depingendum paruum eiusdem figuræ sufficiunt, cæteris, quæ superfluent, in confusione quadam velut relictis. Quod autem euenit in picturâ obiecti factâ in papyro ex speciebus obiecti introeuntibus per fenestræ foramen, per vitreamque dioptram collectis, pariter euenit in picturâ obiecti factâ in tunica retinâ ex speciebus obiecti introeuntibus per pupillam oculi, per crystallo idemque collectis. Atque ita, qui videret talem picturam aquæ, ac qui videret prædictam in papyro factam, solùm videret in illâ depictâ distinctè ea puncta obiecti,

quorum species in punctis distinctis retinæ receptæ sunt. Cæterum, quia etiam species, quæ in vnoquoque puncto retinæ coniunguntur, distinctorum punctorum obiecti sunt naturalia semina, in ordine ad eorum visionem; dum potentia visiva eâ specierum impressâ picturâ iuuatur ad producendam obiecti visionem, talem vti que visionem producit, quæ integri obiecti, atque adeo vtrorumque ipsius punctorum sit visio, scilicet correspondentium tum distinctis punctis retinæ tum etiam eisdem. Vnde fit, ut per talem visionem & totum obiectum videatur, & multo maius appareat (vti & est reuera) videnti illud in se ipso, quàm est pictura eius in retinâ per ipsius species impressas facta, quàmque apparetur in picturâ ipsâ, si per ipsius picturâ visionem quodammodo illud in illâ representatum videretur, vti videtur in picturâ factâ in papyro modo prædicto. Quo cessat secundum absurdum, quod præcedebat argumentum. Sed verò, quia, ut id ita fiat, necesse est, quod aggregatum punctorum obiecti vnicuique puncto retinæ correspondentium sub quantitate aliquâ, siue extensione representetur per visionem in tali puncto ipsi correspondentem, si non seorsim, saltem iunctum cum alijs; nam aliàs, si, ut quidpiam indiuisibile representaretur, obiectum integrum non maius appareret, quàm est particula retinæ, in qua illud est pictum. Scire opus est iuxta dicta in Pharo loco citato, ut sunt minima obiecta visibilia, quibus minora naturaliter videri non possunt, ita esse, minimas partes visivas in retinâ ipsis minimis visibilibus obiectis correspondentes, quibus minores naturaliter visivæ non sunt. Et vnamquamque harum, (quæ citra dubium ex multis punctis constat), atque adeo etiam quamlibet aliam maiorem suapte naturâ representare obiectum (scilicet per visionem in se receptam) sub tantâ quantitate, siue extensione, & non sub maiore, aut minore, & in tali loco respectivè ad alia, quæ videntur, non verò in alio; siue obiectum reuera habeat talem quantitatem, & talem locum, ut quando è distantia iusta, & per medium naturale, & à perfectâ facultate visivâ videtur; siue non habeat reuera, sed tantum apparenter; ut quando videtur vel è distantia improportionatâ, vel per medium præternaturale, ut per specula, tubum opticum, ængiscopium, &c. vel à facultate visivâ defectuosâ. De quibus plura videri possunt loco citato Phari. Modò vnum dumtaxat ex ijs ad rem colligo: vnicuique scilicet puncto retinæ eorum, ex quibus componuntur partes eius visivæ, suam etiam determinatam quantitatem obiecti visibilis aut veram, aut apparentem iuxta dicta correspondere naturaliter, nec maiorem, nec minorem, suamque etiam determinatum locum aut verum, aut apparentem, non alium. Quibus argumento proposito abundè satisfactum est. Ex dictisque circa præcedentia cætera, si qua contra sententiam nostram opposita fuerint, facile quisque diluet. Et hæc satis pro celeberrimâ iuxta, atque difficillimâ quantione de compositione quantiti continui.

QVÆSTIO V.

*Quid sit, in quo ve consistat speciarim
quantitas molis. Et quid præstet
subiecto quanto.*

335 **Q**antum in vniuersum dici quidquid ex partibus quoquomodo compositum, in easque diuisibile est, supra quæst. 1. statuimus cum Aristotele, & alijs præsertim antiquioribus: atque ita quantitatem vniuersè venire appellandam, (quidquid nonnulli ex modernioribus contradicant) eam partium amplitudinem, seu multitudinem, eam ve aptitudinem ad sui diuisionem, quam quoduis totum habet à partibus ipsis, ex quibus compositum est. Modò specialius de eà quantitate molis tractamus, à qua entia corporea habent. extensa esse, & impenetrabilia localiter.

336 De qua Nominales, quos sigillatim refert Soar. disp. 40. Metaph. sect. 2. censent, non esse speciale accidens distinctum à substantiâ, & reliquis accidentibus; sed vnumquodque ens corporeum à se ipso habere extensionem, & impenetrabilitatem localem. Cui sententiæ nouissimè subscribit Lynceus lib. 3. Metaph. tract. 4. cap. 3. Nonnulli autem Recentiores cum solâ materiâ primâ identificant quantitatem. In quam sententiam non parum propendet Arriaga disp. 5. Metaph. sect. 1. Communis tamen sententia cæterorum Doctorum est, quantitatem molis speciale quoddam accidens esse substantiæ corporeæ ab ipsâ substantiâ, & ab alijs ipsius accidentibus distinctum realiter. Ita S. Th. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. omnesque discipuli eius. Scot. cum suis in 4. dist. 12. q. 2. & in 2. dist. 9. q. 9. Soar. disp. 40. Metaph. sect. 6. Conimb. in Logica cap. de Quantitate q. 1. Pet. Hurr. disp. 3. Metaph. sect. 4. Quidèdo. contr. 7. Metaph. punct. 1. Carleton. disp. 9. Metaph. sect. 3. & apud eos alij plures.

337 Circa effectum verò formalem, quem quantitas præstat subiecto quanto variè sunt apud præcitos sententiæ Doctorum. Alij enim dicunt, effectum formalem quantitatis esse, reddere subiectum mensurabile, aut etiam mensuratum. Alij, (quibus consentire videtur Vaz. 3. p. disp. 190. cap. 3. n. 25.) tribuere partes inter se distinctas substantiæ, eamque reddere diuisibilem integraliter. Alij, reddere subiectum extensum, & impenetratum localiter. Alij, reddere subiectum extendibile, siue exigens extensionem localem. Alij denique reddere subiectum extendibile, & impenetrabile, siue exigens tum extensionem, tum impenetrationem localem.

338 Suppono vt certum apud omnes, vnamquamque rem corpoream ex partibus inter se distinctis compositam, quales sunt omnes, quæ cadunt sub experientiam nostram, nullatenus posse existere naturaliter aut absque extensione locali, ratione cuius singula partes molis, siue magnitudinis eius singulis partibus spatij localis inter se distinctis correspondeant; aut absque impenetratione locali, ratione cuius proprium sibi vendicet locum, ita, vt in eodem spatio locali simul cum aliâ re coniungi, siue penetrari non possit. Hoc enim cunctis per experientiam ipsam est manifestum. Vnde planè sequitur, intra vnam-

que eiusmodi rerum aliquid esse, cui imprimis debeantur iure naturæ talis extensio, & talis impenetratio localis. De quo est controuersia, quid sit. Et qualiter id aut istum, aut etiam alium effectum præstet ipsi rei vnicuique.

Propositio 1.

Existimo cum sententiâ communi, 339 quantitatem molis, à qua vnaquæque res corporea habet, non posse non naturaliter extensam esse, & impenetratam cum aliâ localiter, accidens quoddam speciale esse ab ipsius rei substantiâ, & cæteris accidentibus reipsâ distinctum.

Primum pro hac propositione argumentum defumitur ex mysterio Eucharistiæ. De fide enim est, in hostiâ consecratâ non manere substantiam panis; & nihilominus accidentia eius, quæ species sacramentales dicuntur, æquè, ac ante consecrationem, manent extensa, & impenetrabilia localiter. Ergo talis extensio, & impenetrabilitas non proueniebat à substantiâ; atque adeò neque à materiâ primâ panis; vt patarunt Recentiores num. 336. commemorati. Manet etiam inter accidentia dicta subiectum aliquod cæterorum omnium commune, vt pote receptiuum similitudinè à causis naturalibus; (quæ, nisi dependenter à subiecto, effectus suos connaturaliter causare non possunt): quandoquidem videmus, hostiam consecratam æquè, ac ante consecrationem receptiuam connaturaliter esse à causis naturalibus caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, coloris, sumptis, saporis, odoris, motus localis, aliorumque, si quæ sunt, accidentium eius. Quod subiectum aliud esse non potest ab accidente quantitatis specialis, in quo etiam ante absentiam substantiæ cætera dicta accidentia subiectabantur immediatè. Cum certum sit, dicta accidentia similitum à causis naturalibus connaturaliter oriundorum receptiuum non esse. A tali ergo subiecto cæterorum omnium accidentium prouenit, quòd hostia consecrata sit extensa, & impenetrabilis localiter: nec alia singula accidentia id per se habent, vt dicebant Nominales. Afferere autem cum Recentioribus citatis, hostiam consecratam post absentiam substantiæ panis per nouum, continuumque miraculum manere extensam, & impenetrabilem localiter; aut cum Nominalibus, omnes productiones nouorum accidentium, quæ subit hostia consecrata, & educationes connaturales eorum à causis naturalibus oriundæ videntur, tales non esse, sed creationes miraculosas factas à Deo ad præsentiam talium causarum, ne reueletur mysterium; irrationabile profectò videtur. Quandoquidem possibile citrà dubium est, vt pote nullam contradictionem inuoluens, quòd detur quantitas specialis prædicta. Et, eà semel adstructâ, tot, tantorumque nouorum miraculorum cessat omnis necessitas. Quare, eam dari defacto, asseuerandum est.

Secundò contra Nominales arguitur. Quia, 340 si vniuscuiusque rei substantia, & singula accidentia eius per se essent impenetrabilia cum alijs, & inter se essent impenetrabilia. Quod est absurdum. Cum sint penetrata defacto. Dicunt, solùm esse inter se impenetrabilia accidentia, quæ non inhaerent eidem subiecto, secus, quæ inhaerent. Sed contra primò. Quia inhaerentia ad idem

idem subiectum non tribuit accidentibus potentiam ad penetrationem, sed eam supponit: cum certum sit, quæ penetrari non possunt, nec posse inhaerere eidem subiecto. Si igitur calor, & color Petri præscindendo ab inhaerenti ad Petrum possunt penetrari inter se, ob idque & simul Petro inhaerere; calor etiam Petri, & color Ioannis, cum sint eiusdem rationis, erunt inter se penetrabiles, etsi non inhaerant eidem subiecto. Vel, si hæc non sunt penetrabilia, neque illa erunt; & redit absurdum illarum. Contra secundò. Quia accidentia Eucharistica eo ipso, quòd relinquuntur sine subiecto, deficiente per consecrationem substantiâ panis, & vini, redderentur inter se impenetrabilia, nouoque miraculo opus esset, vt non separarentur localiter. Quod etiam videtur absurdum. Propterea dicunt alij, sola accidentia eiusdem rationis inter se esse impenetrabilia; secus, quæ sunt diuersæ rationis. Sed contra primò. Quia iuxta sententiam probabiliorum gradus intensiōis vniuscuiusque qualitatis eiusdem rationis sunt; & tamen passim penetrantur defacto in eodem loco, & subiecto. Sed estò, sint diuersæ rationis, contra secundò. Quia radij luminis, aliarumque specierum Visus, quæ recta erant extendendi per partes subiecti diuersas, & in opposita dioptra, seu vitro connexo contracti in eandem partem subiecti cadunt, eiusdem rationis sunt apud omnes; & tamen in hoc, & sæpe in alijs casibus, penetrantur localiter. Ergo, &c.

341 Tertio etiam contra Nominales arguitur. Quia, si singula vniuscuiusque rei accidentia essent perse impenetrabilia cum alijs, quòd plura res accidentia haberet, magis impenetrabilis esset: atque ita aer illuminatus magis impenetrabilis esset, quàm obscurus. Quod certe alienum est ab omnium communi existimatione.

342 Quarto contra eosdem. Quia, cum omne ens impenetrabile cum alio eo ipso sit productiuum impulsus, quo illud loco pellat; sequeretur, quamlibet rem eò maioris esse productiuam impulsus, quo plura haberet accidentia. Quod non iam solum ab existimatione communi, sed ab experientia etiam alienum est.

343 Quintò. Eadem numero accidentia sensibilia producta naturaliter in vno subiecto poterunt etiam naturaliter produci in alio, determinante Deo causas eorum naturales ad ipsorum indiuiduationem. Sed, si producta fuissent in secundo, non fuissent impenetrabilia cum illo, vt sunt modò producta in primo. Igitur impenetrabilitatem, quam cum secundo modò habent, non à suâ essentia, sed ab alio quodam accidente habent existente modò simul cum illis in primo. Quo eodem pacto venit probandum, impenetrabilitatem, quam modò habet forma ignis A cum materiâ ignis B, non à suâ essentia, sed ab alio quopiam habere existente modò simul cum illà in igne A.

344 Quòd autem sola materia prima rerum corporearum earum quantitas molis non sit, præterea contra Recentiores supra citatos probari potest. Quia nulla est substantia defacto, quæ non se periciat ab intrinseco per aliquod accidens sibi annexum à se, & in se productum, vt discurranti per singulas innotescet. Ergo, cum materia prima quædam substantia sit, per aliquod accidens sibi annexum à se, & in se productum perficietur de facto. Aliud autem ad rem aptius non est excogitabile, quàm quantitas molis, de qua tractamus. Accedit, quòd cæteræ dispositiones,

quibus disponitur materia ad recipiendam formam substantialem, accidentia sunt superaddita, distinctaque proinde ab ipsâ materia. Ergo, cum vna ex dispositionibus sit, habere eam certam quantitatem, & extensionem ab accidente etiam sibi superaddito, hoc est à quantitate molis, de qua agimus, participabit illam.

Denique propositio nostra probari potest ab auctoritate Arist. lib. 7. Metaph. text. 8. dicentis; *Longitudo, latitudo, ac profunditas quantitas quedam, sed non substantia; quantitas enim non est substantia; sed magis, quæ hæc primò insunt.* Et lib. 1. Physic. text. 15. ait; *Si substantia, & quantum sunt, duo sunt.* Consentitque S. August. lib. 5. de Trinit. cap. 10. dicens; *In his, quæ magnitudinis participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud, quòd ab eâ magnum est.*

345 Opponent tamen Aduersarij contra nostram propositionem primò. Non sunt multiplicandæ entitates defacto sine necessitate. Sed non est necessitas ponendi de facto quantitatem molis specialem, prout à nobis ponitur. Ergo, &c. Retorqueo pariter in Aduersarios. Non sunt multiplicandæ prædicata, neque virtutes defacto in rebus sine necessitate. Sed, vnâ adstructâ quantitate molis speciali, non est necessitas ponendi in cæteris omnibus rebus corporeis prædicata impenetrabilitatis intrinsecæ, virtutesque productrices impulsus, prout ponuntur ab Aduersarijs. Ergo, &c. Rursus multò minus sunt de facto multiplicanda miracula sine necessitate. Sed, vnâ sublata quantitate molis speciali, tenentur Aduersarij multiplicare innumera propemodum miracula in mysterio Eucharistia: quorum omnium cessat necessitas, posita dictâ quantitate. Ergo, &c. Iam ad argumentum respondeo, concedendo maiorem; & negando minorem. Quia, supposito, quòd cætera entia corporea non sunt ab intrinseco impenetrabilia cum alijs, vt argumenta facta à nobis videntur probare, magna est necessitas ponendi dictam quantitatem specialem; à qua talia euadant extrinsecæ.

346 Secundo opponunt. Angeli, & cætera entia spiritualia sunt penetrabilia cum alijs entibus perse ipsa absque accidente superaddito. Ergo materia prima, & cætera entia materialia, siue corporea erunt pariter per se ipsa impenetrabilia cum alijs. Concelto antecedente; nego consequentiam. Primò; quia ex eo, quòd aliquid ens per suam essentiam præcisè habeat potentiam aliquam; non sequitur, quòd ens alterum etiam per suam essentiam præcisè habeat impotentiam oppositam. Anima enim rationalis est impotens penetrari cum alijs entibus per coniunctionem cum corpore extrinsecam sibi: tamen Angelus per suam essentiam præcisè sit potens penetrari. Secundò; quia non eo ipso, quòd aliquid ens sit materiale, siue corporeum, debet per essentiam habere non posse penetrari cum alio quopiam, vt cernere est in accidentibus materialibus cuiusuis essentia corporea: cum ipsa essentia, & inter se penetratis defacto. Estò eo ipso, quòd aliquid ens sit spirituale, debeat per essentiam habere, posse cum alio quolibet penetrari. De quo infra quæst. 7.

Propositio 2.

348 Reddere mensurabile, aut etiam mensuratum subiectum quantum, vt summum est

est passio propria quantitatis vniuersaliissima sumpta. Atque adeo nequit non esse passio communis quantitatis specialis molis, de qua modò agimus. Vnde essentia huius per illam nec definibilis, nec explicabilis est.

Prima pars propositionis ostenditur. Quia, quidquid habet quantitatem, quæcunque ea sit, eo ipso mensurari potest, atque etiam in mensuram ad aliud mensurandum assumi, vt satis ex se est notum, constatque ex dictis supra disp. 9. q. 5. à num. 143. Hoc autem ipsum est, esse illud mensurabile, atque etiam mensuratum. Dixi tamen vt summum, quia, licet, vt aliquid propriè sit mensurabile, quantum necessariò esse debeat, vt tamen mensura sit, quantitate non eger: quia vnitas quantitatis expers mensura est, qua quilibet numerus ex vnitatibus coalescens mensurari potest. De quo plura sunt dicta loco citato.

349 Hinc manifestè constat secunda pars propositionis. Quia, cum sit passio communis speciei id, quod est passio propria generis; eo quòd genus, & proprietates eius ad plura se extendunt, quàm species contenta sub illo, vt est notissimum: nequit non esse passio communis quantitatis molis specialis, de qua nunc agimus, id, quòd quantitatis in genere passio propria est.

350 Ex quo euidenter etiam sequitur pars tertia propositionis. Quia euidens iuxta, atque certissimum est, nullam essentiam posse definiri, siue explicari per solam passionem communem, vt pote notificantem dumtaxat vnã essentia partem, genus videlicet illud, cuius talis essentia est species, & cuius talis passio communis proprietates, seu passio propria est.

Propositio 3.

351 Impossibile omnino est, vt substantia à quantitate speciali molis realiter sibi superaddita partes inter se distinctas accipiat, reddaturque diuisibilis integraliter. Vnde effectus formalis talis quantitatis nullatenus esse potest, præstare distinctionem partium substantiæ.

Hæc propositio adeò mihi, & plerisque est euidens, vt mirum sit, vllum Auctorem esse, aut fuisse, qui oppositam reipsa docuerit; tamen si specie tenus, & penes loquendi modum nonnulli, docuisse, aut etiam docere videantur. Euidētissimum enim est, identitatem, & distinctionem rerum ita esse essentialia rebus ipsis, vt per extrinsecã, & superuenientia accidentia nullatenus possint variari, ita, vt, quæ realiter idem sunt, per accidens superueniens fiant distincta; aut vice versã, quæ realiter sunt distincta, per superueniens accidens reddantur idem. Quo semel statuto principio euidenti, (de quo videri possunt dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 13. q. 3. & supra q. 4. proposit. 3.), euidenter inferunt, substantiam per superuenientem sibi quantitatem molis distinctionem partium, quam ex se non habebat, aut non haberet, tali quantitate sublatã, nullatenus fortiri posse. Fieret enim inde contra dictum principium, vt extrema realiter inter se non distincta, atque adeò realiter inter se identificata, per superueniens accidens realiter distincta fierent. Itaque à nemine iure negari potest, de fa-

cto in homine substantiam pedis realiter esse distinctam à substantia capitis. Siquidem substantia pedis passim mouetur, & alteratur, non motã, neque alteratã substantia capitis; interdumque substantia pedis corrumpitur, & definit esse, semperque potest, non corruptã, nec desinente esse, substantia capitis; quæ prædicata sunt realiter contradictoria expostulantia necessariò subiectorum, quibus realiter conueniunt, distinctionem realem. Igitur iuxta principium suppositum substantia pedis, & substantia capitis hominis realiter quoque essent inter se distincta; etiam si quantitatem superadditam non haberent; integraque subinde substantia hominis ex illis tanquam ex partibus independentem à quantitate composita esset. Non igitur à quantitate aduentitiã mutuatur nunc substantia hominis distinctionem partium, quas habet, sed à se habet ita essentialiter, vt non posset non habere itidem, sublata tali quantitate. Quæ demonstratio in re comperta satis, superque est.

352 Obijcitur tamen ab Aduersarijs contra propositionem. Si substantia independentem à quantitate haberet partes inter se distinctas, etiam haberet existentiam, præsentiamque localem extensam habere posset; imo & exigere. Quòd quantitas ipsi superaddita, à qua hæc modò habet, superflua esset. Ergo &c. Respondeo, ex eo, quòd aliquod ens ex partibus inter se distinctis compositum sit, non sequi illud extensionem habere: quia potest fieri, vt tales partes non extensionem vllam, sed solam intentionem constituent, vt constituunt partes caloris, frigoris, & aliarum qualitarum existentium in eodem subiecto, atque etiam in eodem loco. Materia item, & forma, quæ opinione omnium independentem à superaddita quantitate sunt partes inter se distincta, eæque essentialia substantiæ, nullam eius constituunt extensionem. Igitur & partes integrales inter se distinctas potent habere substantia independentem à superaddita quantitate, quæ nullam constituent, aut habeant extensionem ante talis quantitatis aduentum.

353 Deinde dico, extensionem localem, de qua solã est sermo in præsentem, nihil aliud esse à præsentia locali spatio locali diuisibili, atque adeò extenso correspondente per suarum partium in partibus ipsius spatij distributionem, vt ex doctrinã supra traditã disp. 5. constat. Fore autem, vt posset diuisibilis substantia sine quantitate, de qua agimus, superaddita per talem præsentiam in spatio extenso collocari, in eoque subinde habere talem localem extensionem, non est dubitandum. Si enim Angelus absque simili quantitate potest collocari naturaliter in spatio extenso per sui totius replicationem, cur quoduis aliud ens habens partes non poterit saltẽ super naturaliter per suarum partium distributionem? Cùm hoc facilius multò videatur, quàm illud.

354 Quod dubitari potest, est, an substantia non habens quantitatem superadditam, de qua tractamus, posset naturaliter in spatio extenso cum dictã præsentia collocari; vel necessarium naturaliter esset, vt omnes eius partes ad vnũ punctum spatij confluerent, in eoque penetratã collocarentur. Nonnulli opinantur hoc secundum. Sed probabilius mihi videtur primum. Atque ita dico præterea cum Ouiedo supra punct. 2. & Carleton sect. 4. substantiam prædictã quantitate exutam indifferenter fore per se ad existendum in spatio locali aut extenso, aut indiuisibili: quia, licet partes eius

eius in eo casu possit connaturaliter inter se penetrari: talem tamen per se loquendo non exigent penetrationem. Atque adeo vel penetratæ in eadem parte spatij, eaque aut indivisibili, aut diuisibili, vel non penetratæ, sed extensæ in totidem partibus spatij connaturaliter existerent; nisi aliunde deberent per accidens ad vnum punctum centri confluere iuxta dicenda inferius sub finem quæstionis. Cum quo nihilominus bene cohereret, quod quantitas molis, quam adstruimus substantiæ superadditam, nullatenus superflua sit: quia tribuit impenetrabilitatem substantiæ, cæterisque ipsius accidentibus, quam, eâ sublata, non haberent, ratione cuius nec partes substantiæ, aliorumque accidentium inter se penetrari possunt, nec tota ipsa cum alio ente habente similem quantitatem penetrabilia sunt. Vnde consequenter huiusmodi quantitas indifferentiam substantiæ, aliorumque accidentium tollit, quam de suo præcisè habent ad extensionem, & inextensionem localem. A consortio siquidem talis quantitatis partes eorum tum inter se, tum cum alio quouis simili quanto impenetrabiles naturaliter proforsus euadunt. Ex quibus argumenti propositi, imo & aliorum, si quæ opponantur, satis, superque aperta solutio est.

Propositio 4.

355 Effectus formalis quantitatis molis, de qua agimus, non est reddere substantiam actu extensam, & impenetratam localiter.

Hæc propositio edeo certa est, vt opposita, saluâ fide, sustineri non possit. Quia certum est secundum fidem, Christum Dominum in Eucharistiâ sub speciebus panis, & vini extensum localiter non esse eâ extensione, de qua tractamus: & nihilominus totam suam quantitatem molis retinet ibi, quam habet in Cælo. Deinde certum est etiam secundum fidem, Corpus Christi Domini penetrasse tum lapidem sepulchri, cum resurrexit, tum portas Coenaculi, cum ianuis clausis intrauit ad discipulos, tum Cælos, cum ad eos ascendit. Tantumdemque fore de cæteris Beatorum corporibus habentibus dotem subtilitatis. Cum tamen verè retinuerit Christus Dominus, retinebuntque Beati suam quantitatem molis. Ratio autem à priori propositionis est: quia quantitas molis, de qua agimus, quid præuium est distinctumque realiter ab extensione, & impenetratione locali tum sui, tum substantiæ, cui inest: quia est quid præuium, & distinctum realiter ab actuali vbiuatione, seu præsentia locali earum, in qua earum actualis extensio, impenetratioque localis consistit, vt constat ex dictis.

Propositio 5.

356 Effectus formalis quantitatis molis, de qua agimus, est reddere partes substantiæ, cui inest, impenetrabiles tum inter se, & consequenter exigentes extensionem localem; tum cum alijs quibusque entibus habentibus similem quantitatem.

Quoniam huiusmodi quantitas essentialiter consistit in accidente quodam composito ex par-

tibus, quarum vnaquæque exposcit, eique debetur naturaliter non penetrari localiter cum aliâ quantitate simili sibi, siue ea sit compars sui totalem aliquam quantitatem secum componens, siue non item, sed vel totalis alia quantitas, vel aliqua pars eius. Vnde consequenter efficitur, vt tale accidens ex talibus partibus compositum exposcat, eique debeatur naturaliter extensio localis, à qua singulæ partes ipsius in singulis partibus spatij distinctis inter se collocentur. Ex quo rursus fit, vt, dum tale accidens substantiæ communicatur, & ei inhaeret, eadem extensio, eademque debita, seu iura naturalia ipsi substantiæ communicentur: siquæ partes substantiæ à tali accidente impenetrabiles euadant tum inter se, & consequenter exigentes iuridicè extensionem localem, tum cum alio quopiam habente, simile accidens, seu consistente in illo. Atque hinc etiam sequitur tertio, vt cætera accidentia eidem substantiæ inhaerentia aut immediate, aut mediâ quantitate molis exposcit, cum ipsi quoque quantitate, & substantiâ naturaliter penetrata, easdem exigentias, eademque iura naturalia participant impenetrationis suarum partium tum inter se, eoque titulo extensionem localem, tum cum alio quolibet ente, in quo fuerit similis quantitas.

Quæ omnia vt penitus intelligantur, noto primo, vnum quodque ens ex conceptu vniuersalissimo entis essentialiter exposcere aliquam præsentiam localem ex suppositione quod exiit: quia impossibile est, aliquod ens existere absque omni præsentia locali, vt supra disp. 5. q. 8. probatum est. Ex hac autem exigentiâ alicuius præsentia conueniente titulo entis substantiæ, & quantitati molis, & alijs accidentibus, & exigentiâ impenetrationis localis, quæ est propria talis quantitatis, & quam communicat ipsa substantiæ, & alijs accidentibus, coalescit exigentia extensionis localis, quam ea tria habent modo prædicto, quando eadem ipsa tria ex partibus composita sunt. Exigere enim totum aliquod impenetrationem localem suarum partium non est exigere earum extensionem localem: cum, verè impenetratæ, & simul inextensæ localiter essent, si existerent nullibi. Exigere etiam totum aliquod aliquam suarum partium præsentiam localem non est exigere localem earum extensionem: cum verè præsentis, & simul inextensæ essent, si in spatio indivisibili collocarentur. At exigere totum aliquod suarum partium præsentiam aliquam, & simul impenetrationem localem, hoc ipsum est exigere earum localem extensionem: quia hoc ipsum est exigere, quod singulæ suæ partes habeant præsentias in singulis partibus spatij inter se distinctis, in quibus consistit ipsa extensio earum localis. Prudens autem loquutus sum, de exigentiâ repertâ in toto composito ex partibus: quia si sit exigentia reperta in aliquo indivisibili siue substantiæ, siue cuiusuis accidentis, etiam si sit exigentia præsentia simul, & impenetrationis localis, nequiquam erit exigentia extensionis localis: quia licet enti indivisibili possit conuenire præsentia, & impenetratio localis, sed non extensio localis, de qua tractamus, facta per partium localem distributionem, quas nullas habet.

Vnde notandum venit secundò, in accidente te exigente impenetrationem localem, quod quantitatem molis dicimus, duas solet distingui das esse rationes, præsertim iuxta sententiam componentem illud ex solis indivisibilibus: alteram

tam quantitatis, quam habet à suâ compositione ex partibus, siue diuisibilitate in illas aequè, ac cætera quæque entia quanta iuxta dicta quæst. 1. de conceptu vniuersalissimo quantitatis: alteram exigentiæ impenetrationis, quæ à priori separabilis est, quandoquidem in quouis puncto indiuisibili (quod eo ipso non est quantum) talis accidentis inuenitur. Ex quo patet primò, prædicatum impenetrabilitatis non conuenire dicto accidenti, siue non pertinere ad ipsum, quatenus quantitas est, imò nec quatenus est quantitas extensa localiter; sed solum quatenus est tale quoddam accidens: quia ad conceptum quantitatis etiam extensæ localiter sufficit compositio ex partibus extensæ localiter iuxta dicta supra quæst. 1. qualem habere possunt substantia, & alia accidentia non impenetrabilia localiter, vt dicebamus proposuit. 3. Secundò patet, dictum accidens à dicto prædicato præcisè solum habere necessitatem impenetrationis localis, cum quæ necessitas præsentia oriunda à prædicato entis, & compositio ex partibus necessitatem componunt extensionis localis. Tertio patet, à dicto accidente, quod quantitatem molis dicimus, dumtaxat mutare substantiam, & alia accidentia necessitatem impenetrationis localis, non item rationem quantitatis adhuc prout extensæ localiter; quam à se ipsis habere possunt, vt constat ex dictis. Quia tamen necessitas ad præsentiam localem, & compositio partium, quas substantia, & alia accidentia habent ex se cum dicta necessitate ad impenetrationem componunt necessitatem ad extensionem localem, vt etiam ex dictis est notum: eatenus substantia, & alia accidentia dici possunt participare à quantitate molis necessitatem ad extensionem localem, & consequenter ipsam extensionem à tali necessitate oriundam infallibiliter, quatenus ab illa participant complementum talis necessitatis, non aliter. Quarto patet, malè dixisse Oniedo vbi supra. §. 4. possibilem esse quantitatem indiuisibilem, eo quod possibile est accidens indiuisibile impenetrabile localiter; quasi conceptus quantitatis in tali impenetrabilitate præcisè consistat. Quod falsum esse, constat ex dictis. Et quidem conceptione omnium communi quod indiuisibile est, eo ipso non quantum est. Ex quibus omnibus liquidum est, in quoniam consistant quidditas quantitatis molis specialis, & esseque formalis eius.

359 Hic quærent aliqui primò, vtrum quantitas molis sit modus substantiæ, vel res. Dico esse rem: tum quia in Eucharistia manet sine substantiâ: tum quia non habet minorem titulum ad essendum rem, quam habent calor, frigus, lumen, & cætera huiusmodi accidentia, quæ ab omnibus res reputantur.

360 Secundò quærent, vtrum substantia exuta quantitate molis posset moueri naturaliter. Dico, motu oriundo ab impulsu sibi impresso non posse: quia, cum esset penetrabilis cum omni alio ente, à nullo posset pati impulsu. Motu verò progressiuo, aut vitali, si esset animal, eatenus moueri posset, quatenus talis motus nullo indigeret impulsu, sed immediatè ab animâ fieret. Motu autem tendente in locum connaturalem, qualis est iuxta opinionem communem (quam modò supponimus) respectu grauium punctum, quod centrum est vniuersi, & respectu leuium spatium elementorum aeris, & ignis, naturaliter moueretur substantia si in ea, sublata quantitate, conferuaretur nihilominus grauitas, aut leuitas,

quæ talis motus principium est. Esset tamen, discrimen, quòd substantiæ grauis partes, cum nullum haberent obstaculum ratione suæ penetrabilitatis, quominus omnes peruenirent ad suum centrum, omnes vtique naturaliter in vnicum punctum centri confluere. Partes verò substantiæ leuis eam sibi in spatio aeris, aut ignis acquirerent extensionem localem, quæ sibi ibi magis connaturalis esset, attentà suâ multitudine. Supponitur quippe, locum naturalem, quo tendunt grauiæ vnicum spatij punctum esse; cum tamen locus naturalis, quo tendunt leuia, magnam latitudinem habeat. Quòd si substantia non solum absque quantitate molis, sed etiam absque omni principio naturali motus relinquatur, ea vtique non mouebitur nec præsentiam localem extensam, quam sub tali quantitate habebat mutabit, sed connaturaliter perseuerabit in illa: quia ex vi defectus dictæ quantitatis præcisè non debent partes eius præsentiam extensam mutare, nedum ad punctum spatij (vt nonnulli putant) confluere; prout supra iam à nobis proposuit. 3. dictum est.

Tertio quærent, vtrum substantia exuta quantitate molis posset naturaliter ab agente extrinseco alterari, vt caleferi, illuminari, &c. Dico, si substantia perse immediatè est receptiua aliorum à dicta quantitate accidentium, & non mediâ ipsâ quantitate, prout nonnulli opinantur, fore vtique, vt exuta quantitate connaturaliter alterari posset, si permaneret extensa localiter. Si verò perse immediatè aliorum à quantitate dicta accidentium receptiua non est, sed tantum mediâ ipsâ quantitate, vt plerique putant, semel tali quantitate sublata, non posset per receptionem illorum connaturaliter alterari. Mitto alia quæ posset etiam quæri.

QVÆSTIO VI.

Quanam alia de quantitate supersint adnotanda.

362 Dico, superesse adnotandum primò, Aristotelem in diuidendâ quantitate sumptâ vniuersè in suas species non satis firmum, nec vniuersam temper stetitisse, vt vidimus supra quæst. 2. diuis. 1. 1. Quo circa eius expositores circa eius mentem assequendam non parum solent altercari. Quem laborem nos prætermisimus vt parum vtilem, & quòd existimamus, Aristotelem in diuidendâ quantitate vniuersalissimè sumptâ, (quo pacto omni omnino enti in partes quoquo modo diuisibili competere), in explicandisque eius speciebus parum exactè processisse, vt ex dictis à nobis supra quæst. 2. liquidò apparere videtur. Propterea etiam missas fecimus controuersias, quas Auctores excitarunt circa admittendas, vel repudiandas species quantitatis, quas Aristoteles designauit. Quæ sunt; continua quidem linea, superficies, corpus, locus, motus, & tempus; discreta verò numerus, & oratio. Circa quas primò controuertunt Auctores, an corpus tantum, an verò linea etiam, & superficies sint perse species quantitatis directè spectantes ad eius prædicamentum. Secundò, an locus sit vera species quantitatis, nec ne. Tertio idem quærent de motu. Quarto idem de tempore. Quintò, an numerus propria sit quantitas, veraque, & propria pro-

pterea quantitatis species; vel tantum improprie, & analogice. Sexto idem querunt de oratione. In quibus omnibus questionibus utraque pars affirmatiua scilicet, & negatiua suos habet patronos, atque sequaces. Videantur, si placet, late tractate, nouissimeque à nostro Lynce lib. 3. Metaph. tract. 4. à cap. 5. vsque ad 8. inclusiue, aut etiam in alijs Auctoribus, quos ipse citat.

363 Nos enim omnes earum difficultates vno ferme verbo præcidimus supponentes ex dictis quest. 1. conceptum quantitatis, seu quanti adeo esse vniuersalem, vt omni enti composito ex partibus conueniat, vnde non est inconueniens, quod reperitur ille in entibus ad varia prædicamenta spectantibus, qualia sunt species recensitæ quantitatis, & alie, quæ adnumerari possent iuxta dicta à nobis supra quest. 2. veluti materialiter sumpta. Præterquam quod prædicamentorum constitutio valde arbitraria potest esse. Vtque decem Aristoteles constituit congruenter reducens entia ad ea decem capita, constituere potuisset plura, aut pauciora. De quo nos alibi. In quibus modo non oportet nobis amplius morari.

364 Secundo superest adnotandum, Arist. in lib. prædicam. sub finem tres quantitati attribuisse proprietates, nempe, non habere contrarium, non suscipere magis, & minus, & esse alteri æqualem, vel inæqualem. Ex quibus hæc tertia certissime est quantitatis proprietas cum toto rigore, vt pote quæ omni quantitati, & soli illi conuenit necessario. Hoc enim ipso, quod aliquod ens quantum est, non potest non esse cuius alteri eiusdem generis vel æquale, vel inæquale iuxta dicta quest. 2. dist. 8. & quæcunque inter se sunt æqualia, vel inæqualia, eo ipso quanta censentur. De duabus vero prioribus proprietatibus imprimis constat, proprietates cum rigore non esse, sed summum passionis communes quantitatis, vt pote quæ substantiæ, aut etiam alijs accidentibus non minus, quam quantitati, conueniunt. Neque aliud voluit Arist. Deinde vero, quod vel sic quantitati competant, certum non est, imo nec verum esse videtur.

365 Nam quantum, & non quantum contrarietate quadam metaphysicè videntur opponi. Sicuti diuisibile, & indiuisibile, vnum, & plura. Et si enim alterum horum extremorum explicetur per negationem, reuera quid positium est. Quantum etiam continuum, & discretum; quantum, extensum, & intensum; quantumque finitum, & infinitum metaphysicè pariter videntur inter se contrariari, quatenus talia quanta sunt; æque, æquale, & distinctum; simile, & dissimile, æquale, & inæquale metaphysicè contrariantur, quatenus talia relata sunt. Calor item, & frigus physicè contrariantur; quia mutuo se expellunt physicè ab eodem subiecto, non quatenus qualitates, aut tales qualitates sunt, sed quatenus quædam quanta sunt. Non enim inter se opponuntur quatenus calor, & frigus sunt, siquidem in gradibus remissis in eodem subiecto bene cohererent; sed quatenus tantus calor, & tantum frigus sunt. Quod est, opponi formaliter, quatenus quanta quædam sunt. Tantumdemque venit dicendum de cæteris quibusque extremis oppositis, non vt cunque, sed prout in tantà quantitate. Itaque non videtur verum, quod sit passio adhuc communis quantitatis non habere contrarium.

366 Iam vero, non suscipere magis, & minus multo minus videtur esse passio quantitatis, adhuc communis. Quia vel eo ipso sunt inter quanta

recensenda, quæ magis, & minus suscipiunt, iuxta doctrinam à nobis statutam quest. 1. Siquidem eo ipso sunt composita ex partibus, in easque diuisibilia. In quo stat ratio quantitatis. Et facit magis, vel minus quiddam suscipere, & fieri illud maius, vel minus, in idem recidit. Cùm ergo maius, vel minus quiddam esse non possit, nisi sit quantum; quia maius, & minus sunt differentie inæqualium, & nequit esse inæquale, quod non est quantum propter tertiam, & indubitatam proprietatem quantum ab ipso Aristotele statutam; nec poterit quiddam magis, & minus suscipere, nisi quantum sit. Tantum adest, vt non suscipere magis, & minus, sit proprietas quantum. Adde, lineam magis, & minus longam dici; locum magis, & minus amplum; tempusque magis, & minus extensum; & tamen linea, locus, & tempus quanta sunt quædam, ipso Aristotele testante. Quod si velit, eas particulas intelligi de solis qualitatibus prout magis, aut minus intensis, eæ vtique etiam sunt quanta quædam quatenus tales: ob id enim dicuntur item magnam, aut paruam intensiorem habere; æquales, aut inæquales esse quoad intensiorem; maiorem, aut minorem habere numerum graduum, quæ indubitata proprietates quantum sunt.

Tertio denique superest adnotandum, prædictis tribus Aristotelicis quantum proprietatibus nonnullas alias adijci à Recentioribus. In quibus examinandis mihi non vacat immorari; nec expedire, videatur Lynce lib. 3. Metaph. tract. 4. cap. 9. & seqq. Id mihi certum, incomparabile tr. plures, easque prorsus indubitatas proprietates habere quantitatem tum generatim, tum maxime speciatim acceptam. Tales enim sunt omnes illæ, quas ei adscribunt suis axiomaticis, & propositionibus omnes Mathematicæ disciplinæ; necnon, quas ei supra tetiginus quest. 5. tum remissionibus, tum propositionibus ibi traditis. Quinimo, præter eas, aliæ infinites infinitatum propriæ, tum communes passionis restant illi adscribendæ, iuxta doctrinam vniuersalem de infinitudine passionum propriarum, & communium, quas vnaquæque essentia habet, traditam à nobis in Phælo Scient. disp. 17. quest. 18.

QUESTIO VII.

Quid sit corpus. Quid Spiritus. Quid ens corporeum. Quid ens spirituale. Et quomodo pacto hæc differant inter se.

Suppono vt certum, corpus aliud esse mathematicum, aliud physicum. Corpus mathematicum est quodvis quantum habens trinam dimensionem, siue extensionem, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem, quod & solidum dici solet, in quacunque demum illud materia sit. In huiusmodi enim mathematicis extensionibus præinditur materia. Corpus autem physicum est substantia prædictæ quantitate mobilis, de qua egimus quest. 5. subiectaque accidentibus alijs sensibilibus: quales sunt, quæ sub sensu nostros medijs talibus accidentibus cadunt. In presenti autem questione non de corpore mathematico, sed de physico est nobis sermo; quod substantia etiam corporea vocari solet. Spiritus vero est substantia contraposta corpori, qua-

quatenus neque corpus, neque substantia corporea est. Substantiaque propterea incorporata, siue substantia spiritalis dicenda venit. Ens denique corporeum à corpore denominatur tale; & ens spirituale ab spiritu. Totaque præsentis quaestionis difficultas stat in assignando conceptu obiectivo entis corporei prout condistincti ab ente spiritali; & conceptu entis spiritalis prout condistincti ab ente corporeo.

369 Circa quam, omisâ sententiâ cuiusdam Renati Descartes asserentis apud Carleton disp. 7. de Animâ initio, naturam, & notionem corporis consistere in actuali extensione locali, vtpote quæ aduersatur Fidei de mysterio Eucharistiæ, ubi Christi Domini corpus absque actuali extensione locali est, cæteræ sententiæ ante omnia referendæ veniunt, vt sequitur.

370 Prima est dicentium apud eundem Carleton sect. 1. conceptum corporeitatis in dependentiâ à materiâ tanquam à subiecto consistere, conceptum verò spiritalitatis in independentiâ à materiâ pariter tanquam à subiecto.

371 Secunda aliorum apud eundem sententiâ est, materialitatem, siue corporeitatem consistere in sensibilitate, seu aptitudine quadam ad mouendum aliquem sensum. Spiritalitatem verò esse contra consistere in subtiliori quodam existendi modo nullo sensu perceptibili.

372 Tertia sententiâ est, conceptum entis corporei consistere in eo, quòd sit illud compositum ex partibus integralibus extensiuus. Conceptum verò entis spiritalis in eo, quòd tali careat compositione. Ita Vazq. 1. p. disp. 188. à n. 30. Gran. tract. 9. disp. 3. sect. 3. Pet. Hurt. disp. 2. de Animâ sect. 3. & alij.

373 Quarto Arriaga disp. 1. de Animâ sect. 4. sub. 6. dicit, corpus esse substantiam perse impenetrabilem cum aliâ eiusdem speciei. Ens verò corporeum vniuersè, quod vel est perse impenetrabile cum aliâ eiusdem speciei, vel cum ente sic impenetrabili commensuratur. Ens verò spirituale è contra, quod neque impenetrabile est cum aliâ eiusdem speciei, neque commensuratur cum ente sic impenetrabili.

374 Quinto Ouiedo contr. 1. de Animâ punct. 5. s. 3. conceptum entis corporei in totâ suâ latitudine definit sic. *Entitas, cui in statu, qui naturaliter illi potest accidere, formaliter ratione intrinseci repugnat penetratio cum aliâ eiusdem speciei omnino à se diuisâ.* Conceptum autem entis spiritalis sic. *Entitas, cui in statu, qui illi potest naturaliter contingere, non repugnat formaliter ratione intrinseci penetratio cum aliâ entitate eiusdem speciei omnino à se diuisâ.*

375 Sexto Carleton disp. 7. de Animâ sect. 4. ait, rationem rei corporeæ, prout à re spiritali distinguitur, esse, vt vel sit quantitas, vel quid habens connexionem aliquam physicam cum illâ, ita, vt sine eâ existere connaturaliter non possit.

376 Septimo denique Lynce lib. 6. Metaph. tract. 1. & 2. singulari quodam modo contendit, constituendos esse, & inter se discriminandos conceptus entis spiritalis, & entis corporei. Afferit enim primò, vt aliqua res sit spiritalis, seu (quod idem est) incorporata, triplicem negationem omnino debere secum importare; nempe, non esse corpus, non dependere à corpore in genere cause materialis, & non habere conditionem aliquam propriam corporis, prout omnino ac præcisè corpus est. Corporis autem, siue entis corporei, quod omnino ac præcisè tale sit, proprietates sex esse dicit; 1. esse integraliter diuisibile,

ac extensum; 2. esse perceptibile sensu corporeo; 3. esse impenetrabile cum quantis aliâ re eiusdem rationis; 4. esse corruptibile formaliter, aut radicaliter; 5. esse irrationale; 6. carere libero arbitrio. Deinde asserit, possibilem esse creaturam, quæ penes idem realiter sui simul sit corporea, & spiritalis propriè, & rigorosè. Talem enim censet eam, quæ tres prædictas negationes importauerit ex vnâ parte, quo titulo spiritalis erit; ex alia verò aliquam ex prædictis sex proprietatibus entis corporei habuerit, quo titulo erit corporea. Pro exemplo adfert substantiam haud dubie possibilem, quæ indiuisibilis sit, & cum aliâ eiusdem rationis impenetrabilis. Ea enim tum negationem corporeitatis omnimodæ ex sex dictis proprietatibus coalescentis, tum negationem aliquis earum, scilicet diuisibilitatis, tum negationem dependentiæ à materiâ habebit, quæ sunt dictæ tres negationes; aliundeque impenetrabilitatem cum aliâ eiusdem rationis, quæ est vnâ ex proprietatibus entis corporei omnino talis. Denique asserit, vt ens aliquod præcisè, & omnino spirituale sit, omnes prædictas sex conditiones entis omnino corporei debere excludere, oppositæque sex habere; nempe, esse indiuisibile integraliter, ac extensivè; esse imperceptibile sensu corporeo; esse penetrabile cum quouis alio eiusdem rationis; esse incorruptibile; esse rationale; & esse liberum. Incipio ab impugnatione positæ huius sententiæ. Sitque.

Propositio 1.

Sententiâ proposita Lyncei varijs de 377 causis videtur absque dubio improbanda.

Primò quidem. Quia possibilem adferunt creaturam, quæ penes idem realiter sui simul sit spiritalis, & corporea, contra communem Doctorum consensum existimantium, ac supponentium vnanimiter, spirituale, siue incorporeum, & corporeum conceptus esse inter se oppositos; non certè respectiue ad idem connotatum dumtaxat, secus verò ad diuersa, vt censet Lynce; sed absolute, & simpliciter; adeò, vt in eandem entitatem realem nullatenus coire possint. In his enim quaestionibus de essentijs, & definitionibus rerum, quæ fermè in quaestionibus de nomine solent recidere, vt sæpe alias dixi; aliundeque magni momenti sunt, vtpote determinantes principia scientiarum, qualia sunt definitiones, à consensu communi Doctorum recedendum non est; sed cum eis sentiendum, pariter & loquendum. Quare cum illi hæcenus intellexerint, vt citra dubium intellexerunt, sub nominibus corporis, & spiritus, corporeique, & incorporei conceptus ita inter se oppositos, vt eidem rei secundum idem sui conuenire nequeant; ita sanè de talium nominum significatione imprimis statuendum est; deindeque querendum, in quo consistant significata eorum talem oppositionem habentia.

Secundò. Quia concedit, eiusmodi creaturas defacto dari, talem enim esse, concedit, præsentiam localem, quæ Angelis præsentis sunt spatijs extensis, vtpote habentem diuisibilitatem extensiuam corporum propriam. Vnde etiam concedit, aliquod accidens corporeum in Angelis parè spiritalibus subiectari. Talia etiam esse, vtpote corruptibilia more corporeorum, cætera Angelorum temporalia accidentia, vt intellectiones, volitiones, durationes, &c. de plano tenetur

concedere iuxta suam doctrinam. Tamen si solum concedat illis meticolose aliquod materialitatis vestigium. Quæ omnia valde aliena etiam sunt ab unanimo consensu Doctorum; ex seque distantanea rationi. Imo fortasse periculosa propter dogmata fidei, quæ huc spectant.

379 Tertiò. Quia, stando in dicta sententiâ, necessariò dicendum est, gratiam habitualem, & omnes virtutes infusas, earumque actus cum cæteris omnibus intellectus, & voluntatis tum in Angelis, tum in hominum animabus receptos entia quedam esse non minùs corporea, quàm spiritualia, utpote quæ ex sex proprietatibus corporum designatis tres saltem habent, scilicet corruptibilitatem, defectusque rationis, siue intellectus, & liberi arbitrij. Quod quàm alienum sit, & exorbitans à mentè, & sensu omnium Doctorum, nemo non videt.

380 Quartò. Quia, stando in dicta sententiâ, necessariò etiam est dicendum, indivisibilia materia primæ entia spiritualia esse simul, ac corporalia: quia impotant secum tres negationes, quæ sunt character entis spiritualis. Siquidem talia indivisibilia neque sunt corpus omnino tale, neque dependent à corpore in genere causa materialis, neque habent unam ex proprietatibus corporis omnino talis, scilicet divisibilitatem. Tantumdemque venit dicendum de actione creativa, quæ Deus creavit, & conferuat materiam primam, utpote quæ duas priores negationes etiam fortitur, & pro tertia habet negationem corruptibilitatis adhuc radicalis, qualem habere censetur materia ipsa prima titulo principij passivi corruptiones substantialis, quale non est creatio eius. Habere autem indivisibilia materia primæ, & conservacionem eius spiritualitatem aliquam propriam, & rigorosam adhuc cum corporeitate mixtam, in auditum etiam prorsus est.

381 Quintò, quod amplius est, sequitur ex eadem sententiâ coelos, & astra non esse purè, & omnino corpora, sed mixta quedam ex corpore, & spiritu: quia deest illis vna ex proprietatibus corporis purè, & omnino talis, nempe corruptibilitas, quasque subinde eo titulo habent ex tribus negationibus supra dictis ad conceptum spiritus requisitis, & insuper tertiam, quatenus sumpta indivisim à corpore non sunt dependentia tanquam à causa materiali. Id quod eorum materia potiore iure eisdem ex titulis habet. Quàm autem sit absurda hæc sequela, omnibus palam est.

382 Sextò improbanda venit sententiâ dicta. Nam absque fundamento, imò & contra rationem requirit ad conceptum corporis purè, & omnino talis, quòd sit corruptibile, & carens intellectu, & arbitrio. Tum quia cæli, & astra sententiâ omnium corpora sunt purè, & omnino talia; & tamen sunt incorruptibilia. Tum quia, si daretur substantia extensa, & impenetrabilis localiter cum corporibus, quæ de facto dantur, æquè, ac corpora ipsa sunt extensa, & impenetrabilia inter se, quantumvis ea esset incorruptibilis; aut intellectu, aut libera, corpus nihilominus purè, & omnino tale diceretur eodem modo, atque corpora, quæ dantur de facto, talia dicuntur. Hæc enim haud dubiè non dicuntur talia, quòd sunt corruptibilia, aut expertia intellectu, & arbitrio; sed eo titulo præcisè, quòd sunt localiter extensa, & impenetrabilia inter se: nam hoc solo titulo habent concrecionem, siue crassiciem propriam, oppositamque

tenuitati, siue subtilitati spirituum.

Septimò venit pariter improbanda. Quoniam absque fundamento etiam, & contra rationem requirit ad conceptum spirituum, siue rei incorporeæ purè, & omnino talis, quòd sit incorruptibilis, pollensque intellectu, & arbitrio. Tum quia gratia habitualis, virtutes infuse, intellectionesque & volitiones Angelorum, & hominum ex omnium sententiâ sunt purè, & omnino spirituales; & tamen neque incorruptibilitate, neque intellectu, neque arbitrio præditæ sunt. Tum quia eo ipso, quòd quævis substantia esset inextensa, & penetrabilis localiter cum qualibet aliâ, quantumvis esset corruptibilis, aut expertia intellectu, & arbitrio, incorporea purè, & omnino nuncuparetur, æquè, ac, quæ de facto dantur, ex eo titulo præcisè nuncupantur haud dubiè tales.

Octavò denique improbatur dicta sententiâ. Quia ex eo, quòd substantiæ corporeæ, quæ dantur de facto, habeant sex prædicata illa divisibilitatis, impenetrabilitatis, corruptibilitatis, carentiæque intellectu, & arbitrij; substantiæ autem spirituales sex opposita; malè inferit, omnia priora requisita esse ad conceptum corporis purè, & omnino talis; & omnia posteriora similiter ad conceptum spiritus. Quia, cum sit certum ex vna parte, plura esse genera eorum possibilem, quàm, quæ de facto dantur; ex alia verò dicta sex prædicata mutuo inter se metaphysicè connecta non esse, necessariò consequitur, ita accidentariè illa coniungi in substantijs corporeis, & incorporeis, quæ de facto dantur, ut possint in alijs possibilem seiuncta reperiri. Vnde rursus fit, possibile esse substantiam extensam, & impenetrabilem localiter, quæ corruptibilis non sit; aut etiam fortasse, quæ prædita sit intellectu, & arbitrio. Tum è conversò substantiam inextensam, & penetrabilem localiter, tum corruptibilem, tum etiam intellectu, & arbitrio exortem. Quo posito, si in eo confererint homines, (vbi de facto confererunt, prout constat ex dictis), quòd vocent corpus purè, & omnino tale substantiam, habentem prædicata extensionis, & impenetrabilitatis localis præcisè, quidquid sit de alijs; spiritum verò posita, & omnino talem substantiam, habentem opposita similiter præcisè: dicendum, proculdubio erit ad conceptum corporis, & spiritus purè, & omnino talis, præter dicta binæ prædicata, cætera, quæ vel de facto eis coniunguntur, vel de possibili coniungi possunt, accidentaria, & accessoria saltem metaphysicè esse; quemadmodum conceptui generico accidentariæ sunt, & accessoria differentiarum inferiores. Proindeque malè inferri, ad quidditatem talis conceptus esse ea requisita, ex eo, quòd cum illo aut sint de facto coniuncta, aut coniungi possint. Quibus satis superque reiecta manet dicta sententiâ.

Propositio 2.

Conceptus corporeitatis sumptæ univèrsè in dependentiâ à materiâ tanquam à subiecto non potest consistere. Atque adeò neque conceptus spiritualitatis in opposita independentiâ.

Hæc propositio contra sententiâ primam est relatam n. 370. Et probatur primò; quia ipsa

materia prima corporea est, vt constat; & ramen non est dependens vt à subiecto ab aliâ materia. Secundò; quia non repugnat corpus ex pers compositione ex materia, & formâ; atque adeò & omni dependentiâ à materiâ, quale nonnulli putant, de factò esse coelum. Tertio; quia omnia etiam corpora, quæ dantur de factò, sumpta indiuisimè independentiâ sunt à materiâ tanquam à subiecto; tamen dependant ab illâ tanquam à parte componente. Quarto; quia creatio possibilis albedinis corporea citra dubium esset, & ramen à nullo subiecto esset dependens. Quintò; quia possibilis est substantia spiritalis ex materiâ, & formâ composita, cuius subinde forma, & accidentia spiritalia dependentia nihilominus essent à materiâ spiritali tanquam à subiecto. Sextò denique; quia de factò etiam omnia accidentia spiritalia Angeli, & animæ rationalis ab ipsius substantiâ dependent vt à subiecto, proindeque vt à quadam materiâ, seu causâ materiali, vel subiectiua.

Propositio 3.

386 Conceptus corporeitatis sumptæ vniuersè non consistit in sensibilitate, seu aptitudine ad mouendum aliquem sensum. Neque conceptus spiritualitatis in insensibilitate oppositâ.

Est contra secundam sententiam relata- num. 371. Et probatur primò; quia eiusmodi sensibilitas denominatio est in rebus corporeis extrinsecè oriunda à possibilitate sensuum, quæ deficiente per possibile, aut impossibile, nemo sane dixerit fore, vt deficeret id, quod in rebus ipsis appellamus corporeitatem. Non igitur consistit corporeitas in tali sensibilitate. Secundò; quia substantia corporea propriè non est sensibilis, sed quædam tantum accidentia eius. Quo pacto autem medijs illis sensibilis dicitur, quatenus intellectus discursu factò ex iudicio talium accidentium oriundo ab ipsorum sensone illam apprehendit, etiam anima nostra spiritalis dici potest sensibilis, quin imò & substantia spiritalis vniuersæ causæ primæ nempe Dei, vt pote quas pariter assequimur per discursum oriundum à sensonibus effectuum ipsarum sensibilibus. Tertio; quia multa sunt insuper in rebus citra dubium accidentia corporea, & nihilominus insensibilia. Quorum in speciali vel nullam notitiam habemus; vel per longos discursus ab accidentibus sensibilibus trahentes originem habemus. Quæ ratione etiam habemus notitiam multorum entium spiritalium. Non igitur in sensibilitate stat corporeitatis ratio. Et consequenter neque in oppositâ insensibilitate ratio spiritualitatis.

Propositio 4.

387 Conceptus entis corporei in vniuersum non consistit in eo, quòd sit illud compositum ex partibus integralibus extensiuis. Neque conceptus entis spiritalis in indiuisibilitate oppositâ.

Hæc propositio est contra tertiam sententiam relata- ex Vazq. Gran. Hurt. & alijs n. 372. Eam tamen tenent Soar. tum alibi, tum maxime

lib. 4. de Angelis cap. 17. Arriag. disp. 1. de Anim. sect. 4. subsect. 2. & seqq. Quied. contr. 1. de Anim. punct. 5. §. 1. & alij. Probaturque primò. Quia puncta quantitatis molis, atque etiam substantiæ, aliorumque accidentium corporeorum extensiuè indiuisibilia corporea citra dubium sunt. Ergo conceptus entis corporei per compositionem, diuisibilitatemque extensiuam non constituitur.

388 Secundò. Quia possibilis proculdubio est substantia indiuisibilis extensiuè, & impenetrabilis localiter; vt de factò puncta substantiæ corporeæ in eâ sententiâ à punctis quantitatis molis annexis sibi localiter impenetrabilia sunt. Quæ quidem substantia, vt & dicta indiuisibilia, non posset non esse corporea ratione suæ impenetrabilitatis iuxta dicta, & dicenda. Quinimo iuxta sententiam S. Th. plurimumque aliorum animæ perfectorum brutorum de factò substantiæ quædam indiuisibiles sunt; & nihilominus materiales, sine corporeæ. Ergo &c.

389 Tertio. Quia præsentia; qua Angelus in spatio extenso collocatur ex partibus extensio- nis composita est, vt probat Soar. loco nuper citato, aut certè talis præsentia Angeli quoad extensionem diuisibilis absque dubio est possibilis; & tamen spiritalis est, vt pote accidens inherens substantiæ spiritali. Ergo diuisibilitas quoad extensionem neque constituit corporeitatem, neque spiritualitati repugnat. Et quidem, dum Angelus successiuè mouetur, extenditurve à minore ad maius spatium locale, Aduersarij componentes continuum ex partibus sine fine diuisibilibus necessariò confiteri tenentur, præsentiam illum comparare ex partibus extensionis acquisitis successiuè compositam. Alioquin fatendum eis esset, Angelum in breuissimâ morulâ infinitas acquirere, mutareque præsentias totales. Quod planè est impossibile. In sententiâ autem componente continuum ex indiuisibilibus finitis congruentius saltem est dicere, acquirere Angelum in casu posito præsentiam extensiuè compositam ex partibus penes compositionem spatij; quam acquirere singulis instantibus, dum motus durat, totidem præsentias totales, & indiuisibiles, & spatijs diuisibilibus correspondentes. Tamen vt utrumque præsentiarum genus possibile sit, iuxta dicta disp. 5. q. 4.

390 Quarto. Quia gratia habitualis, alijque habitus, aut etiam actus spiritalis ex partibus intensionis compositi sunt, etiam iuxta Aduersarios. Ergo compositio intensiua ex partibus non repugnat enti spiritali. Ergo neque extensiua. Probo hanc consequentiam. Quia nullus est allegabilis titulus, præterquam simplicitatis debitz enti spiritali, cur ei dicatur repugnare compositio extensiua. At simplicitati æquè est opposita compositio intensiua. Igitur, dum hæc ei non repugnat; neque illa est dicenda repugnare. Maxime cum iuxta philosophiam longè probabiliorem partes intensionis qualitatium, & partes extensionis earundem eiusdem omnino rationis sunt inter se comparatæ, solumque differunt eccidentatiè, quòd illæ in eadem parte subiecti, & hæc in distinctis subiectantur. Et quidem, si partes intensionis gratiæ, quam vnus Angelus, aut vnus homo modò habet, pluribus impertirentur à Deo: vt est citra omne dubium possibile; iam tunc partes extensionis essent; & tamen spiritalis adhuc manerent; quia nequeunt spiritualitatem, sicut nec essentiam, à qua non distinguuntur, exuere. Igitur partium extensio aduersa spiritualitati non est.

est, & consequenter nec corporeitatis constituta.

391 Quinto. Quia nulla est excogitabilis idonea ratio, cur extensio partium localis spiritualitati repugnet potius, quam extensio partium temporalis, qualem habent entia successiua. At non repugnat spiritualitati extensio partium temporalis: siquidem multa accidentia spiritalia sua naturam successiua saltem sunt possibilis; de factoque sunt talia in mensura, & multorum sententia durationes superadditæ Angelorum, & animorum rationalium, eorundemque motus locales, & aliæ actiones; necnon multi actus intellectus, & voluntatis, ut alibi ostendo. Ergo neque extensio partium localis repugnat spiritualitati.

392 Sexto. Quia diuisibilitas extensiuæ citra impenetrabilitatem non fert secum illam crassitiam propriam corporeitatis, quæ subtilitati spiritualitatis aduersa est. Sicut vice versâ indiuisibilitas extensiuæ iuncta cum impenetrabilitate non fert secum illam subtilitatem propriam spiritualitatis, quæ corporeitati aduersatur. Igitur nec diuisibilitas extensiuæ perse præcisè repugnat spiritualitati, aut constituit corporeitatem, nec indiuisibilitas extensiuæ perse præcisè repugnat corporeitati, aut constituit spiritualitatem. Mitto argumenta ad hominem, quæ contra Hurlerum, Quiedo & Carleton, utpote fundata in singulari illius opinione de vnione spiritali animæ rationalis, & corporis, quam alij non admittunt.

393 Obijcit tamen Hurler contra propositionem nostram S. August. & S. Th. varijs in locis, ubi tenere videntur, de ratione corporis esse compositionem ex partibus extensiuam localiter. Respondet, S. August. & S. Th. vbiunque id tenere videntur, loqui de corpore substantiæ sumpto, & perse subsistente. De quo etiam nos censuimus, necessario debere esse compositum ex partibus extensiuis localiter iuxta inferius dicenda; non verò itidem de conceptu entis corporei in vniuersum, de quo est sermo in præfati propositione. Manifestum quippe est, S. Th. ad talem conceptum nequiquam potuisse extensiuam diuisibilitatem requirere; quandoquidem (ipso testante Hurler.) animas perfectorum, & nihilominus corporeas esse.

Propositio 5.

394 Sententiæ quarto, quinto, & sexto loco relatæ à num. 373. earumque Auctores, & si propius ad veritatem videantur accedere, non tamen illam integrè attingunt: quosdamque præterea defectus aliqua correctione dignos videntur habere.

Imprimis enim omnes eatenus in veritate videntur deficere, quatenus ad conceptum corporis per se subsistentis non maiorem compositionem, extensionemque partium requirunt, quam ad conceptum entis corporei vniuersè sumpti. Cum tamen reuerà maior sit requirenda, ut apparebit ex dicendis proposit. 6. & 7. Deinde Arriaga in eo videtur peccare, quod non satis explicat commensurationem, quam ens perse non impenetrabile cum impenetrabili habere debet, ut euadat corporeum. Atque etiam in

eo, quod per disunctionem intendit definire conceptum vnum, reuerà diuidens illum in duos. Quiedo verò in eo peccare videtur, quod nimis longas, & obscuras tradit definitiones entis corporei, & spiritalis. Terminosque in illis minus idoneos ponit ad euadendas difficultates casuum particularium, ut constabit ex dicendis à nobis proposit. 7. Denique Carleton non satis exponit connexionem physicam, quam cum quantitate debent habere alia entia corporea. Insuperque per similem disunctionem, atque Arriaga, vnum conceptum entis corporei videtur velle definire. Qui omnes defectus inter dicenda, quæ sequuntur, apertius exponentur.

Propositio 6.

Ad conceptum quidditatum corporis perse subsistentis, seu substantiæ sumpti, prout per istud nomen significatur; duo sunt intrinsecè requisita, nempe, & quod sit impenetrabile localiter cum alio simili, & quod localiter sit extensum quoad trinam extensionem, longitudinis scilicet, latitudinis, & profunditatis; atque adeò ex partibus extensionis compositum vicissim impenetrabilibus.

Ratio vnica propositionis est: quia talis haud dubie est conceptus obiectiuus, quem omnes communiter significare intendunt per nomen corpus absolutè prolatum, quoties de corpore, prout physicè iacet, & non, prout consideratur à Mathematicis, abstracto à materiâ sermo est. Et quidem, quod tale corpus ex conceptu suo sit impenetrabile localiter cum alio simili, omnes fatentur. Quod autem sit etiam diuisibile in partes extensionis modo prædicto, imprimis supponit S. Th. 1. p. q. 3. art. 1. dum ad probandum, Deum non esse corpus, quia est purus actus, ait. *Omne autem corpus est in potentia: quia continuum in quantum huiusmodi est diuisibile in infinitum*, & art. 7. dum dicit, Deum non habere compositionem partium quantitatum; quia corpus non est. Et exprimit S. August. epist. 28. dicens. *Porro, si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, & profunditate ita sistitur, vel mouetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet. & breuiore breuiorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima*. Et sæpe alibi similia scribens præsertim in lib. de quantitate animæ cap. 3. & 4. Et ante ipsum Arist. lib. 1. de Cælo cap. 1. inquit, *Corpus est, quod est diuisibile omni ex parte*. Deinde omnes communiter, ut dicebam, in eadem sunt persuasionem, qui, audito nomine corpus, statim molem quamdam concipiunt quoad trinam dimensionem extensam ab aliâ simili impenetrabilem. Tamen Mathematici ad suas geometricas demonstrationes impenetrabilitate hac non indigent; ab eaque proinde, sicut & à materiâ, præcendant. Quo fit, ut corpus mathematicum, & corpus physicum quoad extensionem localem prorsus conueniant ex suis conceptibus; differant verò, quod physicum supra illam addit impenetrabilitatem dictam. Id quod egregie notauit S. Basiliius homil. 3. in Hexamer. cum dixit. *Est autem mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit, latitudinem, inquam, longitudinem, & profunditatem: firmum autem soli-*

solidumque est, quod cum dimensionibus & renitenti, resistereque possit. Firmum, solidumque appellat corpus prout physicè se habet; qualiter à se habet impenetrabilitate, posse resistere alteri, renititque, ne loco pellatur. Itaque, quia inter homines conuentum est ipsa praxi, & vsu, vt nomine corpus ens quoddam per se subsistens, extensum, & impenetrabile modo prædicto intelligatur; ens, cui aliqua ex ijs conditionibus defuerit, corpus non erit; tamen sit quidpiam corporeum iuxta dicenda proposit. 7.

396 Sed dabitari potest. An, sicut ad conceptum corporis substantiæ sumpti requiritur diuisibilitas extensua, ita ad conceptum spiritus pariter substantiæ accepti requiritur indiuisibilitas opposita. Censeo, requiri. Quia, sicut inter homines vsu receptum est, vt nomine corpus substantiæ, & absolute prolato significetur, intelligaturque ens per se subsistens, extensum, & impenetrabile localiter modo explicato; eo quod omnia corpora per se subsistentia, quæ nouimus, talia sunt. Ita videtur quoque vsu inter homines receptum, vt nomine spiritus substantiæ, & absolute prolato significetur, intelligaturque ens quoddam subsistens, siue substantia quædam inextensa, & penetrabilis localiter opposito modo; eo quod omnes substantiæ spirituales, quas nouimus, tales sunt. Quo posito, quidquid non fuerit substantia inextensa, & penetrabilis modo dicto, spiritus absolute non erit; tamen quid spirituale sit iuxta dicenda proposit. 7.

397 Ex his inferitur primò, conceptum corporis substantiæ usurpati ex æquò, & directè importare perfectatam, extensionem partium, & impenetrabilitatem. Atque ita, prout modò res se habent naturaliter, ex æquò, & directè importare substantiam, & quantitatem molis ei superadditam iuxta dicta quæst. 5. Quia corpora naturalia de facto à substantiâ habent perfectatam, & à quantitate superadditâ impenetrabilitatem, necessitatemque extensionis localis, vt ibi explicuimus. Cum quo fiat, si daretur substantia per se ipsam sine quantitate molis superadditâ impenetrabilis, & extensa localiter, fore, vt illa propriè esset corpus: quia se solâ importaret tria prædicta prædicata. Quæ etiam quia sine substantiæ consortio importat quantitas molis in mysterio Eucharistiæ; accedente sibi miraculosa perfectatate, vt sic etiam illa cum proprietate venit corpus dicenda. Vnde etiam fit, vt substantia corporis naturalis seorsim accepta corporea propriè potius, quàm corpus, nuncupetur more aliorum, quæ corporea appellantur iuxta dicenda proposit. 7.

398 Secundo inferitur, conceptum spiritus substantiæ usurpati ex æquò, & directè importare etiam perfectatam propriam substantiæ siue totalis, qualis est Angelus, siue partialis, qualis est anima rationalis, indiuisibilitatemque extensiuam, & penetrabilitatem. Quæ tria prædicata à se ipsâ citra aliam superadditam entitatem habet substantia, quæ spiritus dicitur; siue in aliquo eorum includatur aliqua negatio substantiæ annexa, siue secus; de quo modò non curo. Vnde, quando eiusmodi substantia dicitur spiritualis adiectiue, seorsim accipitur vt subiectum talium prædicatorum; aut certè vt subiectum incorporeitatis iuxta dicenda proposit. 7.

Propositio 7.

Corporeitas vniuersalissimè sumpta in impenetrabilitate debita consistit. Spiritualitas autem in opposita penetrabilitate. Atque ita dicendum, ens corporeum vniuersè esse, cui impenetrabilitas cum alijs naturaliter est semper debita. Ens verò spirituale, cui non item.

Ratio propositionis est: quia corporeum à corpore denominatur, spirituale autem ab spiritu. Atque adeò primum aliquid pertinens ad corpus; secundum verò aliquid pertinens ad spiritum imprimis est. Vsu autem communi hominum est receptum, vt id ad corpus pertinens propriè corporeum nuncupetur, quod suapte naturâ corporis corporeitatem necessariò necessitate naturali sortitur. Spirituale verò, quod pariter sortitur spiritualitatem spiritus. Porro corporeitas propriè, & præcisè eius impenetrabilitas est cum alio corpore, & consequenter cum alijs entibus penetratis cum illo. Nam ex tribus prædicatis constituentibus corpus, prout dictum est proposit. 6. impenetrabilitas est veluti vltima differentia, à qua potissimum illud corpus euadit, taleque nuncupatur: à perfectatate enim præcisè solùm euadit ens per se; & à diuisibilitate extensua ens quantum extensiuè. Vnde corpus, sicut à sua impenetrabilitate dicitur ens impenetrabile adiectiue, ita ab eadem, quæ corporeitas ipsa est, non solùm corpus substantiæ, sed etiam ens corporeum adiectiue dici potest, vt sub conceptu vniuersalissimo entis corporei, de quo est sermo in propositione, subque definitione datâ eius comprehendatur. Cæterorum verò entium ea corporea propriè erunt, quæ suâ naturâ ita impenetrabilitatem corporis, atque adeò corporeitatem participauerint, vt tanquam sibi naturaliter debita nullatenus naturaliter illis deesse possit, prout postulat definitio entis corporei data. Vt sic enim talia entia crassici corporum propriè, & spirituum subtilitati aduersa consortia erunt. Pono autem in definitione entis corporei impenetrabilitatem cum alijs indefinitè: quia corpus solùm cum alijs corporibus, & entibus penetratis cum illis, non item cum accidentibus proprijs impenetrabile est, & cætera alia entia corporea solùm sunt impenetrabilia cum illis entibus, cum quibus est impenetrabile corpus, à quo suam impenetrabilitatem sortuntur; non item cum ipso corpore, & suis accidentibus. Iam verò de spiritualitate spiritus, deque ente spirituali vniuersè pariter, sed modo opposito, censendum est. Id namque omne ens spirituale, cui conuenire contradictorium definitionis entis corporei, nempe, cui non fuerit naturaliter, semperque debita impenetrabilitas cum alijs. Cuique subinde naturaliter opposita penetrabilitas aut semper, aut aliquando conueniret.

400 Quomodò autem definitiones datæ entis corporei, & entis spiritualis in vniuersum apte, & idonee sint, quatenus prima omnibus, & solis entibus, quæ communiter reputantur corporea, conuenit: secunda verò omnibus, & solis entibus, quæ communiter reputantur spiritualia, ex discursu factò per talia entia ex applicationeque ipsarum definitionum singulis facta, ijs præsertim, de quibus specialis est difficultas.

compertum fiet. Quo & propositio nostra probata iterum, siue confirmata manebit.

401 Primò enim constat, materiam primam, & omnes formas substantiales, præter animam rationalem hominis, corporeas esse. Quia omnibus est semper debita naturaliter vno penetratiua cum quantitate molis, aut etiam receptio penetratiua eius, si talis quantitas, vt nos statuimus quæst. 5. est eis superaddita; sin minus erit debita identitas cum illa. Et consequenter illis est semper naturaliter debita impenetratio cum alijs entibus, cum quibus ipsa quantitas molis impenetrabilis est; prout definitio postulat. Siquidem penetrata, aut identificata cum quantitate molis eo ipso euadunt impenetrabilia cum omnibus alijs, cum quibus est impenetrabilis quantitas ipsa, vt est notissimum.

402. Secundo constat, indiuisibilia materiz primæ, dictarumque materialium, siue corporearum formarum corporea esse. Quia vt sibi semper naturaliter debita, & secum pariter penetrata exposcunt indiuisibilia quantitatis molis, à quibus impenetrabilitatem cum alijs entibus vt sibi consequenter, semperque debitam sortiuntur.

403 Tertiò constat, ipsam quantitatem molis ipsiusque indiuisibilia corporea esse. Quia à se ipsis essentialiter, nedum naturaliter, debitam habent impenetrabilitatem cum alijs simili quantitate, & eius indiuisibilibus, & consequenter cum alijs entibus penetratis cum illis. Vnde etiam constat, esse corporeum simul cum suis indiuisibilibus illud ens, quod substantiue, & absolute dicitur corpus, & ex substantia composita ex materia forma, ex quantitateque molis coalescit, iuxta dicta propos. 6.

404 Quarto constat, animam rationalem non esse corpoream, sed spiritualem. Quia, estò in statu viæ sit ipsi naturaliter debita vno penetratiua cum corpore, & consequenter impenetrabilis cum alijs entibus, cum quibus est ipsum corpus impenetrabile. At in statu separationis ipsi etiam connaturali necunde ipsi impenetrabilis cum alijs entibus debita est. Atque ita non semper est debita, prout ad conceptum quiditatum entis corporei requisimus.

405 Quintò constat, calorem, frigus, lumen, & cætera omnia accidentia cuiuslibet corpori inherencia, vnitaque penetratiue corporea esse, vt pote quibus semper est debita naturaliter talis inherencia, talisque vno, & consequenter impenetrabilis à corpore mediâ ipsâ participata cum alijs entibus, cum quibus corpus impenetrabile est; siue illa sint eiusdem rationis, siue diuersæ. Quod non interest ad rem. Cessatque necessitas quarundam particularum, quas in sua definitione entis corporei ponit Quicquid.

406 Sextò constat, actionem creatiuam albedinis sine subiecto, quæ citra dubium est possibilis, corpoream fore. Quia tali actioni naturaliter est semper debita impenetrabilis cum alijs entibus, quatenus semper est illi debita penetratio cum ipsâ albedine, albedinique semper est debita penetratio cum corpore mediâ vnione, aut etiam, inhesionem compatibili cum ipsâ actione sui creatiuâ; à quo tandem corpore venit orienda impenetrabilis tum albedini, tum suæ actioni creatiuæ semper naturaliter debita, prout ad corporeitatem earum requisitum est. Porro, esse debitam cuius actioni non naturaliter modo, sed etiam essentialiter penetrationem cum suo termino, tametsi cum suo principio non debeat esse,

penetrata, alibi ostendo. Ex dictisque disp. 5. quæst. 13. colligere est.

Septimò constat, actionem, qua in sententia communi, & meâ traditâ in Pharo Scientiæ disp. 1. quæst. 2. sentatio interna Phantasie (quam abusiue Phantasma vocant iuxta ibi dicta) simul cum intellectu agente concurrat ad producendam speciem impressam (quam intelligibilem dicunt) obiecti sensati in intellectu possibili, siue passibili, talem, inquam, actionem spiritualem esse; sicut & species per eam producta, in intellectuque spirituali recepta spiritualis est, vt communis omnium sententia fert. Quia licet talis actio defacto, vt pote penetrata cum corpore, cum alijs entibus impenetrabilis sit, aliundeque sit connexa essentialiter cum sensatione Phantasie, à qua simul, & ab intellectu agente procedit. At ipsi debita non est naturaliter, & semper huiusmodi impenetrabilis, prout ad eius corporeitatem requirebatur: quia non est ipsi debita naturaliter penetratio cum sensatione corporeâ Phantasie, à qua procedit; eo quòd actio ex conceptu actionis non debet cum suo principio penetrari, etsi debeat cum suo termino, vt dicebam nuper. Aliunde autem, quàm à penetratione debita cum aliquo ente corporeo, & consequenter cum aliquo corpore, nequit actioni debita esse impenetrabilis cum alijs requisita ad corporeitatem. Itaque, etiam si intellectus possibilis non ellet præfens in eodem spatio in quo est sentatio Phantasie, & corpus, cui ipsa inhaeret, sed solum in immediato sine corpore, posset nihilominus naturaliter recipere ab ipsâ sensatione simul, & ab intellectu agente dictam actionem, & eius terminum; quo casu ea cum alijs entibus non magis esset impenetrabilis, quàm est anima rationalis in statu separationis. Ex quibus patet, nihil illi etiam modo deesse, quominus sit spiritualis, vti non deest anima rationali, quæ modo à consortio corporis defacto cum alijs impenetrabilis est. Vnde etiam inferitur contra Carleton, connexionem physicam cum quantitate molis ad corporeitatem non sufficere: siquidem actio prædicta medio suo principio corporeo cum quantitate molis connexa est physicè; & tamen spiritualis est. Id quod clariùs cernitur in intellectione siue humana, siue angelicâ, siue etiam diuinâ necessariò verâ de existentia quantitatis molis. quæ titulo suæ infallibilitatis cum illâ est physicè connexa; & nihilominus spiritualis certissimè est.

Quòd si actio productiuâ speciei intelligibilis, oriundaque immediatè à sensatione corporeâ Phantasie spiritualis est; tametsi defacto à consortio corporis, cum quo est penetrata, euadat impenetrabilis cum alijs entibus. Porro iure ipsa species intelligibilis, & omnes intellectiones, quæ deinceps ab illâ traxerint originem cum alijs speciebus impressis, ab ipsis in memoriâ relictis pro intellectionibus vterioribus memoratiuis iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scientiæ disp. 1. quæst. 3. necnon habitus, si qui gignantur, & actus voluntatis ab intellectionibus oriundi spirituales erunt; tametsi de facto etiam à corpore, cum quo penetrantur, impenetrabiles euadant cum alijs entibus, æquè, ac anima rationalis, cuiusque intellectus, & voluntas, quibus inhererent, & vniantur, impenetrabiles de facto euadant à corpore ipso. Maxime, cum tales species, habitus, & actus simul cum anima ipsâ, ipsiusque intellectu, & voluntate naturaliter permanere possint, aut etiam defacto sint permansuri in statu

tu separationis cum omni independentiâ à corpore, absque omniq; penetratione, quam habent in situ viâ cum illo, iuxta doctrinam, quam tenent communiter Theologi cum S. T. 1. par. q. 89. art. 6.

409 Octavo constat, unionem penetratiuam, quam anima rationalis habet cum corpore, corpoream esse. Quia semper est illi essentialiter debita penetratio cum materiâ primâ, cuius unio penetratiua cum animâ est iuxta doctrinam vniuersalem traditam supra disput. 5. quæst. 13. Et consequenter semper est illi naturaliter debita penetratio cum corpore, & inde impenetrabilitas cum alijs entibus, quorum penetrationem corpus recusat. Vnde sequitur necessariò, impossibilem esse unionem penetratiuam animæ cum corpore, quæ spiritualis sit; siue ea indiuisibilis esse dicatur, qualem de factò adstruit Petr. Hurt. siue diuisibilis. Omnis enim unio animæ cum corpore modo dicto penetratiua necessariò debet esse corporea propter rationem datam. Tantumdemque venit dicendum de unione hypostatica penetratiua pariter, Verbi diuini cum Christi Domini humanitate, qua parte unio Verbi cum corpore penetratiua est.

410 Nonò constat, si concedatur possibilis actio educiua, perquam supernaturaliter fiat, recipiatque penetratiua in subiecto corporeo gratia, aut aliud quoduis accidens spirituale; necessariò concedendum esse consequenter ad dicta, talem actionem corpoream esse ex conceptu suo. Nec mirum esse debet, admisso casu, quòd per actionem corpoream ens spirituale longè perfectius producat. Siquidem in sententiâ omnium per actionem, quæ est accidens, producitur substantia longè perfectior, & per actionem, quæ est modus, producitur longè etiam perfectior res.

411 Decimò constat, præsentiam localem, quâ quoduis ens corporeum connaturaliter in quouis ipatio collocatur, corpoream esse. Quia est modus penetratiuus talis entis; subindeque non potest non mutuari ab ipso in penetrabilitatem cum alijs entibus semper sibi naturaliter debitam, prout ad corporeitatem eius requiritur; vti constat ex dictis. E contra verò constat etiam, præsentiam localem cuius entis spirituali connaturalem spiritualement esse debere propter oppositam rationem.

412 Vnde inferendum primò est; si præsentia, quam corpus Christi Domini habet in Eucharistiâ, non differt specie à multis præsentijs circumscriptiuis supernaturaliter replicatis, & penetratis, vt aliqui censent; quoad modumque proinde dumtaxat supernaturalis est, & definitiua, eam vtiq; corpoream esse, & impenetrabilem naturaliter cum accidentibus panis, & vini, miraculoseque propterea de factò penetrata cum illis. Si verò dicta præsentia sit essentialiter definitiua, diuersaque à circumscriptiua, & supernaturalis quoad substantiam, cum distinctione loquendum esse. Potest enim ea talis naturæ excogitari, vt relinquat impenetrabile connaturaliter corpus Christi cum alijs corporibus; quo casu & illa impenetrabilis pariter erit, atque adeò corporea, de factòque per nouum miraculum penetrata cum speciebus sacramentalibus, prout dictum in casu præcedente. Et potest tali naturæ excogitari, vt, eâ suppositâ, iam sit connaturaliter Christi corpus cum alijs corporibus, atque adeò cum speciebus sacramentalibus penetrabile indiuisibiliter, prout penetratur de factò; quemadmodum in sententiâ multorum dos subtilitatis

corporis beati in quadam qualitate consistit redente illud connaturaliter penetrabile cum alijs corporibus; quo casu & ipsa præsentia, sicut & illa qualitas, cum alijs corporibus connaturaliter penetrabilis, & consequenter spiritualis erit. Qualem de factò esse multi opinantur, prout refert Carleton vbi supra sect. 6. n. 8.

Secundò est inferendum, etiam si vbiatio 412 Angeli Romana, & vbiatio Matritensis non possint naturaliter simul in eodem spatio collocari, nihilominus spirituales, & nullatenus corporeas esse. Nam ea impotentia naturalis, quam habent ad coexistendum in eodem spatio nullatenus est impenetrabilitas ad corporeitatem requisita: quia non nascitur ex eo, quòd tales vbiationes sint incompatibiles naturaliter in eodem spatio; sed ex eo, quòd neutra suum spatium, cui essentialiter est affixa, potest deserere, vt transferatur ad spatium alterius; neque in vtroque, saltem naturaliter, potest simul existere. Vnde, si possibile sit supernaturaliter iuxta dicta à nobis disp. 5. q. 15. vt altera dictarum vbiationum per præsentiam superadditam in spatio alterius replicetur, hoc præsupposito miraculo, absque alio nouo penetrabitur connaturaliter cum illâ.

414 Ex quibus omnibus tandem constat, quàm facile iuxta sententiam nostram omnia entia, communiter reputata corporea sub vnum conceptum entis corporei, sub vnamque citra disunctionem definitionem eius breuem, & clarâ, cadant; aliter, quàm in alijs sententijs, de quibus diximus proposit. 5. Pariterque omnia entia spiritualia sub vnum conceptum, sub vnamque definitionem oppositam. Atque hæc satis de spectantibus ad præsentem disputationem, prout ad institutum nostrum spectantem. Pergamus ad sequentem.

DISPUTATIO XI.

De Simplicitate Dei.

Postquam disp. præced. de ente composito; & simplici, atque adeò de eorum compositione, simplicitateque vniuersè tractauimus, sequitur, vt de Simplicitate Dei in præsentî disp. tractemus.

QVAESTIO I.

Virum Deus sit ens omnino simplex physicè.

ENS simplex dicitur vniuersè, quod partibus 1
expers, atque adeò impartibile, seu indiuisibile est. Cum tamen ens compositum, cui simplex contraponitur, ex pluribus inter se distinctis, quæ partes appellantur, coalescat; prout latius explicatum est supra disp. præced. q. 1. Quoniam autem, vt ibi q. 2. latius etiam est explicatum, ens compositum aliud physicè, ex partibus scilicet formalibus physicè, realiterve inter se distinctis compositum est. Aliud verò metaphysicè tantum, scilicet aut ex partibus formalibus

distinctis inter se metaphysicè, seu per solam rationem, aut ex partibus dumtaxat æquivalentibus. Priorisque proinde compositio physica, seu realis venit dicenda; posterioris verò dumtaxat metaphysica; eaque aut per rationem solam formalis, aut tantum æquivalens. Similiterque ens simplex aliud physicè est tale, quod partibus physicè, realiter vè distinctis, atque adeò omni compositione physica, seu reali caret. Aliud verò metaphysicè tale est; eo quòd aut partibus per solam rationem distinctis, aut partibus æquivalentibus, aut utriusque est expertus. Priorisque proinde simplicitas physica, seu realis; posterioris verò metaphysica aliquo ex tribus dictis titulis nuncupanda venit iuxta dicta latius locis citatis. Scire opus est, in præsentiquæst. de simplicitate physica, seu reali Dei; non verò de metaphysica aliquo ex dictis modis sermonem esse. De qua postea. Quærimus itaque, verum Deus sit ens omnino simplex physicè, seu realiter.

Circa quam quæstionem omnium eorum errores veniebant recensendi, qui Deum aliquo modo corpore præditum, siue corporeum, atque adeò physicè ex partibus compositum esse putarunt: quia tamen illi oportunè referuntur quæst. sequente; statim in hac ad stabilendam certam catholicorum sententiam pergendum nobis est; prout sequitur.

Propositio 1.

Deum à parte rei, atque adeò physicè, seu realiter esse ens omnino simplex, certà fide tenendum est.

Id namque imprimis constat ex ijs, quæ Patres Concilij Florentini decernunt sess. 17. 18. & 19. Expressequè definitum est in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio 3. prout habetur in cap. *Firmiter* de summâ Trinitate, & fide catholica, ubi dicitur. *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem persone, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Consonantque Patres Concilij Remensis contra Gilbertum Porretanum coacti sub Eugenio 3. dicentes, *Credimus, & confitemur, simplicem naturam divinitatis esse Deum.* De quo videnda scripta à nobis in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 4.

Deinde idem ipsum contestantur unanimiter Patres. Athanas. enim in Epist. ad Episcopos in Africâ versus finem ait, *Deum esse simplicem substantiam.* & in Dialog. 1. de Trinit. *superquam simplicem* appellat. Cyrill. Alex. lib. 13. Thesau. cap. 2. & lib. 14. cap. 1. & 3. Deum simplicissimum vocat, & lib. 34. dicit, *esse simplicem confessionem omnium.* Damasc. lib. 1. Fides cap. 12. *extrema impietatis esse contrarium asserere.* S. Maxim. cent. 4. cap. 8. apud Cypariſiortan decade 10. *absurdum, & nefarium esse dicit cogitare in Deo compositionem.* Et Athanas. in Apolog. pro Synodo Nicæna apud eundem, blasphemum esse, *si quis existimat, Deum esse compositum.* August. lib. 6. de Trinit. cap. 6. & lib. 7. cap. 1. *Deum summè simplicem* dicit. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 7. & Serm. 81. in cant. initio, *primum, & purissimum simplex.* Beda in sententijs, *solum simplex.* Richard. Victor. lib. 2. de Trinit. cap. 17. *inestimabilem, & omnino incomprehensibilem eius simplicitatem.* & Fautus Regiens in epist. ad Paul. *de solâ divinitatis substantiâ simplicitatem dici.* Similiaque

habent passim ceteri Patres. Et huc quoque spectant testimonia, quæ in sequentibus quæstionibus insuper adducemus. Præter alia prope innumera, quæ ad propositum simile recensuimus, & indicavimus in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 4. iam citata. Ad remque præsentem recognoscenda, & applicanda sunt.

In eandem veritatem consenserunt ex ethnicis Philosophis Plotinus. *Enead. 6. lib. 1. cap. 26.* dicens, *Deum esse aliquid super omnia simplex omnino.* Arist. lib. 1. Methaph. tert. 18. dum ait, *Principium ipsum unum; hoc enim simplex, & impermixtum.* Quo circa lib. 12. Methaph. cap. 7. primam substantiam, hoc est Deum, simplicem esse, & indivisibilem pronuntiat. Averroes lib. 12. Methaph. cap. 27. Deum esse ait *in fine simplicitatis.* Et Auctor libri de causis proposit. 4. *In ente primo non esse multitudinem modorum.* Quo eius simplicitas denotatur. Præter plures alios referendos quæst. 2. qui Deum penitus incorporeum potuerunt, expertemque proinde omni quantitate, atque compositione physica.

Potest præterea propositio data probari ex illo Exodi 3. *Ego sum, qui sum.* Quanquam enim his verbis se Deus definierit iuxta communem expositionem. Interpretum per actum existentialem essendi, siue existendi à se, prout supra disp. 1. quæst. 10. proposit. 6. exposuimus. Ad eò tamen illa emphatica sunt, ut etiam intelligi possint de actu essentiali identificante cum Deo quidquid in ipso est, ut sensus sit. *Ita sum ego totum, quod sum, ut nihil in me sit, quod ego non sum, atque adeò quod non sit Deus.* Qui sensus falsus planè esset, si Deus ex aliquibus partibus à parte rei esset compositus: quia in tali casu quævis earum non esset ipse Deus. Cum certum sit, quamlibet partem à suo toto distinctam esse tanquam inclusum ab includente, & totum vicissim distingui ab ipsâ tanquam includens ab incluso.

Propositio 2.

Deum à parte rei, atque adeò physicè, seu realiter esse ens omnino simplex, ratione naturali ostenditur.

Primo ex prædicato omnimodæ infinitudinis, quam Deus, habet evidenter oriundam ex prædicato, quod etiam habet, entis à se demonstrato à nobis supra disp. 1. Eo enim ipso, quòd aliquod ens habet esse à se citra omnem causam sui, necunde habet, à quo taxetur magnitudo eius, ipsiusque proinde infinitudo non potest non esse omnimoda in omni genere. Ut autem sit talis, necesse est, quòd illud aut formaliter, aut eminenter contineat in se omnem omnino excogitabilem perfectionem. Formaliter quidem omnem excogitabilem perfectionem identificatam sibi. Eminenter verò omnem excogitabilem perfectionem distinctam à se. Hanc autem eminenter in se continere non potest, nisi sit principium factuum eius. Unde fit, ut ens à se titulo talis non possit non esse fons, siue fontale principium omnium omnino aliorum entium distinctorum à se. Cum quibus omnibus stare nullo modo potest, quòd Deus ens compositum, & non omnino simplex physicè sit. Si enim Deus ens compositum esset; cum totus ipse esset ens à se, ut supponitur demonstratum, non possent non omnes partes eius esse quoque entia à se, ut est notissimum. Aliundeque non omnes possent esse entia à se. Quod

est chymærica contradictio. Quia, posito, quod quævis earum esset ens à se, non posset non ea titulo talis esse fontale principium, & causa cæterarum. Quæ subinde iam non entia à se, ut ponebatur, sed entia ab alio essent. Manet igitur demonstratum in infinitudinem sortiti in omni genere, quæ sine omnimodâ simplicitate physica Dei stare nullo pacto potest.

8 Secunda ratio pro eadem Dei simplicitate desumi potest ex prædicato entis primi, quod Deus habet oriundo etiam à prædicato entis à se. Ratione cuius omnimodis repugnat Deo posteriori esse alio ente vlllo posterioritatis genere. Si autem Deus compositus esset ex partibus, ipsis partibus esset posterior eo posterioritatis genere, quo quoduis totum posterior suis partibus est. Quo iure dixit Ambrosius in Symbolum Apost. cap. 1. *Deus compositus esse non potest; scilicet, aliqua eo anteriora præexistisse, putari nefas sit.* Et ante eum Origenes lib. 1. Periarcho. cap. 1. *Deum, qui omnium est principium, compositum esse, non est putandum: ne forte priora illo principio inveniuntur elementa esse, ex quibus compositum est omne, quidquid illud est, quod compositum dicitur.*

9 Tertia ratio desumenda venit ab omnimodâ independentiâ superiùs à nobis demonstratâ disp. 4. quam Deus titulo etiam entis à se habet ab omni ente distincto à se. Si enim Deus compositum esset ex partibus, à quavis earum distincta à se dependens esset essentialissimâ dependentiâ, eaque subinde essentialiter indigeret: quinimo à quavis earum quadamtenus acciperet suum esse, & non vice versâ. Quod plane est alienum ab omnimodâ independentiâ ab alio quopiam, quam debet habere ens à se. Quo circa dixit Anselmus in Monol. cap. 10. *Omne compositum, ut subsistat, indiget his, à quibus componitur; & illis debet quidem quod est: quia quidquid est, per illa est; & illa, quod sunt, per illud non sunt: & idcirco penitus summum non est.*

10 Quarta ratio pro eadem Dei simplicitate eiusmodi est. Simplicitas ex conceptu suo perfectio simpliciter simplex est: quia melior est ipsa, quam non ipsa; id est, quam compositio opposita. Ob id, quod entia sunt simpliciora, eo sunt, cæteris paribus, perfectiora, atque etiam vice versâ. Sed nulla est perfectio simpliciter simplex, quæ non conveniat Deo, prout infra disp. 16. ostendetur. Ergo Deo convenit simplicitas; proculque subinde ab illo abest compositio opposita. Propterea Bernardus lib. 5. de considerat. disputans cum Gilberto Porretano aliquam compositionem realem adstruentem in Deo ait. *Mihi non deest, quid cogitem melius eiusmodi Deo tuo. Quæris, quid? Mera simplicitas. Nam vero iudicio simplex multiplici antefertur.*

11 Quinta ratio ex plenitudine bonitatis, seu perfectionis ab omni penitus imperfectione immuni, quam Deus necessariò habet, ut demonstrabitur inferius disp. 16. sumenda est. Si enim Deus compositus esset ex partibus, multis scateret imperfectionibus à tali plenitudine perfectionis prorsus alienis. Primum enim dependentiâ nuper commemoratâ, quam Deus haberet à suis partibus, manifesta imperfectio esset; quemadmodum etiam & dependentiâ, indigentique. quam ipsæ partes ab invicem haberent inter se: nulla quippe earum à reliquis vllatenus separabilis, siue disjungibilis esset, aut potens sine illis existere; eo quod cum omnimodâ necessitate componerent

Deum. Vnde & alias secum ferrent imperfectiones, scilicet incomplectionis, qua quævis earum essentialiter esset ens incompletum; potentialitatis, qua quævis earum per alias perfectibilis esset; adhesionis, qua quævis earum alijs adhærens, eisque subnixæ, non verò per se subsistens existeret. Quas omnes, & similes imperfectiones esse à summa Dei perfectione alienas, & ex se satis notum est, & ex dicendis disp. 16. magis conspicuum fiet.

12 Sexta ratio sit. Necessitas in essendo sequitur perfectionem essentia: quia vnumquodque quò melius, siue perfectius est, non potest non habere eò maius essendi meritum. Ob idque necessitas, quam Deus habet ad essendo, infinite maior est omni aliâ excogitabili necessitate; quia perfectio essentia Dei omni aliâ excogitabili perfectione infinite est maior, prout constat ex doctrinâ traditâ supra disp. 3. quæst. 2. Illud autem verissimum principium stare non posset, si Deus esset ex partibus compositus physice. Non igitur ita compositus, sed prorsus simplex est. Probo minorem, quæ sola indiget probatione. Quia, si Deus esset ex partibus compositus physice, & esset infinite magis necessarius in essendo, utpote infinite magis perfectus, quàm quævis earum. Et non esset eiusmodi: quia nullum totum potest esse in essendo magis necessarium, quàm sua pars, ut ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disp. 1. q. 5. est evidens. Quæ duo contradictoria sunt.

13 Septima ratio. Si Deus esset ex partibus compositus physice, quævis pars eius & esset Deus, & non esset Deus, & esset æqualis perfectionis cum suo toto, & non esset æqualis. Quæ sunt contradictoria. Esset quidem Deus; quia esset ens à se, essentiaque Dei stat in conceptu entis à se, prout statutum supra est disp. 1. quæst. 10. Et non esset Deus; quia esset pars Dei indigens residuâ comparte ad complectendam Deitatem. Esset item æqualis perfectionis cum suo toto: quia titulo entis à se necunde posset ei taxari perfectio, quominus omnem excogitabilem sortiretur. Et non esset æqualis; quia, cum omne totum sit necessariò maius suâ parte, ut est notissimum ex se, & ex dictis disp. 10. quæst. 3. nulla pars potest quoad vllam suam quantitatem esse æqualis suo toti.

14 Octava ratio. Quemadmodum omne ens finitum necessariò debet esse ens ab alio tanquam à causâ, à qua limitetur, & finiatur; ita quoque omne ens infinitum, quod minus sit alio quovis ente infinito, necessariò debet esse ens ab alio, tanquam à causâ, à qua in suâ infinitudine coarctetur, ne tantum sit, quantum est aliud ens infinitum. Omnis siquidem limitatio, siue coarctatio cuiusvis entis aliunde, quàm à causâ sui provenire non potest, ut latius dicemus inferius disp. 14. Igitur omne ens partiale (quod, quantumvis infinitum esse ponatur, non potest non esse minus ente totali, quod componit; quandoquidem iuxta certissimum axioma omne totum maius est suâ parte, omnisque pars subinde minor est suo toto) necessariò debet esse ens ab alio tanquam à causâ. Igitur Deus, qui necessariò est ens à se, prout superius est demonstratum disp. 1. nullatenus potest ex partibus esse compositus; deberent namque omnes eius partes esse entia ab alio; proindeque & ipse totus ens ab alio esset, & ens à se. Quod est chymæricum. Quare Nizetas apud Clement. lib. 8. recognovit, ut probaret, Deum non esse compositum ex partibus, dixit. *Quod enim compositum est, necessariò aliquo auctore compositum est,*

est, à quo est in vnam speciem diuersitas congregata.

15 Nona ratio. Deus nec ex partibus inter se dissimilibus, siue diuersæ speciei; nec ex similibus, siue eiusdem potest esse compositus. Ergo ex nullis. Non ex dissimilibus. Quia eo ipso, quod omnes partes Dei essent entia à se, vti necessario deberent, essentias haberent in prædicatione prorsus similibus entium à se consistentes iuxta dicta disp. 1. q. 10. atque adeo etiam proprietates omnino inter se similes. Ex nullo enim capite possent inter se à se ipsis dissimilari. Sicque nequirent esse partes Dei inter se dissimiles. Non item ex similibus. Quia, cum partes inter se similes, & ipsi toti, quod componunt, necessario sint similes iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disp. 16. q. 3. proposit. 40. Si Deus ex partibus similibus esset compositus, ex pluribus Dijs eiusdem speciei secum esset compositus. Quod ex se apparet chymericum: & vnitati Dei demonstrandæ disp. seq. repugnans est. Ex nullis igitur partibus potest Deus esse compositus. Quippe nullæ sunt excogitabiles partes, quæ neque sint inter se dissimiles, neque similes, iuxta proposit. 30. statutam loco citato.

16 Decima ratio. Deus nec potest esse compositus ex partibus, quarum omnes sigillatim sint perfectione finitæ: quia totus Deus esset perfectione finitus; quod ei repugnare constat ex dictis: siquidem ex partibus qualibet quantitate finitis nequit non euadere totum eadem quantitate finitum, vt est notissimum ex se, & ex dicendis disp. 13. Nec potest esse compositus ex partibus, quarum omnes sigillatim sint perfectione infinitæ: quia & essent illæ entia à se, & qualibet esset minor in perfectione, quam totum: quæ duo repugnantiæ sunt: eo quod de ratione entis à se est citra omne dubium, quod non sit aliud maius ipso quoad perfectionem. Vnde patet, nec posse Deum esse compositum ex partibus, quarum aliz perfectione finitæ, & aliz perfectione infinitæ sint. Ex nullis ergo omnino partibus potest Deus esse compositus.

17 Vndecima ratio. Deus nec potest esse compositus ex partibus multitudine finitis: quia nullus est excogitabilis titulus, cur ex tanto numero partium potius, quam ex maiori, vel minori compositus esset. Nec ex partibus multitudine infinitis, & sine fine diuisibilibus: quia talis compositio est chymERICA, vt vniuersè ostensum est supra disp. 10. q. 4. Nec ex partibus multitudine infinitis ac tandem indiuisibilibus: quia esset Deus quædam multitudo infinita entium à se prorsus simplicium. Quæ magis adhuc ob titulos iam commemoratos apparet esse chymERICA, quam si esset finita. Deus igitur ex nullâ partium multitudine compositus est.

18 Duodecima ratio. Deus necessario debet esse ens intellectualis, rationale, vt liberum, vt demonstrabitur inferius tract. de Scient. & Volunt. Ergo necessario debet esse ens simplex, atque adeo nullo pacto compositum physicè. Consequentia probatur. Quia alioquin deberet habere potentiam tum intellectuam, tum volitivam, compositam physicè ex partibus, vt pote quæ deberet esse identitica cum ipso. Et hoc haud dubiè est impossibile. Quia, vt non videtur possibile, quod plures intellectus indiuisim per vnam assensum assentiantur verò; & multo minus, quod plures voluntates indiuisim eodem nutu, eodemque actu se determinent ad amandum bonum, ita vt vtrique indiuisim, & neutri seorsim sit talis determinatio imputabilis. Sic non videtur pos-

sibile, quod plures partes vnius intellectus indiuisim per vnam assensum assentiantur verò; & multo minus, quod plures partes vnius voluntatis eodem nutu se determinent ad amandum bonum, ita vt omnibus indiuisim, & nulli seorsim sit talis determinatio imputabilis. Mitto alias rationes, quæ ad probandam propositionem datam adhuc excogitari possent.

Ex dictisque infero euidenter, Deum neque ex materiâ, & forma; neque ex partibus integrantibus; neque ex hypostasi, siue personalitate, & naturâ; neque ex essentiâ, & existentia; neque ex subiecto, & accidenti; neque vllò omnino alio compositionis genere compositum physicè esse. In quibus speciatim comprobandis non oportet amplius morari. Videatur S. Th. 1. p. q. 3. art. 2. 3. & 4. & ibi expositores eius.

Verum contra hanc certissimam, euidentemque veritatem, vt satis apparet ex dictis, potest sic obijci. Vbi est pluralitas, & vnitatis, est compositio. Sed in Deo est pluralitas, & vnitatis, scilicet pluralitas personarum, & vnitatis essentia; vt docet fides. Ergo in Deo est compositio. Distinguo maiorem. Vbi est pluralitas, & vnitatis resultans ex vnione plurium est compositio; concedo. Vbi est pluralitas, & vnitatis non resultans ex vnione plurium, sed consistens in identitate vnius cum pluribus; nego. Deinde maiorem. Sed in Deo est pluralitas, & vnitatis priori modo; nego; posteriori concedo. Et nego consequentiam. Itaque Trinitas personarum nullatenus minuit summam simplicitatem Dei. Quia personales diuine comparatæ cum essentiâ non possunt simul cum illâ componere aliquid totum physicè: nam sunt cum illâ physicè idem; comparatæ verò inter se, licet sint physicè distinctæ, non sunt tamen physicè vnitæ, prout opus erat, vt totum aliquid componerent physicè, scilicet adhesionis, de quo tantum in præsentiarum sermo est. Quidquid sit de toto ordinis, aut collectionis; de quibus nunc non agimus; iuxta diuisionem factam totorum supra disp. 10. q. 3.

QVAESTIO II.

Verum Deus ita sit ens omnino simplex physicè, vt neque sit corpus, neque ens corporeum vllò modo.

DE multis Ethnicis refertur, eos sibi suos Deos corporeos confinxisse. Sic refert de Anaximene Tullius lib. 5. de naturâ Deorum. De Anaxagorâ Arist. lib. 4. Physic. text. 57. De Pythagorâ, & Democrito August. epist. 56. De Stoicis Origen. lib. 2. contra Celsum. Et de Epicureis Sextus Empyricus lib. 5. Pyrron. cap. 24. Similique errore seducti Sadduczi, teste Arnob. lib. 3. contra Gent. cætera cuncta, præter entia visibilia, atque adeo & Angelos, & Spiritum sanctum, ne vllum spiritum admitterent, prout negabant. De quo videndus est Epiph. cont. hæres. hæres. 14. Videtur augm. Philo. lib. 1. Allegor. Sadducisimam sapere, dum ait, de diuinâ substantiâ definiti non posse, sit ne corporeâ prædita qualitate, vel non. Et errorem quidem Sadducæorum transisse postea ad Saracenos, testatur Vives lib. 4. de Verit. fidei cap. 8. Porro hæretici Audiani, siue Odiani, siue Vadiani, sic dicti à suo duce Audio, siue Audæo, Deum corporeum esse affirmarunt, imo præditum corpore huma-

no, similive corpori humano quoad membrorum distinctionem, & formam. Quo iure Anthropomorphitæ appellati sunt. Quasi Deum instar hominis figurantes. De quibus, deque eorum errore agunt Epiphanius contra hæreses, hæres. 70. Theodoretus lib. 4. hæretic. fabul. cap. 13. & lib. 4. histor. cap. 19. Tripartit. lib. 7. cap. 11. Nizeph. lib. 11. cap. 14. Augustinus lib. de hæres. cap. 50. & Cassian. collat. 10. c. 2. Quem errorem Melitoni etiam attribuunt Isidorus lib. de doctr. & fid. cap. 5. & Theodoretus q. 10. in Genes. nisi textus fuerit vitiat, ut obseruat Sixtus Senen. lib. 5. Bibliot. ann. 18. qui à dicto errore penitus purgat Melitonem. Quod latè etiam præstat Vazq. 1. p. disp. 21. cap. 1.

22 Terullianum item in eo errore fuisse, ut putauerit, Deum esse corporeum, censuit Augustinus lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 25. Tamest cum excuset lib. de hæres. cap. 86. quasi corpus pro substantiâ usurpauerit, corporeumque pro substantiali. Quo sensu, censent aliqui, dixisse Paulum ad Coloss. 2. in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, substantialiter, ut explicat noster Cornel. ibi cum alijs. Quo modo etiam dixit Hilarius in Math. can. 5. Nihil est, quod non in substantiâ sua, & creatione corporeum sit: nam & animarum species, siue obiectum corpora, siue à corporibus exulantiis corpoream tamen naturam suam substantiam sortiuntur. Et ipse Augustinus apud Petauium tom. 1. de Theologicis dogmatibus cap. 1. n. 15. ita habet. Incorpoream quoque esse animam, est difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor, esse persuasum. Sed ne verbi controuersiam vel superflue faciam, vel merito patiar; quoniam, cum de re constat, non est opus certare de nomine: si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod aliquo modo est in se ipso, corpus est anima. Item, si eam solam incorpoream placet appellare naturam, que summè incommunicabilis, & ubique tota est, corpus est anima: quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro, si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine ita sistitur, vel mouetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima.

23 Exterum, quanquam corpus, & ens corporeum in istâ latissimâ, & valde impropria acceptione nonnulli interdum usurpauerint, scilicet pro substantiâ, siue essentiâ, & pro ente substantiali. Reliqui verò commemorati conceptum corporis, aut entis corporei strictè, & propriè accepti, qualem definiuimus supra disp. 10. quæst. 7. per errorem tribuerunt Deo. Qui quidem error rursus est renouatus anno Domini. 954. ut videre est apud Gualter. in Chronic. & iterum anno 1118. sub Basilio quodam medico. De quo Genebrardus in Pasch. lib. 2. & Sand. hæresi 138.

Propositio 1.

24 De fide est, Deum neque corpus, neque ens corporeum, sed penitus spiritus, atque adeò ens spirituale esse.

Sumptis videlicet his nominibus, prout communiter solent sumi, in strictâ suâ, propriaque significatione explicatâ, & statutâ à nobis supra disp. 10. quæst. 7. iuxta quam propositio constat imprimis ex illo Ioan. 4. Spiritus est Deus. Ex illoque 2. ad Corint. 3. Dominus autem spiritus est. Vbi sermonem esse de spiritu, prout propriè contra posito corpori concors interpretum, & Pa-

trum, imò totius Ecclesiæ catholicæ consensus est: prout in ijs, qui in ea loca scribunt, videri potest. Faciunt item ad rem iuxta plerosque expositores illud ad Rom. 1. Inuisibilia Dei &c. & illud 1. ad Timot. 1. Regi saculorum immortalis, & inuisibili, &c. Estque definita ista veritas in 7. Synodo generali ad 8. & in Concilio generali Lateranensi sub Leone 3. prout habetur in cap. Firmiter. de Summa Trinit. & fide cath. Quare contrarium dogma aperta est hæresis, ut patet in catalogis hæreticorum apud Philastrium, Augustinum, Isidorum, & alios recentiores.

25 Porro, Deum nullatenus esse corporeum, non solum prædicant omnes Ecclesiæ Patres, quorum testimonia passim obuia recensere sigillatim, opus non est. Sed etiam Philosophi ethnici communiter tenuerunt. Ut Zoroaster princeps Theologiæ Chaldaicæ apud Euseb. lib. 1. de præparat. euang. cap. vlt. Hostianus, teste Cypriano lib. de Vanit. idol. Trismegistus in Pimandro ser. 4. & 7. Orphæus in carmine de Verbo sacro. Asclepius ad Ammonem Regem. Empedocles, ut refert Simplic. lib. 1. Phys. comm. 3. & 30. Pythagoras, ut refert Lactant. lib. de ira Dei cap. 11. Plato in Timæo, & Parmenide, ut testantur Camperius lib. 7. de Platonicâ Philosophiâ; Tullius lib. 1. de natu Deor. & August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 10. Idem tenet Arist. lib. 8. Physic. à text. 78. & lib. 12. Metaph. text. 3. & alibi, ut tanquam indubitatum refert Tull. lib. 1. de nat. Deor. Tamest illi nonnulli adseribant errorem oppositum; ut videre est in Mirandul. lib. 4. exam. doct. gent. cap. 1. Plutarch. de placitis cap. 7. Clement. Alex. in Prot. & Cyrill. in Iulian. lib. 1. cap. 1.

26 Opponi tamen potest pro opposito errore illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quo intellectio de imagine materiali abutebatur Anthropomorphitæ ad ponendum in Deo corpus simile nostro. Necnon alia scripturæ loca, in quibus Deo humana membra attribuuntur, ut Psalm. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Sæpeque alibi. Sed certum est, primum locum de imagine spiritali quoad gradum intellectuum, seu rationalem, cætera autem metaphoricè intelligenda esse. Videatur Recupit. lib. 2. de essentiâ Dei quæst. 12. sine.

Propositio 2.

27 Deum neque corpus, neque ens corporeum, sed penitus spiritum, atque adeò ens spirituale esse, ratione naturali ostenditur.

Imprimis enim omnia argumenta, quibus quæst. 1. proposit. 2. monstrauimus, Deum esse ens omnino simplex, consequenter ostendunt, Deum non esse corpus: quia corpus sumptum substantiue, prout significatur hoc nomine, nequit non esse ens compositum ex partibus extensionis localis, ut supra disp. 10. q. 7. proposit. 6. statutum est. Probant itidem manifestè dicta argumenta, neque esse Deum ens corporeum ex genere eorum, quæ ex partibus cuiusuis rationis sunt composita physice: qualia sunt pleraque existentia.

28 Quare solum restat probandum, neque esse Deum ens corporeum ex genere eorum quæ physice simplicia sunt: qualia sunt indiuisibilia intrinsicè constituenta quauis ratione entia composita corporea; & cætera, si quæ dantur, aut pos-

- possibilia sunt entia completa simpliciter physice, & nihilominus corporea, ut multi opinantur. Quia tamen conceptus corporeitatis in vniuersum tum corpori substantiue sumpto, tum cuiusvis enti corporeo siue composito, siue simplici communis est, prout in dicta quæst. 7. proposit. 7. exposuimus, quæcunque probauerint, illam alienam esse à Deo, pariter probabunt, Deum neque esse corpus, neque ens corporeum aut simplex, aut compositum. Et consequenter esse ens spirituale. Nam inter spirituale, & corporeum non datur medium, ut constat ex dictis ibidem.
29. Igitur, non esse Deum ens corporeum, atque adeo ens incorporeum, siue spirituale esse, primò ex immensitate eius demonstrata à nobis supra disp. 6. quæst. 1. venit probandum manifestè. Nam ab immensitate sua habet Deus, esse localiter penetrabilem cum omni alio ente; idque non solum naturali, sed etiam essentiali necessitate, supposito, quod sit aliud ens, prout in eadem disp. 6. quæst. 2. monstratum est. Ergo, cum corporeitas in opposita impenetrabilitate consistat, uti disp. 10. quæst. 7. proposit. 7. citata statuimus, manifestè consequitur, hoc ipso, quod Deus est immensus, non posse non esse illum ab omni corporeitate alienum. Atque adeo non posse non illum ens non corporeum, siue incorporeum, siue spirituale esse.
30. Secundò probatur idem ipsum à plenitudine bonitatis, seu perfectionis, quam Deus necessario habet, & ratione cuius nulla perfectio simpliciter simplex, scilicet quæ melior sit, quam non ipsa, potest illi deesse, ut demonstrabitur inferius disp. 16. Cum enim subtilitas incorporeitatis euidenter sit melior, quam non ipsa, id est, quam crassities corporeitatis opposita, sique perfectio sit simpliciter simplex, neququam titulo dictæ plenitudinis perfectionis potest deesse Deo. Proindeque Deus non potest non esse incorporeus; atque adeo spiritualis, & non corporeus.
31. Tertio probatur. Quia Deus necessario debet esse ens summè intellectualem, rationale, & liberum, ut in tract. de Scient. & de Volunt. ostenditur. Hæc autem prædicata in ente corporeo non videntur repetiri posse: eo quod eorum perfectio adeo corporeitatem, corporeitatisque imperfectionem videntur transcendere, ut in eadem entitate nullatenus cum illa compati possint.
32. Quarto. Quia Deus titulo causæ primæ multa entia non corporea, sed prorsus spiritualia valet producere, defactoque producit: nam tales sunt Angeli, & animæ rationales, ut suis in locis ostenditur. Igitur, ne dicatur Deus carere perfectione meliore opposita, quam suis creaturis communicat; hoc enim ei repugnat, ut demonstrabitur in tract. de Omnipot. omnino ille incorporeus, siue spiritualis esse asserendus est.
33. Quintò. Quia Deus titulo etiam causæ primæ in omne ens corporeum, in omnesque omni- ne partes eius immediatè influentis, non potest non esse intimè penetratus, atque adeo connaturaliter penetrabilis localiter cum omni ente corporeo, cum omnibusque partibus eius; uti disp. 6. quæst. 1. ostensum est. Hoc autem ipsum est, esse, illum ens spirituale, siue incorporeum, ut constat ex dictis.
34. Sextò. Quia Deus non potest non esse actus purissimus, hoc est, ita summè perfectus, ut per nihil aliud sit perfectibile, uti disp. 1. quæst. 12. expositum est, & demonstrabitur inferius disp. 16.

eo autem ipso nequit esse ens corporeum. Nam ens corporeum eo ipso nequit esse summè perfectum, ut ex se, & ex dictis est notum; atque adeo nequit non esse per aliud quidpiam perfectibile; proindeque potentialitatem habens ab actu purissimo alienam. Unde etiam fit, ut ens corporeum non possit non esse mutabile per id, per quod est perfectibile: subindeque ut etiam ex immutabilitate Dei supra disp. 7. quæst. 1. demonstrata illius spiritualitas inferatur; uti illam intulit Orig. in illud Ioan. 4. *Deus spiritus est.* Amo. & Platonici apud August. lib. 8. de Ciuit. cap. 6. & Arist. lib. 8. Metaph. text. 14.

Sufficiant hæc. Nam alia, quæ ad rem forent adduci, vel in hæc recidunt, vel ad propositum infirma sunt. Et per hæc quidem demonstratum manet, quod Deus sit ens spirituale. Quod autem insuper sit spiritus, inde constat aperte; quia nequit non esse substantia per se subsistens, ut est notissimum; aliundeque ut in præcedente quæstione, & in præfati demonstratum, ens prorsus simplex physice, & cum omnibus alijs entibus naturaliter penetrabilis est. Quæ tria conceptum spiritus substantiue sumpti constituunt, ut supra disp. 10. q. 7. proposit. 6. statutum est. Quibus iam propositio nostra integrè manet demonstrata. Contra quæ nihil est momenti, quod possit opponi.

QVÆSTIO III.

Verum in Deo aliqua compositio formalis ex natura rei. Aut aliqua virtualis admittenda sit?

Postquam, ut certam secundum fidem, & euidentem secundum rationem veritatem, statuimus q. 1. Deum physice, seu realiter ens prorsus simplex esse; nullamque subinde in se habere physicam, seu realem compositionem, superest examinandum in hac, & seqq. quæstionibus, an cum hac physica, seu reali simplicitate Dei excludentes omnem compositionem physicam, seu realem aliquod aliud compositionis genus compati possit, vel comparatur. Igitur quod ad præsentem quæstionem attinet.

Scotiæ, qui formalitates diuinas realiter identificatas formaliter ex natura rei censent esse inter se distinctas; consequenter fateri tenentur, Deum ex talibus formalitatibus formaliter ex natura rei compositum esse. Cæteri verò Theologi illam inter formalitates diuinas distinctionem negantes, hanc in Deo compositionem omnino negant.

Qui verò inter aliquas Dei formalitates, virtuales aliquam, æquivalentem ve distinctionem admittunt, consequenter videntur debere admittere in Deo aliquam rem virtuales, siue æquivalentem compositionem. Aqua consequentiæ immunes sunt, qui dictam distinctionem repudiant.

Propositio I.

Compositio aliqua formalis ex natura rei nullatenus admittenda est in Deo.

Hæc propositio abundè manet probata à nobis contra Scotistas in Pharo Scient. disp. 13. q. 5.

q. 5. tum multis testimonijs Patrum, & Theologorum, tum multis rationibus tam philosophicis, quam Theologicis. Quibus eiusmodi compositio vna cum distinctione formali ex natura rei formalitatum diuinarum reiecta est. Quare, quæ ibi scripta sunt, ad rem sunt modò recognoscenda, non repetenda.

Propositio 2.

40 **Compositio virtualis seu æquivalens ex formalitatibus distinctis inter se virtualiter tanquam ex partibus virtualibus in Deo non est admittenda, adhuc ab eis, qui inter aliquas formalitates diuinas distinctionem virtuales, seu æquivalentem in ordine ad sufferenda sine repugnantia prædicata aliqua ex se contradictoria nobiscum admittunt.**

Quia, licet in ordine ad sufferenda sine repugnantia eiusmodi prædicata aliqua formalitates diuinae sint virtualiter, seu æquivalenter distinctæ inter se; nullæ tamen sunt distinctæ inter se in ordine ad se absolute, proindeque neque in ordine ad componendam Deum, siue ad constituendum ipsum in se absolute ex eis compositum adhuc virtualiter. Vt constat ex doctrina de distinctione virtuali reperta in diuinis exposita à nobis in Pharo Scient. disp. 13. citata q. 6. præsertim à num. 146. Quæ ad rem recognoscenda est.

41 **Cæterum in alio sensu, vt quantitas metaphysica æquivalens, seu virtualis admittenda venit in Deo in ijs attributis, siue prædicatis eius intrinsicis, quæ suscipere dicuntur ex suo conceptu magis, & minus, vt sunt bonitas, perfectio, potentia, & similia, iuxta doctrinam vniuersalem stabilitam disp. 10. q. 2. diuis. 3. ita quoque aliqua compositio æquivalens, seu virtualis in eiusmodi prædicatis diuinis potest admitti: quandoquidem omnis quantitas eâ ratione, qua quantitas est, ex partibus composita est, vt constat ex doctrina statuta in eadem disp. 10. q. 1.**

QVÆSTIO IV.

Virum in Deo aliqua compositio rationis sit admittenda.

42 **N**egant Aureol. in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. Mayr. q. 7. art. 1. Soncin. lib. 12. Metaph. q. 25. ad 3. Capreol. in 1. dist. 2. q. 3. Gran. 1. p. tract. 2. disp. 3. & Quiros tom. 1. in 1. p. ad art. 7. q. 3. S. Th. dub. 2. Affirmant tamen S. Bonau. in 1. dist. 34. art. 1. q. 1. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 18. Soar. disp. 30. Metaph. sect. 4. Gilli. lib. 2. de Deo tract. 4. cap. 14. Fasol. 1. p. q. 3. art. 7. dub. 4. Recupit. lib. 5. de Deo Martinon 1. p. disp. 4. n. 4. Atriag. disp. 2. de Deo vno n. 73. & alij.

43 **Pro resolutione suppono tanquam iam indubitatum inter Theologos, attributa intrinseca Dei, quæ in se realiter sunt prorsus idem, per nostram rationem distingui inter se; idque distinctione rationis ratiocinata, siue habentis fundamentum in re, prout supra disp. 2. q. 2. ex dictis**

latius in Pharo Scient. statuimus. Quòd autem eiusmodi distinctio sit ex parte obiecti præcisua formalitatum ibidem supposuimus latè probatum in eadem Pharo Scient. Sicut etiam, quòd neque Deus, neque Beati, neque quilibet alij Deum ipsum cognoscentes intuitiue, siue per propriam speciem possint vilo genere distinctionis rationis distinguere prædicta attributa. Quomodo autem distinctio prædicta rationis, qua iuxta ordinarium modum, quem nos habemus cognoscendi pro statu præsentis, distinguimus, siue distincta concipimus attributa intrinseca Dei, non ficta, sed supposititia distinctio sit, tum ex locis Phari Scient. ibidem citatis, tum ex doctrina generali de entibus rationis in ipsamet Pharo disp. 12. tradita conspicuum est. Quæ omnia ad præsens propositum recognoscenda sunt. Ijs autem suppositis sit.

Propositio 1.

44 **In Deo, prout à nobis cognoscitur pro statu præsentis, compositio metaphysica, siue rationis, qua ex suis intrinsicis attributis compositus nobis apparet, prorsus est asserenda.**

Quia, dum attributa intrinseca Dei distincta inter se ex parte obiecti nobis apparent iuxta suppositionem factam, non quidem segregata, & dispersa, seu in se re præsentantur, sed veluti mutuo sibi coherencia, coniunctaque ad constituendum ipsum Deum. Hoc autem ipsum est, representari nobis Deum ex illis compositum, in ipsoque Deo subinde compositionem metaphysicam, siue rationis à cognitione nostra oriundam dari, qua ex suis intrinsicis attributis compositus nobis apparet. Id quod vel exinde etiam patet, quòd pleraque, aut omnia attributa intrinseca Dei abstractè sumpta ex conceptu suo sunt actus quidam, ac veluti formæ vni essentia metaphysicæ eius veluti subiecto omnium communi intrinsecè, siue immediate adhærentes, cum eoque subinde componentes ratione nostra totidem concreta metaphysica: ex quibus omnibus rursus ratione identitatis subiecti mutuo sibi coherentibus tota essentia physica Dei euadit per rationem nostram composita, vt constat ex doctrina latè exposita, atque probata supra disp. 1. q. 10. & disp. 2. q. 1. & seqq. sæpeque alias.

45 **Neque huiusmodi compositio rationis quidpiam imperfectionis Deo appingere vultatenus putanda est: quia non conuenit Deo realiter, & prout est in se, sed merè intentionaliter, & prout obiectiue est in nostro intellectu; quod ipsi valde extrinsecum est. Et quidem distinctio in pluribus non minorem præfert imperfectionem de suo, quam compositio ex pluribus: & tamen omnes Theologi censent, absque vilo inconueniente posse, imo & debere admitti in Deo distinctionem rationis ab intellectu nostro oriundam, qua in plures formalitates identificatas realiter concipiatur ille distinctus, qua vt formalitates ipsæ distinctæ inter se concipiuntur. Ergo pariter censendum est, absque vilo inconueniente posse, imo & debere admitti in Deo compositionem rationis ab intellectu nostro oriundam, qua ex eisdem formalitatibus ille concipiatur compositus, qua vt componentes illum concipiuntur ipsæ formalitates.**

Sed

46 Sed dicunt quidam ex Aduersarijs, distinctionem rationis ex parte intellectus, siue ex parte intellectiois se habere; compositionem verò rationis non posse non se habere ex parte obiecti. Proindeque primam, non verò itidem secundam posse attribui Deo, quin aliqua ei imperfectio attribuatur prorsus ab ipso aliena. Sed contra est, quòd distinctio rationis non minus ex parte obiecti se habet, quàm compositio rationis, vt effatim est probatum à nobis in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 8. & 9. Vt enim tunc solum datur compositio rationis, quando id, quod est realiter simplex, prout est obiectiue in mente nostrà apparet compositum ex partibus, ita etiam tunc solum datur distinctio rationis, quando ea, quæ sunt realiter idem, prout sunt obiectiue in mente nostrà, apparent distincta. De quo plura loco citato.

47 Alij verò ex Aduersarijs dicunt, in Deo ex ipsius attributis intrinsicis non posse fieri compositionem rationis: quia omnia attributa Dei intrinseca mutuò sese includunt formaliter; & partes componentes totum quoduis mutuò sese debent excludere. Sed contra primò. Quia ab his Auctoribus æquè negari deberet in Deo distinctio rationis: eo quòd nulla etiam distinctio absque mutuà exclusione aliquorum extremorum stare potest. Quoties enim est distinctio adæquata, compertum est, extrema distincta mutuò se excludere. Quoties verò est inadæquata, vt partis à toto, necessariò debet interuenire distinctio adæquata partis à residuo totius, atque adeò quæ sit extremorum mutuò se excludentium, vt demonstratum à nobis est in Pharo Scient. disp. 13. q. 3. proposit. 1. 5. & iterum magis explicatum disp. 17. quæst. 20. Contra secundò. Quia falsum est, omnia attributa intrinseca Dei mutuò se includere formaliter; vt fati, superque ostendimus supra disp. 2. quæst. 6. Quo tota Aduersariorum sententia ruit.

48 Quomodò autem compositio rationis, qua nos ex suis intrinsicis attributis concipimus compositum Deum iuxta ordinarium, quem habemus intelligendi modum, non ficta sit, sed supposititia; tamen si nihil sit, quòd veter, fictam etiam compositionem à nobis cogitari. Ex vniuersali doctrinà de entibus rationis supposititijs, & fictis datà à nobis in Pharo Scient. disp. 12. constat. Atque etiam ex dictis in simili disp. 13. q. 8. de distinctione rationis supposititià, & fictà.

Propositio 2.

49 In Deo prout cognito per propriam speciem, siue prout est in se, qualiter à se ipso, & ab omnibus ipsum intuentibus cognoscitur, nulla compositio rationis dabilis est.

Quia in Deo prout sic cognito nulla est dabilis distinctio rationis inter ea, quæ realiter idem sunt, prout supra disp. 2. quæst. 2. supposuimus ex latè probatis in Pharo Scient. dictà disp. 13. q. 12. Compertumque est, impossibile esse compositionem ex partibus, vbi partes sunt impossibiles: nec minus est compertum, partes esse impossibiles, vbi distinctio partium impossibilis est. Inde tandem æquè est compertum, compositionem rationis impossibilem esse, vbi distinctio rationis impossibilis est.

QVÆSTIO V.

Virum in Deo compositio ex genere, & differentia, siue ex predicato generico, & differentiali sit admittenda.

QVæstio hæc in eandem recidit cum illà, qua inquiritur, vtrum Deus sit sub aliquo genere, siue in aliquo genere, siue in aliquo predicamento. Circa quam negatiua sententia, valde communis est. Eam enim tenent Magister in 1. dist. 8. & ibi multi eius expositores. S. Th. tum aliàs sæpe, tum 1. p. q. 3. art. 5. vbi communiter Thomistæ, Scot. cum suis in 1. dist. 8. quæst. 3. & ibi Oham q. 1. cum alijs Nominalibus. Fafol. 1. p. q. 3. art. 5. dubit. 2. vbi quatuor & viginti Auctores refert pro istà sententià. Pro quà ibidem etiam stant Valent. Molin. Vaz. Arrub. Gran. Tanner. & alij. Tenent eam etiam Soar. disp. 30. Meth. sect. 4. Fonseca. lib. 5. Metaph. cap. 8. quæst. 1. Recupit. lib. 2. de Deo quæst. 8. et si subiungat num. 13. controuerfiam esse de nomine, Pasqualig. disp. 14. de Deo sect. 5. & alij Recentiores. Pro affirmatiua tamen sententià stant Rubion. in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. & 2. Arimin. q. 3. Marfil. q. 12. art. 2. Maior q. 2. Gabriel. q. 1. & 2. Gregor. q. 3. art. 2. Bacchon. dist. 9. q. vnic. Holchor. q. 6. Nicolaus Bonetius lib. 1. Theolog. natur. cap. 1. & lib. 2. cap. 1. 2. & 3. Smising. tract. 2. de Deo vno disp. 2. n. 52. Arriag. 1. p. disp. 2. n. 73. & alij. Consensitque re ipsa Quiros tom. 1. de Deo in comment. art. 5. citati, licet sub quadam distinctione loquatur.

Suppono primò, exactam huius quæstionis resolutionem plenam notitiam prærequirere totius doctrinæ traditæ à nobis in Pharo Scient. disp. 17. per totam de naturà, & proprietatibus vniuersalis tum generatim, tum proprietatim sumpti, deque eius fabricà, seu constructione ab intellectu nostro prout in statu præfenti oriundà. Quæ promde doctrina imprimis supponenda hic est, & à lectore recognoscenda.

Suppono secundò, multos conceptus obiectiuos à nobis formari communes Deo, & creaturis cum fundamento in ipsis rebus; eo quòd vt præcisi per intellectum nostrum à reliquis omnibus prædicatis Dei, & creaturarum cum eà similitudine nobis apparent, quæ satis est, vt in conceptum vnum communem, siue vniuersalem Deo, & creaturis coire possint, iuxta doctrinam vniuersalem datam à nobis in citatà disp. 17. quæst. 8. Talis est conceptus entis, id est potentis existere, siue existentis, vt in eadem disp. 17. quæst. 21. latè monstrauimus. Tales sunt conceptus substantiæ, viuentis, spiritus, intellectiui, volitui, & alij huiusmodi. Quinimo hos omnes conceptus communes eo ipso vniuersales esse respectu Dei, & creaturarum ex doctrinà traditâ ibidem quæst. 22. est conspicuum. Quemadmodum enim à reliquis prædicatis creaturarum, quantumuis inter se reipsa, & physicè dissimilium, potest, & solet intellectus noster abstrahere, siue præcindere prædicata entis, substantiæ, aut viuentis, &c. ab omni penitus dissimilitudine exuta, exatqueque similia obiectiue, aptaque prout sic, vt in vnum conceptum vniuersalem, atque etiam vni-

vniuoctum coeant iuxta dicta in eâ quæst. 8. Ita à reliquis prædicatis Dei, & creaturarum, quantum inter se reipsâ, & physicè dissimilium potest pariter, & solet abstrahere intellectus noster prædicata entis, substantiæ, viuentis, &c. adeò inter se similia obiectiue, vt in vnum conceptum vniuersalem, communemque, imò & vniuoctum Deo, & creaturis coire possint, defactoque coeant. Quòd quàm sit intellectui nostro pro statu præsentis connaturale, ex dictis latius locis citatis facillè quisque deprehendet.

53 Suppono tertio, prædicata Dei, quæ præcisa à reliquis exactam similitudinem fortiuntur, prout sunt in intellectu nostro obiectiue, cum, prædicatis creaturarum, bifariam considerari posse. Primò per se præcisè. Secundò reduplicatiue vt diuina, siue vt increata, siue vt infinita, siue vt coniuncta cum quouis alio conceptu obiectiuo proprio Dei, (eorum præsertim, qui transcendent dicuntur, eo quòd omnibus, & singulis formalitatibus diuinis conueniunt in sensu formali). Et priori quidem modo sumpta cum prædicatis creaturarum, quibus exactè sunt similia, in vnum conceptum vniuersalem, communemque Deo, & creaturis, atque eis vniuoctum coire possunt. Posteriori verò modo sumpta nequaquam. Quia sumpta posteriori modo omnibus prædicatis creaturarum euadunt dissimilia, & prædicata dissimilia quatenus talia neutiquam possunt ab intellectu nostro sub vno conceptu aduari, vt quæst. illâ 8. citatè monstratum est. Quæ etiam ex dictis, monstratisque latius locis citatis Phari Scient. comperta sunt. His positus sit.

Propositio 1.

54 Si cuncta prædicata Dei considerentur sumanturque vt diuina, siue vt coniuncta, cum aliquo conceptu proprio Dei transcendente, Deus neque sub genere, siue in genere, siue in prædicamento positus, neque ex genere, & differentiâ compositus esse, aut concipi potest.

Et hac ratione censendi sunt considerare, & sumere cuncta Dei prædicata omnes Patres, qui Deum esse sub aliquo genere, siue prædicamento, in eo ve posse poni, aut ex genere, & differentiâ posse componi, negant vel expressis, vel æquivalentibus verbis, vt sunt Cyrill. Alex. lib. 1. de Trinit. sub initium, & lib. 11. Thesau. Cassio. super illud Psal. 2. *Dominus dixit ad me, &c.* Clemens Alex. lib. 5. Stromat. cap. 5. Bernard. dist. ad fratres de Monte. Dei sine. August. lib. 1. cognit. veræ vit. cap. 3. & lib. 5. de Trinit. cap. 1. Maxim. cent. 3. cap. 4. apud Cyparissic. decad. 10. cap. 8. Anselm. in Monol. cap. 26. Epiph. in hæres. contra Ptolem. Enagr. in lib. de Diuinit. apud Niephor. lib. 20. Hist. cap. 19. Boet. lib. de Trinit. circa medium, Dydim. lib. contra Manich. Rustic. Dialog. contra Acephalos, & alij. Quo etiam sensu accipiendi veniunt multi ex Scholasticis citatis pro sententiâ primâ.

Ratio autem propositionis conspicua est.

55 Quia, vt Deus esset, conciperetur ve sub aliquo, vel in aliquo genere, siue prædicamento, aut esset, conciperetur ve compositus ex genere aliquo, & differentiâ, necessariò deberet concipi, & esse in Deo aliquod prædicatum ipsi, & creaturis commune communitate generis, aut coræ

tam exactè simile alicui prædicato creaturarum, vt cum illo in vnum conceptum vniuersalem, communemque Deo, & creaturis communitate generis coire possit, vt est notissimum. Ast, si cuncta Dei prædicata considerentur, sumanturque vt diuina, siue vt quoquo modo propria Dei per sui coniunctionem cum conceptu aliquo transcendente ipsius Dei proprio, nullum eorum vt sic est tam simile vlli prædicato creaturarum, vt cum illo coire possit in vnum conceptum genericum Deo, & creaturis commune iuxta doctrinam statutam suppositione tertia; eo quòd omnia prædicata Dei quatenus diuina, & Dei propria omnibus prædicatis creaturarum sunt dissimilima, vt est etiam notissimum. Ergo, si cuncta Dei prædicata considerentur, sumanturque vt diuina, siue vt quoquomodo propria Dei per sui coniunctionem cum conceptu aliquo transcendente ipsius Dei proprio, nullatenus Deus sub aliquo, aut in aliquo genere, siue prædicamento positus, ex genere ve aliquo, & differentiâ compositus esse, aut concipi potest. In quam vnam rationem cæteræ, quæ momenti ad rem fuerint, necessariò debent recidere. Ob id eas præmitto. Contra propositionem autem ita explicatam nihil momenti est, quòd obijci possit. Est enim certissima. Quo circa de oppositâ putari potest loquuta Academia Oxoniensis apud Bacchon vbi supra, cum dixit. *Quod causa prima est in genere, & non extra genus, error.*

Propositio 2.

56 Si prædicata Dei, quæ ex suo præciso conceptu obiectiuo prædicatis creaturarum tam exactè similia euadunt, vt cum illis in vnum conceptum commune in Deo, & creaturis coire possint iuxta dicta suppositione secundâ, vt sic præcisè considerentur, & sumantur, Deus sub multis eorum tanquam sub genere, siue prædicamento sibi, & creaturis communi positus, ex multisque eorum, & ex alijs sibi proprijs tanquam ex genere, & differentiâ compositus esse, vt vnum inconueniens esse, aut concipi potest.

Hoc sibi volunt Auctores relati pro secundâ sententiâ. Neque alienum illud est à sententiâ sanctorum Patrum. Quinimo commune esse ipsorum doctrinam, duo Deo prædicamenta conuenire, scilicet substantiæ, & relationis testatur Aureol. in 1. dist. 8. p. 4. dist. Colligitur enim ex August. lib. 5. de Trinit. cap. 1. & seqq. & lib. 7. cap. 4. & 5. & serm. 38. de tempore. Vnde S. Th. 1. p. q. 28. art. 1. ad 1. ait. *Dicuntur duo tantum esse prædicamenta in diuinis.* & in 1. dist. 8. q. 4. art. 3. in corp. dicit; *ex omnibus decem prædicamentis tantum remanere duos modos prædicandi in diuinis, secundum substantiam, & secundum relationem, id quòd etiam docet Boet. lib. 1. de Trinit. Et Damasc. cap. 7. Infit. sub genere summo substantiæ collocat Deum inquires. Genere autem summo continetur hac corporis expertis essentia, vt Deus, vt Angelus, vt animus, vt Daemon.*

Ratio autem propositionis est. Quia quoniam prædicatum commune pluribus pars quædam metaphysica contrahibilis per aliam est essentiæ specificæ eorum, de quibus vt de subiectis verificatur, tunc illud prædicatum est genericum, siue genus respectu eorum. Sed multa ex prædicatis

communibus Deo, & creaturis partes quædam metaphysicæ per alias contrahibiles sunt essentia specificæ tum Dei, tum creaturarum, de quibus ut de subiectis verificatur. Igitur talia prædicata generica sunt, siue genera respectu Dei, & creaturarum; & consequenter Deus sub quouis eorum tanquam sub genere, siue prædicamento positus, ex quouisque eorum, & ex alio sibi proprio tanquam ex genere, & differentiâ compositus esse, aut concipi potest. Maior constat ex definitione generis traditâ, & explicatâ à nobis in Pharo Scient. disp. 17. citatâ quæst. 13. Et integra consequentia euidens est. Minor autem per exempla probatur. Quia prædicatum substantiæ Deo, & creaturis commune pars quædam metaphysica per aliam contrahibilis est essentia specificæ tum Dei, tum creaturarum; similiterque prædicata viventis, spiritus, intellectiui, volitiui, & aliæque huiusmodi. Essentiam enim specificam aut Dei, aut creaturæ vocamus ad propositum eam, quæ ex dictis prædicatis communibus, ex alioque, vel ex alijs proprijs aut Dei, aut creaturæ consideratur composita per nostram rationem. Dum enim de tali essentia aut Dei, aut creaturæ ali-quod ex dictis prædicatis communibus prædicatur, prædicatio est generis ipsaque essentia sub tali genere dicitur esse ut subiectum eius, ex ipsoque genere, & ex differentiâ sibi propria composita metaphysicæ, siue per rationem nostram euadit, prout latius loco citato Phari explicatum à nobis est. Itaque, quod attinet ad compositionem ex genere, & differentiâ oriundam ab intellectu nostro, perinde de essentia specificâ Dei, atque de essentia specificâ creaturæ philosophandum est; nisi quod sub essentia specificâ creaturæ abstractè considerata supra individua sunt possibilis; sub essentia vero specificâ Dei vnicum solum. Quod discrimen ad rem de interest.

58 Verum contra notam propositionem primò obijci possunt testimonia eorum Patrum, quos proposui, i. reculimus, & tenus absolute pronunciant, Deum sub nullo genere, siue prædicamento esse positum, ex genere, & differentiâ non esse compositum. Respondeo, patres in eo sensu censendos esse negare Deo prædicamentum, & genus, in quo nos etiam illud negamus ea proposui, prout ibi notauimus. Secus verò in sensu, in quo illud ipsi hac secundâ concedimus.

59 Secundo obijcitur. Genus, & differentiâ se habent sicut potentia perfectibilis, & actus eam perficiens. Sed nulla eiusmodi potentia datur in Deo; cum sic actus purissimus. Ergo in Deo non datur genus, & differentiâ. Distinguo maiorem. Genus & differentiâ se habent sicut potentia perfectibilis, & actus eam perficiens per nostram rationem; admitto; realiter; nego; quia genus, & differentiâ, de quibus agimus, realiter sunt prorsus idem. Demde minorem. Sed nulla eiusmodi potentia datur in Deo; realiter concedo; per rationem nostram; nego. Similiterque consequens. Ergo in Deo non datur genus, & differentiâ realiter; concedo; per rationem nostram; nego. In quo nullum est inconueniens. Sicut neque in eo, quod datur in Deo per nostram dumtaxat rationem compositio ex partibus iuxta dictâ quæst. 4.

60 Sed virgeri potest. in Deo nequit admitti prædicatum importans aliquam imperfectionem; quia in Deo nulla imperfectio datur. Ob idque nequeunt admitti in Deo potentia receptiua acci-

dentium; potentia ad peccandum, aut ad errandum, aut ad desiciendum; physica compositio ex partibus; corporeitas; aut alia eiusmodi prædicata, quæ imperfectionem aliquam secum ferunt. Sed genus importat imperfectionem perfectibilis per differentiam. Ergo genus nequit admitti in Deo, Respondeo rursus distinguendo maiorem. In Deo nequit admitti prædicatum importans imperfectionem reipsâ concedo; & talia sunt prædicata adducta in exemplum, quæ propterea relegantur à Deo; importans imperfectionem per nostram rationem dumtaxat; nego; quia imperfectiones à nostro intellectu tantum oriundæ, & reipsâ non subsistentes nequeunt nocere Deo. Et talis est imperfectio perfectibilis per differentiam, quam genus secum fert. Vnde consequentia facti argumenti neganda est. Itaque prædicatum genericum substantiæ reipsâ nullam dicit imperfectionem; quia re ipsa in Deo per alia ipsius prædicata non est perfectibile; cum sit re ipsa idem cum illis; quod autem, prout est in mente nostrâ obiectiue, induat imperfectionem distinctâ à reliquis prædicatis diuinis, & perfectibilis per illa, aut etiam adunati cum simili prædicato creaturæ, ita, ut in statu abstractionis, adunationisque conceptus obiectiuus communis Deo, & creaturæ, atque adeo genus euadat; nihil obstat, quominus illud attribuat Deo; quia huiusmodi imperfectiones merè intentionales, à nostroque intellectu tantum oriundæ nihil omnino possunt officere perfectioni reali Dei. Et idem pariter venit dicendum de cæteris prædicatis genericis, quæ verè, & propriè prædicantur de Deo, verèque proinde, & propriè conueniunt ipsi à parte rei æquè, ac creaturæ, cui sunt communia; tametsi non, prout sunt in mente nostra obiectiue, sed prout sunt in se. Quod in omnibus prædicationibus veris à nobis factis euenit eo ipso, quod rerum veritates, non ut sunt in se, sed aliter; quàm sunt in se, concipimus pro statu præsentis. De quo multa, & sæpe à nobis sunt dicta in Pharo Scient.

Tertiò obijcitur. Nullum est prædicatum diuinum, quod non sit formaliter à se: aseitas enim ex genere eorum conceptum est, qui omnes diuinas formalitates transcendunt formaliter. Ergo nullum est prædicatum diuinum, quod sit genericum, communeque ex conceptu suo Deo, & creaturæ. Siquidem nullum est prædicatum creaturæ, quod sit à se. Respondeo aseitatem, aut & cæteros conceptus, qui omnes diuinas formalitates transcendunt formaliter, non per inclusionem, sed per adiectionem transcendere illas, ut constat ex generali doctrinâ de transcendentibus traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 20. Quo locus superest, ut aliquæ formalitates, siue aliqua prædicata Dei cum præcisione ab aseitate concipi possint, atque adeo cum indifferentiâ ex conceptu suo, ut sint à se, vel non sint à se. Quo pacto optimè possunt esse communia Deo, & creaturæ, atque ita etiam generica prædicata, seu genera.

Quartò obijcitur, prout in simili obijciebamus in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 21. Si daretur aliquod prædicatum genericum Deo, & creaturæ commune, daretur in creaturâ formalitas, quæ sumpta præcisè non esset dependens à Deo, atque etiam in Deo daretur formalitas, quæ sumpta præcisè non esset à se. Tale enim esset illud prædicatum genericum per se præcisè consideratum. At hoc est absurdum. Ergo tale prædicatum

tum genericum Deo, & creaturæ commune non est admittendum. Sed verò ista arguendi formà pariter contra omnes venit probandum, non dari genus substantiæ commune spirituali, & corporeæ: quia daretur in Angelo aliqua formalitas, quæ sumpta præcisè non esset spiritualis; & in lapide aliqua, quæ sumpta præcisè non esset corporea. Quod similem absurditatem præfert, Eodemque iure, non dari genus qualitatis commune qualitati spirituali, & corporeæ; aut supernaturali, & naturali; aut vitali, & non vitali. Similiter, non dari conceptum communem aut intellectus, aut productionis, aut generationis, aut personæ, aut bonitatis, aut veritatis, aut demum plurium prædicatorum, quæ citra omnia dubium aliquo modo Deo, & creaturis communia sunt. Ex quibus patet, per argumentum factum nihil prælati contra nos.

63 Respondeo ergo ad illud, quoduis prædicatum genericum Deo, & creaturæ commune in statu abstractionis, siue adunationis consideratum cum præcisione ab omni alio neque esse à se formaliter, neque ab alio; in quo nihil absurdi cernitur. Cum tota hæc præcisio opus nostri intellectus sit. Realiter enim tale prædicatum nihil est aliud, quàm entitas Dei, & entitas creaturæ; quarum prima reipsà à se, secunda verò ab alio est. Semel tamen contractum eiusmodi prædicatum ad Deum, & ad creaturam, in Deo quidem acquirit sibi conceptum essendi à se, utpote transcendente omnem formalitatem divinam; in creaturà verò conceptum essendi ab alio, utpote transcendentem itidem omnem formalitatem creatam; idque non per inclusionem, sed per adiectionem metaphysicam; qualiter solum possunt huiusmodi conceptus transcendere, ut ostendimus in Pharo Scient. disp. 17, quæst. 20. iam citatà.

64 Quinto obijcitur. Omnis formalitas divina est infinita. Ergo nulla formalitas divina potest esse genus commune Deo, & creaturæ. Quoniam ut contracta ad creaturam nequit esse infinita. Distinguo antecedens. Omnis formalitas divina debet esse infinita prout præcisà ab infinitate, & finitate, quo pacto consideratur in statu abstractionis, siue adunationis, in quo euadit genus commune creaturæ, & Deo; nego; prout habens infinitatem non in se imbibitam, sed sibi adiectam, (vbi adijciuntur alij conceptus transcendentes iuxta iam dicta), quo pacto consideratur in statu contractionis ad Deum; concedo. Et nego consequentiam.

65 Sexto obijcitur. In Deo non potest dari differentia. Ergo nec genus. Consequentia est bona. Antecedens probatur. Nam differentia Deitatis aut esset infinita, aut finita. Si infinita imbiberet formaliter omnem perfectionem essendi, atque adeò omne prædicatum diuinum, quin superesset extra illam vllum, quod posset esse genus. Si verò finita, non posset communicare infinitatem generi, neque Deum plenissimè, & vnde quaque infinitum simul cum ipso constituere. Non igitur est possibilis differentia in Deo; atque adeò nec genus. Respondeo, differentiam Deitatis ab infinitate sibi metaphysicè adiecta (iuxta iam dicta de conceptibus transcendentibus) infinitam esse. Atque ita ne infinitatem quidem propriam, nedum cætera Dei prædicata imbibere in se formaliter, prout constat ex doctrinà statuta supra disp. 2. quæst. 6. Quo locus superest, ut extra illam, & intra Deum aliud prædicatum, quod

fit genericum, dari possit. Quanam autem infinitudine perfectionis sint formaliter infinita singulæ Dei formalitates consideratæ seorsim, inferius disp. 16, explicabitur.

66 Septimo obijcitur. Deus neque continetur sub genere tanquam species: quia omnis species habet sub se plura individua; & non sunt plures Dij. Neque continetur sub genere tanquam individuum: quia omne individuum conuenit cum alijs quoad speciem atomam; & Deus cum nullà creaturà conuenit quoad talem speciem. Igitur Deus nullo modo continetur sub genere. Respondeo, Deum contineri sub genere saltem ut speciem subijcibilem, & ut individuum vnicum talis speciei: (quidquid sit de possibilitate speciei prædicabilis communis vnico Deo verò, & alijs fictiis); quia Deus essentiam habet omnibus alijs essentijs possibilibus prorsus dissimilem; quo titulo specificè differt ab illis. In seque est realiter vnus, & distinctus ab ipsis; quo titulo ab eisdem differt numericè.

67 Mitto cætera, quæ opponi possent, aut etiam solent: quia vel recidunt in proposita, vel ex dictis circa illa facillimè ab vnoquoque poterunt dilui.

68 Modòque ex dictis infero primò contra Giliolum lib. 2. tract. 4. cap. 7. & Fasolum 1. p. q. 3. art. 3. dubit. 1. & alios, Deum non esse sub genere analogo, vti ipsi opinantur; sed, qua ratione sub genere est, sub genere vniuoco esse: quia genus analogum est impossibile, ut constat ex generali doctrinà traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 22. Ab analogatis enim, utpote habentibus similitudinem non exactam, & puram, sed cum aliqua dissimilitudine mixtam, vnus conceptus obiectiuus ipsis communis, qui genus analogum diciqueat, abstrahi non potest. Et quidem eo ipso, quòd Auctores relati vnum conceptum obiectiuum à Deo, & creaturis abstractum, & ipsis communem concedunt, nobiscum consentiunt reipsà; dissidiumque de solo nomine superest, verùm ille vniuocus, an analogus dicendus sit. Certè itando definitioni vniuocorum ab Arist. traditâ vniuocus dicendus est. Quæ omnia in eà quæst. citatâ satis, superque à nobis exposita, & comprobata videntur.

69 Secundo infero contra aliquos ex supra commemoratis Auctoribus, Deum, quo sensu in prædicamento ponitur iuxta nostram proposit. 2. propriè, per se, & directè, (æquè, ac creaturæ), non verò impropriè, per accidens, & indirectè poni. Quia ponitur ut quædam essentia ex genere, & differentia composita metaphysicè, seu per rationem nostram, de qua ipsum genus ut pars metaphysica de suo toto per aliam partem contrahibilis prædicatur, perinde, ac prædicatur de alijs essentijs creatis, quæ ex ipso genere, & ex suis differentijs pariter compositæ sunt metaphysicè, seu per nostram rationem. Vti ex dictis in præcedentibus, ex locisque Phari citatis satis, superque notum est. In quo nihil penitus absurdi esse, etiam constat ex dictis.

70 Tertiò infero contra Recapitulum citatum supra, & alios, supposito eo, quem pro præsentis statu habemus, intelligendi modo, eodem pacto ex parte Dei, ac ex parte cæterarum rerum, quæ sub genere, & in prædicamento ponuntur, præberi nobis fundamentum reale ad eas præcisiones, & adunationes rationis faciendas, quæ ad eiusmodi positionem necessariæ sunt, iuxta doctrinam vniuersalem de huiusmodi fundamentis datam in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 8. Quod

etiam ex dictis in præcedentibus satis notum est. Constat enim ex eis perinde, quod ad rem attinet, de Deo, ac de cæteris rebus, quæ in prædicamento ponuntur, philosophandum esse.

QVAESTIO VI.

Verum simplicitas Dei formaliter sumpta sit attributum positivum, vel negativum.

- 71 **E**sse positivum, tenent Henr. in Sum. art. 28. q. 1. Scot. in 1. dist. 8. q. 1. Bonau. ibid. art. 3. q. 2. Smising. tract. de Deo vno disp. 2. q. 2. Palqualig. de Deo disp. 14. sect. 2. & alij. Esse verò negativum, tenent Caiet. de Ente & essentiâ cap. 2. post q. 3. Aureol. in 1. dist. 8. q. 3. art. 2. Mayron. q. 7. art. 1. Bann. 1. p. q. 3. art. 7. Molin. ibid. disp. 2. Fâsol. dubit. 3. Soar. lib. 1. de Attrib. cap. 3. Recupit. lib. 5. de Deo q. 15. Quiros tom. 1. de Deo in comm. art. 7. q. 3. & Th. dub. 5. & alij.

Propositio 1.

Simplicitas Dei sumpta formaliter attributum est negativum.

- 72 **Q**uia illud attributum sumptum formaliter dicitur esse negativum, quod in eo conceptu obiectivo, quem nos de eo formamus, siue quem habet, prout à nobis concipitur, aliquam dicit negationem, ut constat ex doctrinâ supra statuta disp. 2. q. 1. & 3. Sed simplicitas Dei in eo, quem habet, prout concipitur à nobis, conceptu obiectivo aliquam dicit negationem: quia ens simplex apud nos non est aliud, quam ens non compositum, siue carens compositione; & consequenter simplicitas aut est formaliter ipsa negatio, siue carentia compositionis, aut eam in suo conceptu claudit, saltem de connotato, ut satis, superque ex se notum est. Ergo simplicitas Dei sumpta formaliter attributum est negativum.

- Nec refert, in conceptu simplicitatis Dei saltem in concreto, aut etiam in abstracto sumptæ aliquam formalitatem Dei positivam includi. Nam ut ea attributum negativum dicatur, sat est, quod aliquam insuper in se etiam inclusam præferat, ut verè præferat, negationem. Alioquin contra communem sententiam Patrum, & Theologorum nulla ex diuinis attributis negativa dicenda essent: quia nulla sunt, quæ saltem in concreto, aut etiam in abstracto sumpta aliquam positivam Dei non includant in conceptu suo. Recognoscantur dicta ad rem supra disp. 2. quest. 3.

Propositio 2.

- 74 **N**egatio, quam simplicitas Dei sumpta formaliter dicit in suo conceptu, non vera, & realis, sed supposititia est, & rationis.

Quia non est negatio excludens quidpiam ab statu existentiâli, prout opus erat, ut vera, &

realis negatio esset; sed excludens quidpiam ab statu quiditativo exclusionem quædam supposititiâ æquivalente positioni, utpote in veritate aliqua positivâ reverâ fundatâ; ut constat ex generali doctrinâ traditâ supra disp. 2. q. 3. & latius in Pharo Scient. locis ibi citatis, quæ ad rem videntur. Itaque, esse Deum non compositum à parte rei, nihil est aliud quam esse Deum distinctum, ab omni ente composito, quæ veritas positivâ est.

Hic dubitant aliqui, an simplicitas Dei pro formali sit perfectio, necne. Et ratio dubitandi est: quia negatio non videtur esse perfectio, & simplicitas Dei pro formali præferat negationem. Hæc tamen dubitatio iuxta doctrinam nostram facilem habet resolutionem. Nam, cum eâ formalitas intrinseca Dei, cui negatio compositionis conceptione nostrâ est annexa, non possit non esse perfectio ex vnâ parte, ut constat; ex aliâ verò talis negatio non vera, sed supposititia sit, uti diximus; necessariò dicendum est absolutè esse perfectionem simplicitatem Dei quoad totum, quod re ipsâ est in Deo; atque adeo etiam pro formali. Siquidem conceptus, quos nos formamus de veritatibus reallibus, eorum loco nobis sunt, per ipsosque subinde tribuuntur, quæ verè conveniunt ijs, pro quibus subrogantur, iuxta doctrinam generalem traditam in Pharo Scient. disp. 2. q. 3. & disp. 12. q. 3. & disp. 13. q. 9. De quo plura dicemus infra, disp. 16. cum sermo sit in vniuersum de perfectione attributorum Dei.

Dubitant verò insuper alij in præsentî, an sit simplicitas Dei perfectio simpliciter simplex; id est melior ipsa, quam non ipsa. Et ratio dubitandi est; quia melior est homo, quam punctum quantitatis; & tamen punctum quantitatis est simplex, & homo compositus. Sed dicendum omnino est, simplicitatem secundum se præcisè consideratam semper, & in omni ente, nedum in Deo, esse meliorem, quam non ipsam, atque adeo perfectionem simpliciter simplicem: quia cæteris paribus, & retentis, melius est cuius entis esse simplex, quam esse compositum. Quare Ansel. de Incarnat. Verb. cap. 6. dixit. *Omne simplex, quæ simplex est, est perfectius compositio.* Et August. lib. de quant. animæ. cap. 11. *omnino præferendum est, quod omni compositione caret.* Et Bern. lib. 5. uerò consid. *Verò iudicio simplex multiplici antefertur.* Itaque, quoduis ens simplex titulo simplicitatis est perfectius, quam esset, si retentâ per impossibile totâ perfectione, quam aliunde habet, maneret compositum; & ex duobus entibus aliunde æqualiter perfectis semper simplex composito perfectius erit. Quod ipsum est, simplicitatem, per se præcisè compositione oppositâ meliorem, atque idecirco perfectionem simpliciter simplicem esse. Quod si homo melior, quam punctum quantitatis est, id certè non habet; quia est compositus, & punctum quantitatis est simplex; (ex hoc namque titulo præcisè melius esset punctum, quam homo); sed quia aliunde habet perfectionem maiorem, quam habet punctum quantitatis, adhuc computatâ in hoc eâ, quam à simplicitate sortitur. Per quod rationi dubitandi satisfactum est.

QVAESTIO VII.

*Virum Deum cum aliò ente accidentali possit
in compositionem venire. Aut aliter
aliquo modo alicuius accidentis
sibi capax.*

77 **N**onnulli Theologi duplicem compositionem distinguunt, alteram passivam, qua totum componitur ex partibus, alteram activam, qua quævis pars componit totum. Et de utraque censent, esse oppositam simplicitati Dei. Atque adeò dicunt, quantumvis sit Deus in se indivisibilis, ob idque ab omni compositione passivâ prorsus immunis; si tamen cum alio ente possit in compositionem venire, qua tertium quoddam componeretur ex utroque, fore utique, ut perfectè simplex non esset; quia cum omnimodâ immunitate à compositione passivâ adhuc remaneret obnoxius compositioni activâ. Quo iure agentes de attributo simplicitatis Dei, postquam ab ipso relegarunt compositionem passivam, pergunt ad relegandum ab eodem compositionem activam. Et quoniam ens, cum quo Deus potest excogitari componens tertium, aut potest esse accidens, aut substantia, alteram pro accidente, & alteram pro substantiâ quæstionem instituunt. Interimque in priore punctum concernens inserunt de incapacitate Dei ad subeundum accidentia aliter, quam mediâ activâ tertij compositione.

78 Ego verò imprimis censeo, simplicitatem Dei propriè sumptam dumtaxat opponi compositioni passivæ, non verò item compositioni activæ. Id quod contra Gillium, & alios benè probat Falol. 1. p. q. 2. art. 6. dubit. 1. Et tenent communiter Patres, dum simplex, & incompositum pro eodem usurpant. Ait enim Basil. lib. 1. contra Eunom. paulò post medium, *Simplex enim est, quod non ex pluribus compositionem habet.* & infra, *Simplex omnino, & incompositus.* Cyrill. Alex. lib. 3. Ihesau. cap. 2. Deum vocat. *simplicissimum, atque incompositum.* Eandemque phrasim repetit sapius lib. 11. & lib. 7. de Trinit. ante medium ait. *Simplex, & incomposita est divina natura.* Irenæus lib. 2. adversus hæreses cap. 16. *Simplex, & non compositus.* Damasc. lib. 1. fidei. *Deus simplex est, & incompositus.* Rupert. lib. in Exod. cap. 14. *Simplex, vel incompositum.* Bernard. lib. 5. de consid. circa medium. *Non est compositus Deus, merum simplex est.* Cuius doctrinæ ratio est, Quia, ut aliquod ens propriè simplex dicatur, fat est, quòd ex partibus non sit compositum; tamen ipsum cum alio quopiam componat tertium; ut in animâ rationali tenere est; quæ citra dubium cum omni proprietate est ens simplex physicè; quia physicè partibus caret; tamen ipsa pars sit physicè simul cum corpore componens hominem. Et de Deo quidem certissimum est simplicem esse prout vidimus quæst. 1. cum tamen simul cum humanitate componat Christum Dominum, si quidem esse personam Christi ex divinitate, & humanitate compositam, communis iam, & vera haud dubiè Theologorum sententia est, ut apud Vaz. tom. 1. in 3. p. disp. 16. cap. 2. Soar. tom. etiam 1. in 3. p. disp. 7. sect. 4. Card. de Lugo tom. de Incarn. disp. 10. sect. 3. Bernal. disp. 13. Aldrete.

disp. 30. sect. 5. & disp. 31. sect. 4. & apud alios tractantes de Incarnatione Verbi videri potest. Unde per attributum simplicitatis propriè sumptæ dumtaxat excluditur à Deo compositio passiva. Aliudque attributum est designandum pro excludendâ ab ipso eâ compositione activâ, quæ ipsi repugnat. Quod certè in impotentiâ, ut uniatur tanquam quid incompletum cum alio quopiam, ad componendum tertium, consistit, prout apparet ex dicendis. Incomplebitasque per unionem vocari potest. Dico autem per unionem: quia etiam est Deus incomplebilis per receptionem, alterius rei. Aliudque proinde attributum diversum à prædictis habet incomplebitatis per receptionem, prout etiam constabit ex dicendis. Ex quo patet, omnes Theologos, qui sub nomine simplicitatis latius accepto tria attributa ista amplectuntur, æquivoce ipsum usurpare: quia utuntur illo ad significanda tria attributa ipsa immediatè, non verò ad significandam unam, rationem ipsis communem, ut ex se apparet; & ipsa inter se valde diversa, seu dissimilia sunt. Agitur tamen nihilominus de illis sub eodem tractatu, sub eadem ve disputatione ob aliqualem necessitudinem, quam habent inter se.

His ita prænotatis, iam pro resolutione quæstionis suppono primò, dumtaxat esse nobis sermonem in præsentî quæst. (sicut & in sequenti erit) de eo genere compositionis physicæ, quam adhesionis nuncupavimus supra disp. 10. quæst. 2. siquæ mediâ unione, quæ partes physicè, & adhasivè, aut inhasivè etiam colligantur ad componendum totum, qualis est unio animæ cum corpore; & unio cuiusvis formæ substantialis cum materiâ primâ; unio humanitatis Christi cum Verbo; & cæteræ huiusmodi.

Suppono secundo, in hac quæst. solum esse sermonem de entibus accidentalibus, siue accidentibus, quæ ita intrinseca essent Deo, ut cum substantiâ eius per physicam unionem essent unita, aut etiam in ipsâ per passionem, seu receptionem physicam tanquam in subiecto recepta; quemadmodum substantijs creatis unita sunt, in eisque recepta accidentia ipsis intrinseca, ut calor, frigus, color, lumen, sonus, sapor, sensatio, intellectio, cæteraque similia. Huiusce enim generis accidentium intrinsecorum per unionem, aut receptionem, quærimus, an Deus capax sit, non verò itidem aliorum.

Tertiò quippe tanquam certum est supponendum, Deum aliorum accidentium, seu prædicatorum accidentalium citra omne inconueniens capacem esse, utpote quæ citra omne inconueniens passim de illo verificantur; vel quia sunt ipsi prorsus extrinseca, ut esse cognitum, & esse amatum à suis creaturis; ab ipsis adorari, coli, &c; vel quia sunt ipsi partim intrinseca per identitatem, & partim penitus extrinseca, ut esse dissimilem, & inæqualem ipsis creaturis, esse earum Dominum, Regem, &c; vel quia, licet sint ipsi aliquo modo intrinseca per adhesionem, seu per contactum immediatum, ut quidam ipsius modi; quales sunt omnes actiones, quibus per se immediatè producit, & conseruat creaturas; nihil tamen ipsi physicæ perfectionis, aut imperfectionis appingunt. Itaque de solis accidentalibus per physicam receptionem, aut unionem subiecto intrinsecis procedit quæstio præsens. Pro qua sit.

Propositio I.

82 In Deo nulla dantur accidentia intrinseca ipsi per receptionem physicam, aut per vnionem physicam, aut per vtramque. Atque ita Deus cum nullo eiusmodi accidentium venit in compositionem de facto.

Hæc propositio certissima est apud Theologos omnes, & Patres. Eam probant aliqui ijs testimonijs Conciliorum, & Patrum, quibus supra quest. 1. probata à nobis est simplicitas Dei; quasi ad Dei simplicitatem pertineat, ab accidentibus superadditis per receptionem, aut vnionem immunem esse. Hæc tamen probatio nequiquam videtur firma: quandoquidem simplicitas proprie usurpata dumtaxat excludit à Deo compositionem passiuam ex partibus ipsam componentibus, vt prænotauimus; non item receptionem, aut vnionem cum accidentibus suæ substantiæ superadditis; Conciliaque, & Patres in proprio sensu censendi sunt simplicitatem Dei usurpasse.

83 Aliter ergo propositio probanda est, Et primum ex testimonio Leonis 1. epist. 93. ad Turibium cap. 5. vbi eam censetur definisse, cum dixit. *Solus Deus nullius participationis est indigens. De quo quidquid digne vtrunque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit.*

84 Deinde probatur ex vniformi consensu Patrum à Deo omnia accidentia intrinseca remouentium. Quorum plures refert Ioannes Cyparissior. Decad. 9. cap. 8. ipseque concludit. *Ex quibus se manifestum, quod in Trinitate, que supra substantiam est, omne quod perse non est substantia, & perse non existit, eictum, & exclusum est. Si quid verò est in eâ, substantia est, & perse existens.* Insuper Cyrill. Alex. lib. 11. Thesaur. aliquanto post principium ait. *Accidens Deo vultum inesse potest. Perfecto enim ex se ipso nihil potest accedere.* Et paulo post. *Sapienter certe dicitur, nihil accedere substantiæ Dei. Quoniam in se ipsa perfecta est.* Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 4. *Nihil, inquit, accidens in Deo; quia nihil mutabile, aut amissibile.* Et lib. de cognit. veræ vit. cap. 3. circa medium. *Ratio astruit, nihil Deo accidentale, sed totum, quod predicatur de eo, ei esse essentiale.* Et questiuinc. 6. de Trinit. *Deus & omnipotens, & magnus, & bonus, & æternus, substantia nomina sunt.* Similiaque habet lib. 6. de Trinit. cap. 17. & lib. 7. cap. 5. & lib. 11. cap. 5. Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 14. post medium. *Nec enim potest illi quicquam inesse, præter id, quod substantialiter est: nec enim potest hoc esse subiectum nec ab aliquo accidente quemlibet motum, siue mutationem admittit.* Bernard. tract. de diligendo Deo prope finem. *Nemo tamen me aestimet charitatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens: alioqui in Deo dicerem, (quod absit), esse aliquid, quod Deus non est.* Similiterque sentiunt, atque loquuntur Athanas. apud Cyparissior. Decad. 10. cap. 1. Marius Victorin. lib. 1. contra Arium circa medium Origen. lib. 1. Periarc. cap. 1. Ambros. lib. 1. de fide Trinit. cap. 7. Maxim. centur. 4. de charit. cap. 8. Boet. lib. 1. & 2. de Trinit. Ansel. in Monol. cap. 14. Alcu. lib. 1. de Trinit. cap. 10. Et alij communiter.

85 Præterea probatur propositio. Quia Deus titulo summæ, omnimodisque infinitæ perfectionis, quam à suâ substantiâ indistinctam habet, neque indiget vllò accidente intrinseco sibi per

receptionem, aut vnionem, quo perficiatur, vt indigent substantiæ creatæ, neque paritur vllum accidens sibi similiter intrinsecum, quo deterioratur, vt substantiæ creatæ sæpe patiuntur. Ergo naturaliter saltem respicit omnia accidentia per receptionem, aut vnionem intrinseca sibi, vt potest quæ suoapte conceptu aut perficere, aut deteriorare ipsum necessariò deberent, prout apparebit ex dicendis. Deus igitur nullum accidens modo prædicto sibi intrinsecum habet, cum nulloque subinde venit in compositionem de facto, vt data propositio fert.

Quæ denique inde necessariò, manifestèque venit probanda. Quia omnino impossibile est, vt Deus adhuc de potentiâ suâ absolutâ per physicam receptionem in se recipiat, aut per physicam vnionem sibi vniat vllum accidens superadditum, vt ostendetur proposit. 2. Necessarium siquidem, & manifestum est, non dari de facto id, quod omnino est impossibile, atque adeo non dabile adhuc de potentiâ absolutâ Dei.

Propositio 6.

Impossibile omnino est, quòd Deus aliquod accidens recipiat intrinsecè in se, per receptionem physicam, aut illud sibi intrinsecè veniat per physicam vnionem; sicque in compositionem veniat cum ipso. Vnde neutrum horum duorum fieri potest adhuc de potentiâ Dei absolutâ.

Quòd Deus nullâ omnino potentiâ possit aliquod accidens in se recipere per receptionem physicam tanquam subiectum receptiuum, siue causa passiuæ eius, (receptio quippe physica, quæ & passio dicitur, causalitas est, qua causa passiuæ passiuè causat formam, vt modò ex Physicâ suppono), inde probatur; quia huiusmodi receptionis, siue passiuæ causalitatis genus essentialiter supponit in subiecto recipiente, siue patiente multas imperfectiones à Dei substantiâ prius alienas; proindeque non potest non esse Deo omnino impossibile. Primò enim passio, siue receptio supponit in subiecto patiente potentiam patienti, quæ perse præcisè considerata claram præferat imperfectionem, cum clarè videatur esse quid melius, non posse pati, quam posse pati. Secundò supponit in eodem subiecto incompletionem, ac veluti vacuitatem per formam recediendam complendam, ac veluti implendam, que incompletio siue vacuitas aperta etiam est imperfectio. Tertio, si forma recipienda in subiecto est ipsi consentanea, eo ipso nequit non esse mediâ receptione sui perfectiua eius; supponitque in illo proinde defectum perfectionis per se implendæ. Si verò sit ipsi dissentanea, eo ipso nequit non esse deterioratiua eius mediâ sui receptione; supponitque proinde in illo potentiam ad essendum deterius, seu minus bonum, quam antea erat; quæ potentia claram item dicit imperfectionem. Si denique forma nec consentanea, nec distantia subiecto, sed neutra sit, eo ipso recepta in illo erit quoddam illius onus proflus inutile, & consequenter suo modo deteriorans ipsum; supponetque subinde in ipso potentiam itidem imperfectam ad essendum deterius. Quarto supponit passio in subiecto patiente potentiam passiuam aperte oppositam prædicato actus puri iuxta dicta à nobis de hoc prædicato disp. 1.

q. 12. eoque titulo præcisè magnam dicentem imperfectionem. Quintò demum ipsum recipere, ipsumque pati ex conceptu suo indignum proculdubio est Deo; proindeque potentia, capacitas, & obnoxietas, quam supponit in subiecto recipiente, & patiente, indignam quoque Deo, & consequenter ab ipso alienam dicit imperfectionem. Cum igitur physica passio, seu receptio accidentis tot, tantasque imperfectiones essentialiter secum ferat, supponatve in subiecto suo, concluditur tandem, Deum, cui planè illæ omnes repugnant, nullà potentia posse esse subiectum physicè passuum, seu receptuum vllius accidentis; nullaque subinde potentia posse eum vllum accidens pati in se, seu recipere per vllam physicam passionem, seu receptionem.

88 Quòd autem nec per vnionem physicam possit Deus vllà potentia aliquod accidens sibi vnire, sicque cum illo venire in compositionem, inde probandum venit. Quia de conceptu essentiali accidentium intrinsecorum, de quibus agimus, est, quòd sint entia in alio: per id siquidem à substantijs, quibus contraponuntur, differunt, quæ sunt entia in se, seu per se. Cùmque non omnia accidentia sint entia in alio per receptionem passiuam, vt cernere est in actione creatiua, quæ à termino per eam producta, in quo est, passiuè causari non potest; eo quòd mutua causalitas etiam in diuerso genere secundùm idem esse physicam est impossibilis; consequens est, vt de conceptu accidentis intrinseci in vniuersum sit, esse in alio per vnionem; ad quod vtique requiritur, quòd vnio accidentis intrinseci cum subiecto, cuius est accidens, ita respectiue ad subiectum sit inhaesiva, vt medià illà accidens in se subiecto vt quædam forma eius, subiectum autem velut materia subsistat ipsi accidenti. Illud autem genus vnionis eadem ferme arguit imperfectiones in subiecto accidentis, quas arguit passio receptiua eius, vt illas recognoscens, & consideranti innotescet. Quo fit, vt substantia diuina, quæ ab omni omnino imperfectione penitus est immunis, nullatenus possit vllius accidentis intrinseci subiectum esse, non solum medià passione, seu receptione physica, sed ne medià quidem physica vnione. Deutque subinde nequaquam possit aliquod accidens intrinsecum physicè sibi vniri.

89 Quòd insuper confirmari potest. Quia, cùm accidentia intrinsecè superaddita, de quibus est sermo, suoque conceptu sint entis entia, essentialiter sunt haud dubie ordinata ad complendum aliquo modo siue in melius, siue in deterius incompletionem aliquam extremorum, quibus sunt vnibilia, scilicet medià ipsà vnione sui formaliter, atque adeò præcindendo etiam à suà in illis receptione. Ex quo sequitur, vt substantiæ Dei, cui, vt pote omnimodis completissimæ, eiusmodi complementum præbere nullatenus possunt, nullatenus vnibilia fiat, imò in vnibilia sint essentialiter. Atque ita Deus eorum aliquod nullatenus sibi possit vnire. Mitto rationes, quas pro statutà propositione ab alijs aliter formari solent: quia vt sint efficaces, in has omnino à nobis traditas, debent recidere.

90 Vtrum autem Deus aliquod saltem accidens metaphysicum hoc est per solam nostram rationem distinctum ab eius essentià, & ipsi intrinsecum possit absque vilo inconueniente subire, sub controuersia est. Negant Fasol. 1. p. q. 3. art. 6. dubit. vnic. Recapit. lib. 5. de Deo q. 18.

nu. 13. & Quiros tom. 1. in comm. dicti art. 3. dub. 3. Pro affirmatiua vero parte stant Arriag. 1. p. disp. 2. num. 73. & alij suppresso nomine relati à Fasol.

Propositio 3.

Dicendum est in Deo tot accidentia, 91 intrinseca metaphysica, quæ solum per nostram rationem sint talia, dari, quot sunt attributa eius intrinseca solum etiam per nostram rationem distincta tum inter se, tum ab essentià metaphysicà eius.

Probatum primò ex communi consensu Patrum vnanimiter, & vniuersaliter asserentium per nomina attributorum, quæ dicuntur de Deo non eius essentiam, sed ea quæ circa ipsam sunt, aut in ipsa inspiciuntur, significari; scilicet vt accidentia quædam ei superaddita: idque aut reipsa, extrinsecè tamen, vel semi extrinsecè iuxta dicta suppositione tertià; aut tantum per nostram rationem, vt sicque intrinsecè per adhesionem, siue inhaesionem. Legantur testimonia Patrum id vniuersaliter contestantia, quæ supra retulimus disp. 1. q. 10. proposit. 4.

Secundò probatur. Quia vt latè ostensum 92 est q. citatà ex vniuersaliore doctrinà traditã in Pharo Scient. disp. 9. q. 1. & 2. essentia metaphysica Dei in subiecto radicali omnium attributorum, siue prædicatorum eius consistit. Quorum multa per solam nostram rationem distinguuntur ab ipsà essentià, vt quidamque actus obiectiui eius seu primi, seu secundi intrinsecè ipsi inhaerentes, siue adherentes à nobis concipiuntur; & consequenter vt quædam accidentia eius intrinseca, quo iure accidentia eius metaphysica veniunt dicenda. Sicut à ipsa essentia metaphysica dicitur. Dicuntur autem hæc prædicata per solam nostram rationem superaddita essentiæ accidentia metaphysica eius, sumpto latè hoc vocabulo, prout comprehendit etiam passiones tum proprias, tum communes, quales sunt dicta prædicata comparatione essentia Dei, vt pote ipsi necessaria, iuxta diuisionem à nobis traditam in Pharo Scient. disp. 17. q. 7. prædicatorum accidentalium, siue accidentium prædicabilium in necessaria subiecto, quæ passiones eius dicuntur, & in contingentia subiecto, quæ ipsius accidentia appellantur, sumpto strictius hoc nomine. Itaque omnia attributa intrinseca Dei prout distincta ab extrinsecis, & semiextrinsecis iuxta diuisionem attributorum traditam supra disp. 2. q. 2. accidentia intrinseca metaphysica, siue rationis essentia metaphysicæ eius veniunt dicenda iure optimo.

Sed obijci potest pro Aduersarijs. Sicut 93 omnis formalitas Dei, etiam cum præcisione ab alijs considerata est formaliter ens à se, & non ens ab alio, ita quoque est formaliter ens per se, & non ens in alio. Ergo omnis formalitas Dei etiam cum præcisione ab alijs considerata est formaliter substantia, & non accidens. Id namque ipsum est, esse formaliter ens per se, & non ens in alio, vt constat. Et confirmari potest. Quia, cùm de conceptu accidentis sit esse entis ens, non potest non conceptus accidentis dicere imperfectionem, vt est notissimum. Sed nullà formalitas Dei, quantumuis ab alijs præcisà, dicere potest in suo conceptu imperfectionem. Ergo nullà formalitas Dei, quantumuis ab alijs præcisà, potest ex conceptu suo esse accidens vilo modo. En

equi-

æquiuocationem Aduerfiorum. Respondeo ad argumentum, omnem formalitatem diuinam etiam cum præcissione ab alijs, consideratam esse quidem formaliter ens perfe, & non in alio, perfectitate physica, & reali; atque ita formaliter ei conuenire rationem substantiæ physicae, seu realis; rationem verò accidentis physici, seu realis nequaquam. Cum hoc tamen stare, quòd si conueniat extra omne inconueniens ratio accidentis metaphysici, seu rationis; quam dumtaxat nos ei tribuimus. Vnde ad confirmationem patet, in nulla formalitate Dei etiam eam præcissione ab alijs consideratâ reperiri eam imperfectiorem reuerâ, quam secum fert conceptus accidentis realis. Quòd autem ex solo modo concipiendi nostro ei appingatur ea imperfectio, non vera & realis, sed seposititia, & rationis; quam secum fert conceptus accidentis seposititijs pariter, & rationis, nihil prorsus interest. Sicut neque quòd ei appingatur imperfectio rationis, quam etiam distinctio rationis ex suo conceptu secum fert. Huiusmodi enim imperfectio non vera, sed tantùm apprehensa neutiquam Deo nocere possunt verè, vt est notum. Per quæ ad cætera, si quæ opponantur contra nostram propositionem, facillimum erit respondere vnicuique.

94 Rogabit hîc aliquis. An quemadmodum absque vilo inconueniente à multis Theologis admittitur in Deo distinctio virtualis, siue æquiualens inter formalitates identificatas realiter, prout à nobis ostentum est in Pharo Scient. disp. 13. q. 6. possint pariter absque vilo inconueniente admitti in Deo aliqua accidentia virtualia, seu æquiualentia ipsi Deo intrinseca, consistentiaque in aliquibus formalitatibus identificatis cum Deo realiter, atque ita virtualiter distinctis ab essentia Dei, vt ei virtualiter accidant, virtualiaque subinde sint accidentia eius. Censeo cum doctis Recentioribus posse. Quia tales sunt haud dubie censendi actus intellectus, atque voluntatis diuinæ; præsertim ij, quibus liberè, seu contingenter Deus cognoscit, & amat creaturas; qui, cum realiter sint identificati quoad entitatem cum essentia Dei, ita sunt ab illâ distincti virtualiter, vt virtualiter etiam, seu æquiuolenter producantur ab intellectu, atque à voluntate diuinâ in ordine ad denominandum Deum intelligentem, & volentem. Virtualiterque subinde censendi sint accidentia diuinæ intrinseca virtualia, seu æquiualentia dicenda veniunt, iuxta doctrinam latius tradendam de huiusmodi actibus inferius in tract. de Scient. & Volunt. Dei.

QVÆSTIO VIII.

Verum Deus cum alia ente substantiali possit in compositionem venire.

95 Circa materiam huius questionis primus error fuit cuiusdam Davidis de Dinando, vt refert S. Th. 1. p. q. 3. art. 8. in corp. stultissimè asserentis, Deum esse materiam primam formis omnibus oneratam. Quem latè confutat Pereira lib. 5. Phys. cap. 12. Secundus error fuit Thaletis apud Tullium lib. 1. de natur. Deor. Democriti apud Eusebium lib. 14. de præparat. euang. cap. 6. Varronis apud August. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 31.

& aliorum dicentium, Deum esse animam Mundi. Quos sequuti sunt Gnostici apud August. hæres. 6. Accinitque Virgil. lib. 6. Æneid. dum ait, Principio celum, & terras, &c. Spiritus intus alit, &c. Tertius error fuit Abailardi, teste Bernard. epist. 190. aliquanto ante medium, asserentis, Spiritum sanctum esse animam Mundi. Ad quem errorem videntur respexisse Priscilianisti, cum dixerunt apud Leon. Pap. epist. 93. ad Tiburinum cap. 3. Animam hominis diuinæ esse substantiæ, &c. Quartus error fuit Almarici, & sequacium apud Turrecrem. lib. 4. Sum. part. 2. cap. 35. dicentium, Deum esse principium formale, seu formam omnium rerum. Quod est condemnatum in Concilio generali Lateran. sub Innocent. 3. prout habetur in cap. Damnamus de Sum. Trinit. & fide Cath. sine sic. Reprobamus etiam, & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici; cuius mentem sic patet mendacij excecavit, vt eius doctrina non tantùm hæretica censenda sit, quam insana. Quintus denique error fuit Arianorum, quatenus dixerunt, teste Epiphani. hæres. 69. & August. hæres. 49. Verbum diuinum fuisse corpori Christi Domini loco animæ. A quo errore non longè videtur abuisse Ripa, cum dixit, vt refert Capreol. in 3. dist. 5. q. 2. art. 2. initio. Quòd diuina essentia potest esse realiter forma creatura intrinseca. Et in tertio argumento. Quòd de facto diuina essentia est vnica anime Christi, & carni, & humanitati, & toti comunitatis esse vt forma intrinseca. Itaque in eo omnes errores isti conspirant, quòd Deus substantia quadam sit incompleta simul cum alia componens aliquod totum vel tanquam pars materialis, vel tanquam pars formalis eius; quo pacto materia hominis simul cum anima, aut anima simul cum materia componunt hominem.

Verissima tamen, ac prorsus certa sententia omnium Theologorum, & Patrum est, Deum substantiam esse completissimam per se subsistentem, atque adeò nullatenus componentem, aut suâ naturâ ordinatam ad componendum simul cum aliâ quauis substantiâ aliquam tertiam, aut tanquam materiam, aut tanquam formam eius, aut tanquam alio quoquo modo partem incompletam ipsius. Quo posito.

97 Quòd inter Theologos in controuersiam vocatur, est, an Deus, non obstante, quòd sit in se substantia omnimodis completissima, in compositionem nihilominus cum aliquâ aliâ substantiâ aut incompleta ex se, aut completa possit venire; ita, vt ex ambabus substantijs mediâ vnione physica vnitis resultet tertium aliquod totum compositum physice.

In qua controuersia vt certum est etiam supponendum ex ijs, quæ latius tradunt Theologi in tract. de Incarnat. personalitatem Verbi diuini realiter identificatam cum substantiâ diuinâ immediatè fuisse vnitam de facto humanitati Christi Domini physica vnione; atque ita ex humanitate, & Verbo vnâ personam Christi Domini resultasse cum duabus naturis, diuinâ, & humanâ, cum vnicaque substantiâ, siue personalitate Verbi terminante, siue suppositante vnâque naturam; diuinam quidem per identitatem, humanam verbò per vnionem; mediâ qua vnione subsistentia Verbi in naturâ humanâ fuit subrogata pro huius subsistentiâ propriâ, vt ex duabus naturis, diuinâ, & humanâ, & ex vnica subsistentiâ, siue personalitate diuinâ vnica persona diuina resultaret, nimirum Christus Dominus, qui simul esset Deus, & homo, vti reuerâ est. Et quanquam aliqui Theologi

logi recusauerint, Christum appellare compositum ex diëis duabus naturis, & vnica personalitate; quasi solum dicatur compositum id, cuius omnes partes sunt incompletæ, qualis in Christo non est Verbum, nec diuina natura. Iam tamen omnes communiter censent, Christum compositum dici posse: quia tale dicitur vniuersè, quidquid ex pluribus physicè inter se vnitis, aut etiam aliter coadunatis coalescit; siue omnia ea plura, aut eorum aliqua perse seorsim considerata entia completa, siue entia incompleta sint. De quo videri possunt Vazq. Soar. Lugo, Bernal. Aldrete locis à nobis citatis supra quæst. 7. & alij præsertim Recentiores in tract. de Incarnat. Itaque ex mysterio Incarnationis constat, esse possibile, quòd diuinum suppositum in compositionem veniat cum naturâ substantiali creatâ mediâ vnione hypostaticâ factâ immediatè inter subsistentiam diuinam, & ipsam naturam creatam, ita, vt hæc terminata, subsistentique, atque ad eò completa in ratione subsistentis euadat per ipsam subsistentiam diuinam subrogatam in locum propriæ.

99 Difficultas igitur est, an natura diuina prout præcisa à tribus personalitatibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti possit cum aliqua substantiâ creatâ immediatè, & physicè vniri ad componendum aliquod quoddam tertium. Et quidem, non posse eam vt sic vniri cum supposito creato, siue cum subsistentiâ creatâ, vt per hanc reddatur subsistens ad eum modum, quo vice versâ natura humana Christi Domini subsistens redditur per subsistentiam Verbi, tanquam certum etiam est supponendum ex concordia Theologorum sententiâ. Tum quia de conceptu subsistentiæ est complere in ratione subsistentis eam naturam, quam terminat, seu quam reddit subsistentem; & natura diuina nullatenus complebilis est per quidpiam creatum; eo quòd ob suam omnimodam infinitudinem nequit habere incompletiõnem per creaturam complebilẽ. Tum quia eadem natura simul per propriam, & per alienam subsistentiam terminari non potest, vt probabilior sententia fert; cumque natura diuina necessariò sit terminata per tres subsistentias sibi proprias, Patris scilicet, & Filij, & Spiritus sancti, per alienam subsistentiam creatam terminari non valet. Quo posito, difficultas est, an natura diuina prout præcisa à tribus personalitatibus cum aliqua naturâ substantiali creatâ secundum se considerata cum præcisione etiam à subsistentiâ eius possit vniri ad componendum aliquod quoddam tertium.

100 Circa quam difficultatem Theologi, qui ponunt in Deo subsistentiam absolutam toti Trinitati communem, & aliquo modo præuiam ad subsistentias relatiuas trium personarum, communiter censent, posse Deum mediâ tali subsistentiâ absolutâ assumere sibi naturam substantialem creatam, vniedo illam immediatè ipsi subsistentiæ, vt per eam loco subsistentiæ propriæ subrogatam subsistat, sicuti humanitas Christi Domini per subsistentiam relatiuam Verbi subsistit; tamen ex dictâ subsistentiâ absolutâ, & naturâ assumptâ non resultat suppositum, aut persona, vt resultat ex subsistentiâ relatiuâ Verbi, & Christi humanitate; eo quòd dicta subsistentia absolutam, vt potest communicabilis tribus diuinis personis, etsi valeat constituere subsistens, non valet tamen constituere suppositum, vt potest quod alteri incommunicabile necessariò esse debet, & consequenter nec personam, quæ rationalis nature suppositum est. Quam doctrinam tenent etiam alij Theologi

negantes Deo subsistentiam absolutam prædictam ex hypothesi, quòd illa detur. Sic Valent. de Incarnat. q. 3. punc. 5. Soar. tom. de Incarnat. disp. 13. sect. 1. Ragula disp. 50. Bernal. disp. 24. sect. 1. Martin. Perez disp. 10. sect. 4. Auerta q. 3. sect. 2. Cappullus q. 3. art. 3. Prudent. tract. 3. disp. 2. dub. 1. sect. 2. & 3. cum Ricardo, Scoto, Durando, Ocham, Gabriel. Almai. Caiet. Medin. Vvigers, & alij. Existimat autem Prudent. contra Martin. Perez, & alios, prædictam doctrinam procedere, etiam si subsistentia Dei absoluta non supponatur distincta virtualiter à naturâ diuinâ, sed prorsus sit idem conceptus obiectiuus, siue eadem formalitas, cum illâ. Addit ipse Prudent. dub. 2. sect. 1. & 2. ex hypothesi, quòd spiratio actiua dicat subsistentiam relatiuam, vt aliqui putant, aut peculiarem absolutam iuxta doctrinam aliorum, qui singulis Dei formalitatibus singulas subsistentias adiungunt, posse Deum pariter mediâ eiusmodi subsistentiâ assumere, & sibi vnire naturam creatam.

Iam verò, quòd natura diuina perse sumpta cum præcisione ab omni subsistentiâ tam absolutâ, quam relatiuâ nullæ naturæ substantiali creatæ possit immediatè, & physicè vniri ad componendum aliquod tertium, aut ad tribuendum ipsi naturæ create aliquem effectum formalem, seu quasi formalem, aliquam ve denominationem, communis Theologorum sententia est: vt apud Auctores citatos, & alios tractantes tum de Incarnatione Verbi, tum de diuinâ simplicitate videri potest. Non desunt tamen aliqui præsertim Recentiores, qui opinantur oppositum. In quibus sunt Amic. disp. 14. de Incarnat. sect. 5. Bernal. disp. 24. sect. 1. §. 3. & alij.

Propositio I.

102 Certum est secundum fidem, & secundum rationem, Deum substantiam completissimam esse; atque ita neutiquam posse cum tanquam partem incompletam aut materialem, aut formalem, aut alterius rationis cum aliqua substantiâ creatâ in compositionem venire.

Dico esse certum secundum fidem; quia, licet id nullibi expressè videatur definitum, (quòd circa fortasse Concilium Lateranense citatum n. 95. doctrinam Almarici ponentem Deum formam rerum non tam hæreticam, quam insanam dixit esse censendam); infertur tamen euidenter ex alijs articulis definitis in initium ex eo, quòd Deus sit vnicum ens à se, omnimodis infinitum, summè bonum, summè perfectum; nullo bono creato indigens, summè beatum per essentiam, summè necessarium in essendo, & summè liberum in causando; ac demum primum simpliciter in omni perfectionis genere; necnon æternum, & immensum.

103 Primum enim ex eo, quòd Deus sit vnicum ens à se, euidenter infertur non posse cum aliquam incompletiõnem, siue vacuitatem habere per aliud quodpiam ens complendam; quia tota essentia, totaque perfectio huius ab illo necessariò esset oriunda, in illoque proinde necessariò esset præcontenta aut formaliter, aut eminenter; & consequenter ille eâ necessariò esset plenus; aliundeque eadẽ, vt ponitur, esset vacuus. Quod implicat contradictionem, vt patet.

104 Deinde ex eo, quod Deus est ens omnimodis infinitum, euidenter inferitur, nullatenus eum ens incompletum esse posse: quia, quo latere illud per aliud quodpiam esset complebile, non posset non ens limitatum, atque finitum esse; quandoquidem omne infinitum à latere, à quo est infinitum, omnino est incapax accrementi, ut & ex se patet, & ex dicendis disp. 13. magis conspicuum fiet.

105 Præterea ex eo, quod Deus est ens summè bonum, atque perfectum, euidenter apparet, nullam omnino perfectionem illi desse; atque ita perfectionem, quam in se habet, prorsus esse plenissimam; & consequenter per nullam omnino perfectionem extrinsecus sibi aduentitiam esse complebilem. Id quod etiam manifestè colligitur ex eo, quod Deus nullo bono creato sit indigens; atque etiam ex eo, quod summè beatus sit per essentiam. Si enim esset ens incompletum, & esset indigens complemento; & summè beatus per essentiam indigam tali complemento esse non posset.

106 Ex eo autem, quod Deus est ens summè necessarium in essendo, cum summà necessitate debet secum habere omne complementum sui esse. Et ex eo, quod est summè liberum in causando, omne ens præter ipsum ab ipso oriundum contingens, & ipsi defectibile debet esse. Quæ duo manifestè pugnant cum eo, quod Deus in suo esse sit ens incompletum; per aliudque ens à se distinctum, à seque subiinde oriundum complebile.

107 Denique ex eo, quod Deus est ens primum simpliciter in omni perfectionis genere, aliud ens perfectius ipso esse non potest, ut constat. Esset autem illo perfectius id, quod ex ipso, & ex complemento sui resisteret; si in se incompletum, & per aliud à se distinctum complebile esset. Vnde neque posset esse primum, uti debet, in ratione principij: quia non valeret dare esse illi tertio se perfectiori; siquidem nullum ens dare potest, quod non habet in se. Denique neque esset primum, prout debet, in ratione finis: quia ad aliud quidpiam tanquam ad finem esset inapte essentia ordinatum, scilicet ad illud tertium, cuius pars incompleta, per aliamque complebilis esset. Postremo incompletio substantiæ Dei cum eius æternitate, & immensitate nequaquam coheret. Nam vel manifestè incompleta per infinita tempora præterita in infinitis locis; quod planè repugnat. Vel secum complementum creatum habuisset ab æterno in omnique spatio locali. Quod saltem de facto non cœnise, certissimum est iuxta fidem, ut unicuique est notum.

108 Per quæ propositio statuta satis, superque manet quoad utramque partem probata. Si quidem pleraque principia supposita, ex quibus euidenter inferitur, ut vidimus, Deum esse substantiam completissimam, non solum certa secundum fidem, prout à nobis suis in locis ostenditur; sed etiam aperta, & perspicua sunt secundum naturalem rationem, prout etiam à nobis suis in locis est demonstratum.

Propositio 2.

109 Quod possit diuinum suppositum cum naturâ substantiali creatâ in compositionem venire mediâ vnione hypostatica, qua vnitur naturâ ipsâ immediate personalitati diuinæ, certum secundum fidem est.

Constat enim ex fide, de facto naturam humanam Christi Domini mediâ vnione hypostaticâ fuisse vnitam immediatè personalitati Verbi diuini. Atque ita secundum suppositum, siue secunda persona sanctissimæ Trinitatis in compositionem ipsius Christi cum tali humanitate mediâ tali vnione venisse. Vnde manifestè colligitur, pariter posse primam personam Patris, atque etiam tertiam Spiritus sancti cum aliquâ naturâ substantiali creatâ in hypostaticam venire compositionem. Et quoniam fide etiam sanctum est, corpus exanime Christi Domini in triduo post mortem mansisse vnium hypostaticè Verbo Dei. Hinc rursus manifestè colligitur, huiusmodi diuinas vniones non solum cum substantijs rationalibus, sed etiam cum irrationalibus peragi posse; subrogatis videlicet medijs illis loco substantiarum propriarum, quarum tales substantiæ habitura erant, ipsis diuinis substantijs diuinorum suppositorum, seu personarum Trinitatis. De quibus omnibus plura traduntur à Theologis in tract. de Incarnat. vbi videnda.

Propositio 3.

Ex hypothesi, quod detur in Deo substantia absoluta toti Trinitati communis, per quam natura diuina reddatur subsistens antequàm per tres relativas, uti multorum Theologorum sententia fert, possibile est, Deum mediâ tali substantiâ in compositionem cuiusdam tertij substantientis venire cum aliquâ substantiâ creatâ.

Ratiò est in promptu. Quia, quemadmodum per substantiam Dei relativam absque vilo inconmodo potest substantia creata terminari, compleri que in ratione subsistentis mediâ physica vnione, qua ipsa substantia Dei relativæ physice, & immediatè vnitur substantiæ creatæ orbatæ substantiâ propriâ, ut loco illius succedat diuina. Ita per substantiam Dei absolutam (si in illo datur) tantumdem pariter absque vilo inconmodo potest citra dubium præstari cum substantiâ creatâ. Quandoquidem substantia absoluta non minus, quàm relativæ, participat conceptum proprium subsistentiæ, ut supponitur. Nec minus, quàm ipsa, infinita est, ut est notum. De quo etiam plura traduntur in tract. de Incarnatione, vbi videri possunt.

Ex hac autem propositione inferitur, tantumdem, quod ad rem attinet, venire censendum de substantiâ aut relativâ, aut absolutâ propriâ principij spiritali, atque ad eò communi Patri, & Filio, non item Spiritui sancto ex hypothesi, quod talis substantia detur item in Deo, ut multi etiam opinantur. De quo in tract. de Trinitate.

Vnum hæc obiter, & breuiter aduerto contra Prudentium vbi supra. Ad hoc, ut substantia Dei absoluta (si datur) vnibilis sit immediatè substantiæ creatæ, quin huic vnatur immediatè naturâ diuinâ, cum qua realiter est idem, necessarium omnino esse, quod inter talem substantiam, & naturam diuinam detur distinctio virtualis. Nam alioquin de subiecto tam virtualiter, quàm formaliter eodem possent prædicata contradictoria simul verificari, ut sunt vniri, & non vniri immediatè, aut posse, & non posse vniri immediatè. Quod manifestè est impossibile, ut constat ex generali doctrina.

na de distinctione virtuali tradita à nobis in Pharo scient. disp. 13. quæst. 6. Quæ ad rem videri poterit, & applicari. Pariterque est, quod ad rem attinet, philosophandum de substantia principij spiritali (si datur) communi Patri, & Filio.

Propositio 4. *Nullus est*

119 Natura diuina perse præcisa ab omni substantiâ nullatenus vniri potest physicè alicui naturæ substantiali creatæ, completæque in ratione naturæ ad componendum aliquod quodpiam tertium.

Hæc propositio primò probatur ex Concilijs, & Patribus non solum definitibus contra Eutychem, vnionem Verbi diuini cum humanitate Christi de facto non in naturâ, sed in hypostasi factam esse; ideoque in Christo post vnionem duas integras naturas permansisse, non vnâ ex duabus resultantem. Sed etiam communiter asserentibus, aut supponentibus, eiusmodi vnionem in naturis, siue naturas diuinam, & humanam per se immediate copulantem impossibilem esse. Videantur testimonia Conciliorum, & Patrum apud Soar. disp. 7. de Incarnat. & apud Vaz. disp. 14.

114 Respondet Bernal vbi supra, vnionem naturæ diuinæ cum humanâ, quam Concilia, & Patres reputant impossibilem, eam dumtaxat esse, per quam ex dictis duabus naturis vna natura resultaret; non item eam, per quam ex duabus naturis vna non fieret, qualem ipse adstruit possibilem. Sed contra primò. Quia Concilia, & Patres absolutè, atque adeò absque limitatione dicta reputant, supponunt vè impossibilem vnionem immediatè necentem naturam diuinam, & creatam; vt locis citatis videri potest. Contra secundò. Quia eo ipso, quod per vnionem physicam natura diuina, & creata immediatè vnentur, vt non possent non resultare ex illis vnâ compositum, atque adeò vna substantia ex duabus composita; ita non possent non resultare vna essentia, atque adeò & vna natura composita ex duabus. Quemadmodum ex duabus substantijs, essentijs, siue naturis corporis, & animæ physicè vnitis resultat vna substantia composita, vna essentia, siue vna natura hominis; & ex duabus substantijs, siue naturis duarum partium aque physicè vnitis resultat vna substantia, siue natura vnus æquæ totalis. Quod enim partes physicè vnite seorsim consideratæ sint substantiæ completæ, aut sint incompletæ, nihil profectò interest ad rem; nam, quantumuis completæ sint, si semel ponantur physicè vniri, vt nequit non resultare ex illis vnâ compositum substantiale; (ex duabus quippe partibus plura, quàm vnâ compositum resultare, impossibile est, vt constat); ita non potest non resultare vna substantia, & vna essentia, atque adeò & vna natura composita. Id quod euidenter apparet ex eo, quod totum ex duabus quibusuis partibus compositum, prout est distinctum ab ipsijs partibus distributiue sumptis, nequit non habere essentiam aliquam, vt est notissimum. Sed talis essentia non est multiplex: quia omnis multitudo, siue pluralitas essentiarum reperta in tali toto nullatenus est distincta à partibus distributiue sumptis, à quibus vt sic ipsum totum distinctum est. Igitur talis essentia est prorsus vna. Igitur totum ex quibusuis omnino duabus partibus compositum, vnâ essentiam,

atque adeò & vnâ naturam habere ex ipsis partibus compositam, dicendum est. Essentia siquidem, & natura prorsus sunt idem, quod ad rem attinet. Concluditur ergo, etiamsi Concilia, & Patres tantum negent possibilem vnionem immediatam naturæ diuinæ, & creatæ, per quam ex duabus resultet vna natura, absolutè censendum esse, omnem immediatam talium naturarum vnionem negari possibilem ab ipsis; quandoquidem nulla est excogitabilis, per quam ex talibus duabus naturis non resultaret vna natura.

115 Secundò probatur propositio. Quia, quæ ratione duæ naturæ substantiales completæ in se sunt, eâ ratione inuicibilis interse censendæ sunt. Vnio enim physica extremorum eò videtur ordinari suapte essentiâ, vt alterum per alterum compleatur aliquo modo. Atque adeò, vt duo extrema physicè sint interse inuicibilia, alterum saltem eorum supponi debet incompletum, & complebile per residuum. Et quidem esse possibile multa extrema, quorum alterum non sit alteri physicè inuicibile; sicut possibile sunt multa, quorum alterum non sit physicè productiuum, aut physicè receptiuum alterius; videtur certum: siquidem in eiusmodi extremis nulla cernitur contradictio. Si quæ autem sunt talia, ea maxime, quæ in suo genere completa sunt physicè. Cum igitur natura diuina, & natura substantialis creata completa in ratione naturæ extrema sint completa in suo genere, vt sic vtique censenda sunt physicè inuicibilia interse; atque ita nec de potentia Dei absolutâ censenda sunt posse physicè vniri. Quod si suppositum diuinum, quantumuis completum in se, naturæ substantiali creatæ etiam completæ in ratione naturæ, orbatæ tamen substantiâ propriâ, inuicibile physicè est; vt de facto fuit vnium suppositum Verbi cum naturâ humanâ Christi Domini. Id sanè propterea est; quia natura substantialis creata orbatæ propriâ substantiâ, quantumuis completa sit in ratione naturæ, incompleta tamen manet in ratione substantis, atque adeò complebilis per vnionem cum substantiâ alienâ. Quo iure cum substantiâ diuinâ inuicibilis est.

116 Dices. Natura diuina vnita immediatè naturæ creatæ rationali sanctificaret illam, vt modò vnita mediâ personalitate Verbi humanitati Christi Domini illam sanctificat, prout certa, & communis Theologorum sententia fert. Ergo natura creata rationalis complebilis est in ratione sanctæ per naturam diuinam sibi physicè vnitam, aut etiam in ratione honorabilis, in alijsque huiusmodi denominationibus, quas à naturâ diuinâ sic sibi vnita participaret, æquè, ac complebilis est in ratione substantis per aliquam substantiam diuinam. Ergo natura diuina immediatè inuicibilis est naturæ rationali creatæ in ordine ad complendam illam in ratione sanctæ, aut honorabilis, aut adorabilis, &c. æquè, ac substantia diuina eidem naturæ creatæ est inuicibilis immediatè in ordine ad complendam illam in ratione substantis; vt de facto vnita fuit humanitati Christi. Respondeo, naturam substantialem creatam completam in ratione naturæ dumtaxat esse complebilem intra lineam substantiæ per substantiam tanquam per vltimum terminum substantialem sui. Cætera verò complementa intrinseca, quæ ad maiorem sui complementum, & ornamentum subire potest, ad lineam accidentium spectare; formasque proinde accidentales talis substantiæ esse. Et quoniam Deus citra omnem

imperfectionem benè supplere potest munus termini substantialis creaturæ per id, quod etiam est terminus substantialis sui, scilicet munus subsistentiæ creaturæ per subsistentiam propriam: secus verò munus formæ accidentalis creaturæ per id, quod nullà ratione est accidens sui; scilicet munus sanctitatis accidentalis, aut aliorum accidentium creaturæ per propriam naturam. Idcirco, licet Deus possit per subsistentiam propriam naturæ rationali creaturæ immediatè vnitam in ratione subsistentis illam complere; neutiquam tamen potest per propriam naturam eidem immediatè vnitam complere illam in ratione sanctæ, aut honorabilis, aut adorabilis, &c. Cum quo fiat, naturam diuinam in Christo Domino eius naturam humanam sanctificare; quia id non præstat per modum accidentis ipsi immediatè vnitam, ipsamque vt sic completis in ratione sanctæ; (hoc namque per gratiam habitualement præstatur); sed per modum substantiæ siue naturæ communicantis cum illà in eodem supposito. De quo plura in tract. de Incarnat.

Propositio 5.

147 Natura diuina perse præcisâ ab omni subsistentiâ nullatenus vniri potest physicè alicui naturæ substantiali creaturæ, incompletæque in ratione naturæ ad componendum aliquod quoddam tertium.

Ratio est. Quia omnis substantia incompleta in ratione naturæ eo ipso est tantum completibilis per aliam substantiam incompletam etiam in ratione naturæ. (Eamque aut eiusdem speciei, quo casu ex ambabus tanquam ex partibus integralibus totum aliquod integrale componibile erit; aut diuersæ speciei, quo casu ex ambabus tanquam ex partibus essentialibus erit componibile aliquod totum essentialis iuxta doctrinam vniuersalem de huiusmodi totis, & partibus traditam supra disp. 10. quæst. 2. diuis. 4.) Et consequenter omnis substantia incompleta in ratione naturæ eo ipso est tantum vnibilis physicè, & immediatè alteri substantiæ etiam incompletæ in ratione naturæ; substantiæ verò completæ neutiquam. Nam, si substantia incompleta in ratione naturæ substantiæ completæ esset vnibilis physicè, & immediatè, & esset illa substantia, vt ponitur, & non esset substantia, sed accidens substantiæ completæ. Quod est chymericum. Cum enim omnis substantia completa in ratione naturæ dumtaxat vnibilis sit physicè, & immediatè intra lineam substantiæ cum subsistentiâ tanquam cum suo vltimo termino substantiali; nec possint non ad lineam accidentium eius spectare cetera omnia, si quæ sunt, cum quibus illa physicè, & immediatè vnibilis est, iuxta doctrinam paulò ante indicatam; planè conficitur, si substantia aliqua completa in ratione naturæ cum aliâ quauis substantiâ aliter, quàm cum subsistentiâ, physicè, & immediatè esset vnibilis, fore vtique, vt hæc & esset substantia, vt supponitur, & non esset substantia, sed accidens. Quod implicat contradictionem. Vnde tandem concluditur, substantiam diuinam prout ab omni subsistentiâ præcisam, qualiter in ratione naturæ completissima est, neque vlli alteri substantiæ incompletæ in ratione naturæ vnibilem esse physicè, & immediatè, vt præsens propositio fert; neque vlli alteri completæ, vt

fert propositio præcedens. Ex quo patet, per hoc argumentum ambas propositiones istas probari. Cetera autem argumenta, quibus vtuntur nonnulli ad eas probandas, consultò prætermittuntur, eo quòd inefficacia mihi videntur, nisi ad proposita reducuntur. Ex quorum etiam doctrinâ, si quæ in oppositum obijciantur, facillè quisque diluet.

QVÆSTIO IX.

Verum summa simplicitas sit propria Dei.

PRO intelligentiâ, atque resolutione quæstionis 111 suppono primò, à multis Theologis, & Patribus dici, Deum summè simplicem esse, aut summam simplicitatem habere. Arbitror tamen, non loqui eos præcisè, & formaliter de simplicitate strictè sumptâ pro conceptu excludente ab ente simplici omnem, & solam passiuam compositionem iuxta dicta q. 1. & 7. Quia penes huiusmodi simplicitatem præcisè Deus, loquendo strictè, & formaliter, summè simplex dici non potest. Nam id, loquendo strictè, & formaliter, sonat, habere Deum simplicitatem maximam omnium; & in isto simplicitatis genere nulla maxima omnium est; quia nulla est maior qualibet aliâ, ædem reliquis omnibus. Simplicitas enim ista, cum sit exclusio omnis passiuæ compositionis, ex genere eorum conceptuum est, qui non suscipiunt magis, & minus; nullaque proinde maior aliâ esse potest; quia quæuis excludit omnes eiusmodi compositiones, & nulla potest excludere plures, quàm omnes. Vnde Deus ab illâ non est magis simplex, quàm quodlibet aliud ens simplex, & consequenter neque omnium summè simplex, strictè, & formaliter loquendo. Sicut Deus, loquendo pariter, non est magis ens, quàm quoduis aliud ens; nec magis existens, quàm quoduis aliud existens; nec eius essentia est magis essentia, quàm quæuis alia essentia; eo quòd nisi etiam conceptus sumpti formaliter non suscipiunt magis, & minus, neque vllam quantitatem adhuc metaphysicam habeat. Aliter tamen duobus modis venit Deus dicendus summè simplex. Primò, loquendo materialiter, vt sensus sit, Deum habere simplicitatem cum summâ perfectione (perfectio quippe ex prædicatis est, quæ suscipiunt magis, & minus). Quo sensu dicitur etiam Deus summus, & summum existens, eiusque essentia summa essentia. Secundo, accipiendo simplicitatem latè pro conceptu excludente non solum omnem, sed quamlibet compositionem; eamque non solum passiuam, sed etiam actiuam iuxta dicta quæst. 7. Quo sensu eo simplicius dicitur ens, quò pauciores subit compositiones. Et Deus dicitur summè simplex; quia nullam subit. Igitur Theologi, & Patres commemorati in alterutro horum sensuum censendi sunt loqui, cum dicunt, Deum summè simplicem esse, aut summam simplicitatem habere.

Suppono secundò, communem Scholasticorum, aut etiam Patrum sententiam esse, quòd summa simplicitas ita est Dei propria, vt nulli possit creaturæ communicari. Ita enim ex Scholasticis docent Albert. 1. p. trad. 4. q. 20. mem. 2. & 4. & in 1. dist. 8. art. 24. Aureol. ibid. art. 3. S. Th. ibid. q. 4. art. 1. & q. 5. art. 1. Soar. disp. 33. Me.

Metaph. sect. 1. Gillius lib. 2. de Deo, tract. 4. cap. 15. Recupit. testans de communi lib. 5. q. 20. & alij. Ex Patribus autem August. lib. 11. de Civit. cap. 10. inquit, *Est solum bonum simplex, quod est Deus, & ob hoc solum incommutabile est. Ab hoc bono creata sunt alia bona; sed non simplicia; & ob hoc mutabilia.* Et lib. 6. de Trinit. cap. 6. ex instituto probat, solum Deum esse simplicem. Bernard. Serm. 80. in cant. ait, *Sola summa, & increata natura hanc sibi vendicat meram, singularemque sua essentia simplicitatem, ut non aliud, & aliud inueniatur in ea, Fauftus Regiens. epist. ad Paul. De sola, inquit, diuinitatis substantia simplicitatem dicere conuenit. Beda in Sent. appellat Deum solum simplex. Et ante hos Philo. lib. 3. allegat, ait, *Deus solus est, & unum non concretum, natura simplex. Vnus vero quisque nostrum; & alia quacunque facta sunt multa.* Similiaque habent alij.*

Cæterum plerique Scholasticorum, aut etiam Patrum, ut ex eorum scriptis apparet, cum dicunt, summam simplicitatem ipsi esse Dei propriam, ut nulli creature communicari, latissime, aut etiam æquiuocè vsurpant nomen simplicitatis, scilicet prout comprehendit immunitatem ab omni compositione passiuâ, quæ sola strictè loquendo simplicitas dicitur, & immunitatem à compositione actiuâ, aut à receptione cuiusvis formæ, quam nos incomplebitatem, per aliud quidpiam nuncupamus; estque attributum in Deo diuersum ab attributo simplicitatis strictæ. Illudque duplex, prout supra q. 7. nu. 78. dicebamus igitur de singulis hisce attributis sigillatim dicendum est, an ita sint propria Dei, ut nulli possint creaturæ communicari.

Propositio 1.

Simplicitas strictè sumpta, qua ratione conuenit Deo, ita ipsius propria est, ut nulli creaturæ possit communicari.

Est clarum. Tum quia Deo conuenit per essentiam, utpote, qui totum suum esse cum omnibus suis intrinsecis, & necessarijs perfectionibus habet à se. Creaturæ autem ut summum potest conuenire per participationem, utpote, quæ non potest non habere totum suum esse, totamque suam perfectionem ab alio, scilicet ab ipso Deo. Tum quia conuenit Deo cum infinitudine perfectionis ab omni creaturâ prorsus alienâ, utpote, qui in sua indiuisibili, ac simplicissima entitate, aut formaliter, aut eminenter continet omnem omnino excogitabilem perfectionem ab omni penitus imperfectione depuratam. Quod longè abest ab omni creaturâ, ut est notissimum.

Propositio 2.

Simplicitas strictè sumpta pro immunitate ab omni omnino compositione passiuâ multis creaturis, non solum possibilibus, sed etiam existentibus conuenit. Atque ita perse præcisè considerata conceptus obiectiuus est Deo, & multis creaturis communis.

Constat id in Angelis, & animabus rationalibus existentibus, in alijsque huiusmodi substantijs possibilibus citra dubium; de quibus certissimum est, ut traditur in tract. de Angelis, &

de Animâ, indiuisibiles prorsus, strictèque simplices esse, atque adeò ab omni compositione passiuâ ex partibus omnino immunes. Constat id etiam in punctis quorumuis entium corporeorum, quæ penitus indiuisibilia, strictèque simplicia sunt, uti fatentur omnes. Constat id denique in pluribus alijs entibus non solum spiritualibus, sed etiam corporeis omni compositione passiuâ expertibus, atque adeò strictè simplicibus, quæ possibilis proculdubio, aut etiam existentia sunt.

Sed dicunt aliqui. Omnis creatura ex esse factam, & essentia est composita à parte rei, quæ compositio aliena est à Deo. Ergo nulla creatura habet simplicitatem strictam, qualem habet Deus. Nego antecedens. Quia nullius creaturæ essentia distincta est à parte rei ab ipsius esse, siue existentia, ut ostendi in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 6. Subindeque nulla creatura ex esse, & essentia realiter composita est. Vnde ex hoc capite nihil obstat, quominus aliqua creaturæ in stricta, præcisâque simplicitate conueniant cum Deo.

Instat Recupit. ubi supra. Eo ipso, quod omnis creatura habet potentiam ad non existendum, qualem non habet Deus, maius fundamentum præbet, quam Deus, ut per rationem concipiatur composita ex existentia, & essentia. Igitur hoc saltem titulo erit omnis creatura minus simplex strictè, quam Deus. Nego consequentiam. Quia nulla compositio rationis minuit simplicitatem strictam realem, de qua nobis est sermo; & quæ in Deo citra omnem diminutionem, aut imperfectionem compatitur cum multis compositionibus rationis iuxta doctrinam statutam supra quæst. 4. Vnde, licet compositio rationis ex existentia, & essentia in solis creaturis reperiretur; secus in Deo; eo quod creaturæ sunt contingentes in existendo, Deus verò non item; id sanè non ob esset, quominus aliqua creaturæ tam simplices dicendæ essent, quam Deus simplicitate strictâ reali, de qua tractamus; eo quod tam expertes sunt omni omnino compositione passiuâ reali, quam est Deus ipse. Adde tamen, compositionem rationis ex existentia, & essentia ab intellectu nostro oriendam non minus in Deo, quam in creaturis reperiri; quia ea non tam fundatur in contingentia, quam creaturæ habent ad existendum, quam in eo, quod existentia, siue ex subiecto existenti sit necessaria, siue contingens, non potest non concipi à nobis ut actus quidam ipsi subiecto superadditus; ut constat ex generali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 4. & disp. 13. quæst. 9. sæpeque alibi.

Arguunt rursus vniuersaliter Recupit. & alij. Nulla est possibilis creatura, quæ non subbeat compositionem ex genere, & differentia, aliasque compositiones rationis, quas non potest subire, Deus. Ergo nulla est possibilis creatura tam simplex simplicitate strictâ, quam Deus. Respondeo, etsi integrum antecedens esset verum, consequentiam fore nullam propter dicta circa argumentum præcedens: quia scilicet nulla compositio rationis minuit simplicitatem realem, de qua sermo est. Sed negandum est suppositum antecedens, Deum scilicet non posse subire compositionem ex genere, & differentia, neque alias compositiones rationis. Oppositum enim est ostensum à nobis supra q. 4. & 5.

Propositio 3.

126 **S**implicitas latè, & improprie sumpta pro physica incomplebitate per aliud quidpiam iuxta dicta quæst. 7. n. 78. ita est propria Dei, vt nulli omnino creaturæ conuenire possit.

Quia Deus est eas incomplebitate per aliud quidpiam physice à se distinctum, prout supra q. 7. & 8. probatum est; & nulla est possibilis creatura, quæ non sit ens per aliud quidpiam physice à se distinctum complebitate aut mediâ vnione vnus cum altero, aut mediâ receptione alterius in altero, aut mediâ vtraque, vt iam ostendo.

127 **E**t enim nulla est creatura possibilis, quæ non sit aut substantia, aut accidens, hoc est, aut ens in se, aut ens in alio, vt constat. Si est accidens, eo ipso erit ens ens, atque adeo ens perfectibile, complebitateque aliquo modo in suo esse per aliud ens, scilicet mediâ receptione physice in illo, aut mediâ vnione inhærenti cum illo, aut mediâ vtrâque iuxta dicta de naturâ accidentis supra quæst. 7. num. 88. Si verò est substantia, eo ipso erit etiam perfectibilis atque adeo complebitate saltem obedientialiter, siue supernaturaliter per aliud quidpiam physice in se receptum, aut aliquo modo sibi physice vnitum. Cum enim nulla substantia creata possit in se præcontinere tum formaliter, tum eminenter omnem excogitabilem perfectionem ab omni penitus imperfectione depuram, vt præcontinet sola substantia increata Dei; nulla est possibilis substantia creata, quæ per aliud quidpiam à se distinctum non sit intrinsecè complebitate aliquo modo aut in melius, aut in deterius. Etenim omnis substantia possibilis aut est incompleta in ratione naturæ; & sic non potest non esse complebitate per aliam substantiam pariter incompletam vel eiusdem, vel diuersæ speciei cum illâ; aut est incompleta in ratione subsistentis, licet in ratione naturæ completa sit; & sic per substantiam superadditam erit complebitate, prout constat ex doctrinâ traditâ, aut tactâ supra quæst. 8. aut denique tam in ratione subsistentis, quam in ratione naturæ completa est; & sic per accidentia aliqua intrinsecè superaddita vel consentanea sibi, vel dissentanea, supernaturaliter saltem, non potest non esse complebitate, eo ipso quod creatura est, & consequenter non omnimodis infinite perfecta, sicuti est Deus, iuxta rationem factam; multaque subinde vacuitates per accidentia sibi adiuncta implebitate habens.

128 **E**t quidem omne ens indifferens ad existendum in diuersis locis necessariò debet esse complebitate per superadditas vbiaciones, seu præsentias locales tanquam per accidentia intrinseca sibi, vt constat ex doctrinâ statutâ supra disp. 1. Et omne ens indifferens ad existendum in diuersis temporibus necessariò debet esse complebitate per durationes superadditas tanquam per accidentia sibi intrinseca, vt constat ex dictis etiam supra disp. 8. Et omne ens producibile à diuersis causis necessariò debet esse complebitate per actionem aliquam superadditam sibi inhærentem tanquam per quoddam accidens intrinsecum sibi, vt ostendam suo loco. Constat autem pleræque entia possibilia ad aliquod saltem horam trium generum spectare. Quod sententia suapte essentia affixa determinato loco per superadditam præsentiam sint in alio loco collocabilia diuinitus, prout disp. 5. q. 15.

opinari sumus. Et entia perse absque interiectione actione à determinatâ causâ pendentia, per aliam actionem superadditam possint diuinitus ab aliâ causâ, aut ab eadem insuper dependere, vt fortasse possibile est, de quo alibi. Constat, nullum omnino esse ens possibile quod per superadditam præsentiam, aut etiam per superadditam actionem tanquam per accidens sibi intrinsecum non sit complebitate saltem diuinitus. Quia nullum in datâ hypothesi possibile est, quod superadditam præsentiam, aut etiam superadditam actionem tanquam accidens sibi intrinsecum diuinitus saltem nequeat subire.

129 **E**x quibus omnibus apparet, qualiter simplicitas diuina tum strictè accepta, tum latè sumpta ita sit propria Dei, vt nulli possit creaturæ communicari.

DISPUTATIO XII.

De vnitatè Dei.

Non præmitto vniuersaliorem disputationem de vnitatè rerum in genere. Quia de hac abundè egi in Pharo Scient. disp. 17. Vnde ab vnoquoque petenda sunt, quæcumque hic videantur desiderari. Tamen non possum non ego multa inde tracta summarim saltem commemorare, prout ad materiam præsentis disputationis exactius enucleandam aut necessarium, aut vtile visum fuerit.

QVAESTIO I.

De qua vnitatè Dei potissimum habendus nobis sermo est in præsentè disputatione.

PRO resolutione suppono primò, Deum bifariam posse dici vnum. Primò; quia est ens in se indiuisum, siue indistinctum in plura. Secundò; quia est ens vnicum, siue solum in sua Deitatis specie. Et prior quidem vnitatis omnibus, & singulis entibus singulariter sumptis conuenit; omnibusque proinde entibus ita sumptis communis est. Ob idque passio entis dicitur esse; & vnitatis transcendentalis vocari solet. Posterior verò, quæ distinctionis gratiâ vnitatis solitudinis, siue vnicitatis dici poterit, non omnibus conuenit entibus, sed quibusdam dumtaxat. Quia non omnia, sed quædam dumtaxat sunt sola, siue vnica in sua specie. Idque aut in statu existentis tantum, aut etiam in statu possibilitatis. Sic Sol in statu existentis solus, siue vnicus, atque adeo vnus vnitatis solitudinis est; quia ipse est existens, & nullus alius Sol est existens. Sic item Luna, sic Mundus totus. Quia nec plures Lunæ, nec plures Mundi sunt existentes. Sic etiam Deus vnitatis solitudinis vnus, atque adeo vnicus est, non solum in statu existentis; quia, præter ipsum, nullus alius Deus existit; sed etiam in statu possibilitatis; quia, præter ipsum, nullus alius Deus est possibilis. Vtrum autem sit possibilis creatura aliqua similem vnitatem habens; quæ videlicet etiam in statu possibilitatis vnica sit; ita, vt

nulla alia sit possibilis eiusdem essentia, siue speciei, ex dicendis q. 6. constabit.

3. Suppono secundò ex dictis latius in Pharo Scient. disp. 17. citatà q. 1. vnum transcendentali-
ter sumptum sic ex Arist. definiri. *Est ens indivi-
sum in se.* Hoc est, indistinctum in plura talia,
quale ipsum est, quâ ratione dicitur vnum. Ita-
que illud ens est vnum homo, quod est indistin-
ctum in plures homines; & illud vnum animal,
quod est indistinctum in plura animalia; & illud
vnum Socrates, quod est indistinctum in plures
Socrates; & illud vnum membrum, vel vna pars,
vel etiam vna multitudo, vnum numerus, vnum
populus, vnum exercitus, quod est indistinctum
in plura membra, vel in plures partes, vel etiam
in plures multitudines, plures numeros, plures
populos, plures exercitus eiusdem omnino ratio-
nis. Ex quo patet, vnitatem transcendentalem
sumptam formaliter (fundamentaliter enim sum-
pta nihil prorsus differt ab ente vno, sed idem
realiter est cum illo) in indistinctione consistere,
excludente distinctionem, non quidem entis ab
alio, aut à se, sed entis in se, hoc est in plura
talia omnino, quale ipsum est. Et quoniam om-
nis distinctio in positivam, & negativam diuiden-
da venit; quarum prima in actu positivo consistit,
quo vtrumvis ex extremis distinctis ab altero di-
stingui dicitur; secunda verò in negatione identi-
tatis ipsorum extremorum. Si indistinctio, in
qua consistit vnitatis, positivam excludat distin-
ctionem entis in se, negatio quædam erit ex suo
conceptu æquivalenter quidem vera respectu nos-
tri, sed formaliter ficta. Si verò excludat nega-
tivam distinctionem entis in se, formalitas qua-
dam positiva erit concepta à nobis per modum
negationis sui contradictorij; atque adeò ferens
etiam secum ex conceptu suo negationem quam-
dam rationis non fictam, sed suppositivam. Quæ
omnia loco citato fusiùs exposita, & clariùs ex-
plicata videntur; ne nos iam ibi actum
agamus.

4. Modò ex his colligitur primò, vnitatem
quæ transcendentalem, & passio entis appellatur,
& vnitatem, quæ numerica, & principium num-
meri dici solet, eatenus solum differre, quatenus
secunda supra primam addit respectum mensuræ
ad mensuratum, & partis ad totum. Numerus
quippe vnitatis, seu potius vno mensuratur; ex
pluribusque vnitatibus, seu potius ex pluribus vnis
compositus est.

5. Secundò colligitur, inter prædicata, quæ
passiones entis dicuntur, priorem esse ratione nos-
trâ distinctionem, quàm vnitatem, quæ priori-
tate id, quod negatur, prius est conceptione
nostrâ negatione per quam negatur; siquidem
vnitas negationem distinctionis præfert in suo
conceptu, prout dictum est.

6. Tertio colligitur, vnum transcendentale, &
multa quodam modo contradictoriè, & quodam
modo contrariè opponi. Sumpta enim formaliter
oppositionem contradictoriam negationis, &
rei negatæ secum ferunt; siquidem vnitas nega-
tio quædam est, ut diximus, distinctionis entis
in plura; & multitudo constituens multa in ipsâ
distinctione in plura consistit. Multa enim forma-
liter sunt ea, quæ in se, siue inter se distinc-
tionem habent. Sumpta verò fundamentaliter ex-
trema ista eatenus contrariè opponuntur, qua-
tenus, cum ambo sint positiva, & xipote omni-
no indistincta realiter ab ente, quod est vnum,
& ab entibus, quæ sunt multa, prorsus repu-

gnat, quòd vnum, prout est vnum, sit multa,
& quòd multa, prout sunt multa, sint vnum.

7. Quarto colligitur, vnitatem transcendentalem
eatenus communem esse vnitati, quæ con-
fluitur vniuersale, & vnitati quæ constituitur singu-
lare, seu indiuiduum, quatenus vtraque est indi-
stinctio entis in se. Nisi quòd prima rationis ran-
tium; secunda verò realis vnitas est. Per primam
quæ vnum constituitur multis commune commu-
nitate logicâ, atque ita logicè communicabile
multis, ac veluti in ipsâ partibile. Per secundam
verò constituitur vnum nec multis commune, nec
partibile in ipsâ logicè; quo iure dicitur indiui-
duum. Porro vnitas, quæ ponitur passio entis
omnino realis sola vnitas constitutiva indiuiduo-
rum, seu singularium est: quia à parte rei nullum
datur ens vnum, quod non sit ens singulare, seu
indiuiduum. Et quatenus tam vnitas vniuersalis,
quàm vnitas singularis eatenus posset dici numeri-
ca, quatenus tam conceptus vniuersales, quàm
singulares sub numerum cadere possunt; vsu ta-
men increbruit, ut sola vnitas singularis numeri-
ca dicatur; propterea fortasse, quòd differentia
propria, & vltima omnium omnino singularium
distinctio mota ipsorum est; per quam forma-
liter constituitur multitudo, atque adeò nume-
rus. Ob idque differentia numerica vnice nun-
cupatur: cum tamen differentia vniuersalium aut
specificarum, aut genericarum nuncupetur. De quibus
omnibus plura sunt dicta in Pharo Scient. disp.
17. citatâ. Vbi cætera ad vnitatem transcenden-
talem; ad multitudinemque oppositam attinen-
tia videntur.

8. Suppono tertio, vnitatem solitudinis supra
vnitatem transcendentalem in ente, quod ab illâ
dicitur vnicum, siue solum, addere negationem
omnium aliorum eorum eiusdem essentia, seu
speciei; speciei, inquam, vel atomæ, vel subal-
ternæ. Ab eo enim dicitur vnum quodque ens vni-
cum, siue solum in sua specie vel atomâ, vel sub-
alternâ, quòd nullum est aliud præter ipsum talis
speciei; idque aut in statu existentia tantum, aut
etiam in statu possibilitatis. Cum hoc tamen
discrimine, quòd negatio excludens ab statu exi-
stentiali cætera entia eiusdem speciei vel atomæ,
vel subalternæ, præter vnicum, vera negatio,
seu veritas negatiua est; siue entis negata sint pos-
sibilia, siue impossibilia. Negatio verò excludens
ab statu possibilitatis cætera entia eiusdem speciei
vel atomæ, vel subalternæ, præter vnicum, no-
stro dumtaxat modo concipiendi est negatio eor-
um possibilitatem excludens, re tamen ipsâ ve-
ritas positiva est in positiva ipsorum impossibili-
tate consistens. Nam ab statu quidam nullum
ens potest per veram negationem excludi, sicut
ab statu existentiali excludi potest, sipeque exclu-
ditur iuxta doctrinam generalem à nobis statutam
in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. & 4. & disp. 10. q. 4.
Dico autem, vnitatem solitudinis, à qua euadit
quoduis ens vnicum, siue solum, addere negatio-
nem cæterorum eiusdem speciei vel atomæ, vel
subalternæ modo explicato. Quia in qualibet
specie potest esse aliquod ens vnicum, seu solum;
siue ea sit infima omnium, proximaque indiuiduis
in serie prædicamentali, quæ dicitur atomâ; siue
ea sit superior infimâ, atque adeò vel intermedia,
vel etiam suprema, quæ omnes nomine subalter-
næ veniunt comprehendendæ. V. g. si Deus nul-
lum aliud viuens corporeum produxisset, præter
vnicum hominem, in rerum naturâ existeret ens,
quòd non tantum esset vnicus homo in specie ato-
mâ

ma hominis, sed etiam esset vnicum animal, & vnicum viuens corporeum in speciebus subalternis animalis, & viuents corporei. Et Deus quidem antequam vllam creaturam crearet non solum existeret vnicus in sua infima specie Deitatis, sed etiam in omnibus alijs tam Intermedijs, quam supremis, in quibus cum ceteris entibus logicè conuenire potest. Sicque tunc non tantum existeret in rerum naturà vnicus Deus, sed etiam vnicum intellectiuum, vnicum volitiuum, vnicum viuens, vnica substantia, vnicus spiritus, vnicum ens, vnicum bonum, vnicum verum, &c.

9 Mis positus, certissimum est, datà etiam hypothesi, quòd existerent plures Dij, adhuc vnumquemque eorum fors vnum vnitate transcendentali; tamen non foret vnus vnitate solitudinis: quia vnusquisque eorum in eà hypothesi esset indistinctus in se in plures tales, qualis ipse esset; tamen non careret consortio aliorum in eadem specie Deitatis, seu atomà, seu subalternà cum ipso conuenientium. Quemadmodum defacto vnusquisque hominum vnus est vnitate transcendentali; secus vnitate solitudinis: quia vnusquisque est indistinctus in se in plures tales, qualis est ipse; non verò est expertus consortio aliorum in eadem specie humanitatis cum ipso conuenientium. Vnde patet, si fiat sermo de Deo nostro vero tanquam de vnico ente singulari, certissimum esse, atque euidētissimum, esse illum vnum Deum vnitate transcendentali: quia planè constat, illum ipsum plures non esse; tantumque verti in quæstionem posse, an sit ille quoque vnus, siue vnicus Deus vnitate solitudinis, expertus videlicet consortio alterius, aut aliorum Deorum. Quemadmodum certissimum, atque euidētissimum est, hunc Mundum singularem, vnum esse vnitate transcendentali; tantumque verti in quæstionem potest, an etiam sit vnicus, ita, vt non sint alter, aut alij Mundi existentes simul cum ipso. Porro querere, singulariter de nostro singulari Deo an sit vnus vnitate solitudinis, atque adeò vnicus, siue solus in specie Deitatis; & querere quasi vniuersè verum in specie Deitatis sint plures Dij, vel vnus tantum, in idem omnino reo dicit, vt ex se patet.

QVÆSTIO II.

Vnum Deum sit vnus, siue vnicus.

20 **N**ecessarius est ex historijs Idolatrarum error, qui plures Deos sibi finxerunt, ac venerati sunt. Contra quos suscipi scripserunt Iustin. in *Paraphrasi ad Græcos*, Clemens Alex. orat. exhort. ad *Gentes*; Tertullian. in *Apologet.* aduersus *Geat.* Athanas. orat. contra *Idola*; Athenagor. *Atheniens.* in legat. pro *Christian.* tom. 9. *Bibliot. Patrum*, *Tatiaa.* *Alyrius* orat. contra *Græcos*, *Theodoret.* lib. 1. *hæreticarum fabularum*, & alij. Ceterum, cum plerique saltem eiusmodi Gentilium Idolatrarum alios suorum Deorum ab alijs procreari putarent, veram in illis omnibus diuinitatem in predicato entis à se consistentem, aut illud includentem non agnoscebant. Tamen si spuriam quendam, & abusiua diuinitatem in quadam superioritate, seu dignitate, seu excellentià consistentem illis tribuerent; vt est certum ex historijs de eiusmodi Dijs Gentium tractantibus.

11 Ex hæreticis autem primus, qui posuit duos

Deos, alterum bonum, & alterum malum, fuit Apelles, vt refertur *Epiphani.* hæresi 44. & *August.* hæresi 23. à quo Apelliani dicti sunt. Quis quidem Apelles Mundum hunc visibilem à Deo malo factum esse commentus est; ita, vt illius Deus bonus nullam curam gereret. Ceterum, quia dicebat Apelles, Deum malum à Deo bono factum esse; neque duo principia æquè primæ, cæterarum rerum ponebat; reuera vnum tantum ponebat ens à se; atque ita Deum vnum, à quo cetera omnia tanquam entia creata suam originem traherent.

Manichæus verò, vt scribit *Epiphani.* hæresi 66. & *Theodoret.* lib. 1. *hæretic. fabul. cap. vlt.* non modò duo Principia, seu duos Deos posuit, alterum bonum, & alterum malum; sed etiam eos ingenitos, siue increatos, coeternosque, & sibi inuicem contrarios esse affirmavit. Et malum quidem Deum tenebratum corporeæ, visibilisque *August.* creaturæ; bonum vero Deum lucis incorporeæ, atque inuisibilis *Conditorem* appellauit.

Verum enim verò ante *Manichæum* *Cerdon* tempore *Hygini* *Papæ* teste *Epiphani.* hæresi 41. *Irinæ* lib. 1. aduersus hæres. cap. 28. *Tertullian.* lib. 1. de *Præscription.* hæret. cap. 51. *Euseb.* lib. 4. *Hist.* cap. 10. & ipsum *Cerdonem* postea sequutus *Marcion*, vt refertur *Epiphani.* & *Euseb.* ibidem, *Irinæ* cap. 29. & *Tertullian.* lib. 1. aduersus *Marcion.* cap. 6. duos etiam Deos adstruxerunt. Alterum ignotum *Mundo*, quem *Patrem* dicebant esse *Christi*, *Auctoremque* *noii Testamenti*, & bonum appellabant. Alterum verò factis notum hominibus, quem *Iustum*, id est *videlicet scelereum*; aut etiam *scæum*, & *crudelium*, vt exponit *Vaz. 1. p. disp. 17. cap. 1.* *Auctoremque* *Testamenti veteris* esse dicebant. Itaque in eo *Manichæus*, vt *Cerdon*, aut etiam *Marcion* videtur consentire, vt ex *Auctoribus* citatis colligit *Vaz.* loco citato, quòd duos Deos, alterum bonum, & alterum malum adstruebant. Nisi quod *Cerdon*, aut etiam *Marcion* omnium rerum officium attribuebant Deo malo. *Manichæus* verò quarundam rerum præ alijs apud ipsum bonarum productionem Deo bono referrebat. Porro verò *Manichæus* consenserunt *Priscillianistæ*, qui in *Hispanià* à *Prisciliano* *Abulensi* originem traxerunt, vt scribit *Leo 1. epist. 91. ad Turibium c. 14.* vbi eorum damnat errorem. Deinde *Albigenses* noui *Manichæi* in *Gallià* tempore *Innoc. 3. vt Auctor est Antonin. 3. p. Hist. tit. 19. c. 1.*

Præterea *Tritheitæ*, sumptrà occasione ex mysterio *Trinitatis*, dixerunt tres *Personas* esse tres Deos. Fuit autem hic error *Peratarum* apud *Theodoret.* lib. 1. *hæret. fabul. cap. 18.* Tribuiturque etiam *Ioanni Philopono*, vt refert *Nizephon* lib. 18. cap. 48. Et *Abbati Ioachim*, qui videtur docuisse, tres *Personas* esse tres *essentias*; Deumque esse vnum dumtaxat per collectionem, sicut dicitur esse vna *Ecclesia*, prout colligitur ex *cap. Firmiter de Summ. Trinit. & fide Cathol.* quod est *Concilij generalis Lateranensis* sub *Innocentio 3.* Tribuit etiam *Bernardus Luxemburgensis* errorem istum *Raymundo Lullo.* Sed hanc tanquam calumniam reiecit *Vaz. 1. p. q. 1. art. 3.* Denique eundem errorem amplexati sunt multi ex nouioribus hæreticis, vt *Valentinus Gentilis* *Iacobus Schekius* *Lutheri discipulus*, *Philippus Melancthon.* Imò *Luthetus ipse*, *Caluinusque*, & *Beza*, vt videre est apud *Bellarmin.* lib. 1. de *Christo* cap. 2. *Petaui.* tom. 1. de *Theolog. Dogmat.* lib. 3. & *Recupis.* lib. 5. de *Deo* q. 3.

Pro-

Propositio I.

De fide est, Deum vnum omnino, siue vnicum prorsus esse.

Id enim imprimis passim contestantur sacre Scripturæ. Deut. 4. *Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus; & non est alius præter eum.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster. Dominus vnus est.* Et cap. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me.* 1. Regum 2. *Non est sanctus, ut est Dominus; neque enim est alius extra te.* Psal. 82. *Tu solus altissimus in omni terra.* Plal. 85. *Tu es Deus solus.* Sap. 12. *Non enim est alius Deus, quam tu. Cui cura est de omnibus.* Isaïæ 43. *Ego sum. Ego sum Dominus, & non est absque me Saluator.* Osee 13. *Deum absque me nescies, & Saluator non est, præter me.* Ioan. 17. *Hac est vita æterna; ut cognoscam te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* 1. ad Corinth. 8. *Scimus, quia nihil est Idolum in Mundo: & quod nullus est Deus, nisi vnus.* Ad Galat. 3. *Deus autem vnus est.* 1. ad Timot. 6. *Regi secularium immortalis, & inuisibili soli Deo &c. Præter innumera alia scripturæ loca, in quibus manifestè supponitur, Deum nostrum vnicum esse. Dum enim scriptura aliquid à Deo dictum, factum, cogitatum, aut decretum referens Deum simpliciter nominat, neque addit hunc, aut illum, aut aliquem Deum, manifestè significat, Deum vnicum esse. Alioquin ineptissimè diceretur, Deus creauit celum, & terram; laudate Deum; Deus præcepit; Deus adiua me, &c. nisi pro certo supponeretur, nullum alium Deum reperiri, præter vnicum. Quemadmodum, quia vnicus tantum Sol reperitur, dum de eo loquimur simpliciter, illum nominamus absque vilo additamento determinante: quia vt ab omnibus notissimum supponimus, illum vnicum esse.*

Definita præterea est vnitas hæc in multis Concilijs ab Ecclesiâ, & tradita in Symbolis, quibus articulos fidei præcipuos profitemur, vt videre est in Symbolo Nicæno incipiente. *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem celi, & terre, visibilibus omnium, & inuisibilibus. Quibus Manichæorum, Marcionistarumque hæresis expressè profligata est. Et in symbolo Athanasij incipiente. Quicumque vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem. Fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Quibus, & pluribus sequentibus expressè exploditur hæresis Tritheitarum. In Concilio autem generali Lateran. sub Innoc. 3. prout refertur in cap. Firmiter, de Sum. Trinit. & fide cath. sic habetur. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem persona, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Et infra. Vnum vniuersorum Principium, creator omnium visibilibus, & inuisibilibus, spiritualium, & corporalium, &c. Quibus omnes commemorati errores penitus sunt conuulsi. Cetera tum conciliorum, tum etiam Patrum testimonia, quæ passim sunt obuia pro prædictâ veritate catholica apud Bellarm. supra cap. 3. & apud Petau. cap. 8. videri possunt.*

Quomodo autem in eadem veritatem catholicam de vnitate Dei omnes Philosophi sapientiores, quantumuis ethnici, & quique alij Sapien-

tes totius Antiquitatis planè consenserint, latissimè, eruditissimèque demonstrant, illorum testimonijs distinctè, & sigillatim relatis, Tertullian. in lib. Apolog. aduersus Gent. August. lib. 8. de Ciuit. Dei. Iustin. lib. de Monarchiâ Dei, & in Cohortatione ad Græcos, & in Orat. parænet. ad Gent. Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulianum. Lactant. lib. 1. Diuinar. institut. & Eugubin. lib. 3. de Perenni Philosophiâ per multa capita. Ex hisque & alijs noster Gyllius lib. 2. de Deo trad. 3. cap. 6. & Recupit. lib. 5. de Deo q. 12. Quo circa merito dixit Paulus Orosius lib. 6. Histor. paulò post principium. *De vno Deo omnium pene vna opinio est.* Et S. Th. 1. p. q. 11. art. 3. ait. *Vnde & antiqui Philosophi quasi ab ipsâ coacti veritate posuerunt vnum tantum principium.*

Verum contra veritatem catholicam obijci potest pro Manichæis, & Priscilianistis. Multa eueniunt in Mundo mala mixta cum bonis; neutrorumque admitti potest progressus à parte ante infinitus. Ergo adstruenda sunt duo principia, prima, atque adeò duo entia à se; (quæ subinde necessario erunt duo Dij); alterum bonum, à quo suam originem trahant bona; & alterum malum, à quo suam originem trahant mala. Neque enim potest illud ens, quod principium bonorum, atque adeò bonum in se est, malorum quoque esse principium: quia titulo principij primi malorum non posset non esse in se malum. Atque ita fieret, vt idem ens in se, & à se esset simul bonum, & malum. Quod est impossibile. Et confirmari potest. Quia supposito, quòd intra genus entis ab alio sunt aliqua entia bona, & aliqua mala, non est, cur intra genus entis à se non sit item aliquod ens malum, & aliquod bonum. Vel dicatur, cur fuit necessarium, quòd esset vnum ens à se bonum; & non fuit quoque necessarium, quòd esset vnum ens à se malum?

Pro solutione euidentiore suppono primò ex dicendis latius infra disp. 15. duplex imprimis esse bonum. Aliud absolutum, quod in se est bonum. Aliud relatiuum, quod alteri est bonum. Et relatiuum quidem bonum in honestum, vtile, & delectabile diuiditur. Absolutum autem in id, quod per suam essentiam præcisè, atque adeò essentialiter bonum est, & in id, quod per accidens sibi adiunctum, atque adeò accidentaliter euadit bonum, est diuidendum. Ex quibus bonum absolutum essentialiter (in quocunque demum conceptu consistat eius formalis bonitas) cum ente recipitur, atque ideo bonum transcendens, & passio entis dici solet; bonitasque constitutiva eius transcendentalis appellatur. Eo quòd nullum est excogitabile ens existens in rerum naturâ, quod isto genere bonitatis transcendentalis perse, perque suam substantiam, siue essentiam, non sit in se absolutè bonum, atque adeò amabile, seu dignum, quod ametur in se. In quo etiam Manichæus errauit, asserens esse aliquas creaturas in se, & perse substantialiter, siue essentialiter malas, atque adeò indignas, quæ amarentur, & crearentur à bono Deo. Vt refert, refutatque August. lib. 2. de moribus Manichæorum, à cap. 1. vsque ad 8. & lib. de naturâ boni cap. 16. sæpeque alibi. Cuius assertionis opposita de fide est, dicente Paulo 1. ad Timot. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est.* Et definiente Concilio Lateran. prout habetur cap. Firmiter, de summa Trinit. & Eide Cath. quòd Deus est vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilibus, & inuisibilibus; spiritualium, & corporalium: qui sua

omnipotentē virtute simul ab initio temporis vitamque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanā, ac deinde humanā quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Diabolus enim, & alij Demones à Deo quidem naturā creati sunt boni; sed ipsi perse facti sunt mali, &c. Quo circa dixerunt Boet. lib. Hebdom. cap. 2. & August. lib. 83. qq. q. 24. *Omne, quod est, in quantum est, bonum est.* Et Arist. lib. 1. Ethic. cap. 7. *Bonum aequè diuidi, ac ens.*

20 Hinc venit supponendum secundò, quòd, licet in Mundo sint multa positua entia mala malitiā relatiuā tum morali, tum etiam physicā oppositā bonitati relatiuā; aut etiam malitiā per accidens absolutā oppositā bonitati absolutā per accidens, vt expressè docet August. lib. de naturā boni citato cap. 4. impossibile tamen est, quòd
31 sit ens aliquod posituum absolutā malitiā malum perse, siue per suam essentiam; atque adeò essentialiter cum sit necessarium, quòd omne ens posituum sit perse, siue per suam essentiam bonum bonitate absolutā. Vnde malitiā (si qua est) huiusmodi bonitati absolutā, & essentiali entium opposita in purā carentia, seu priuatione, seu negatione entis debet necessariò consistere. De quo plura sunt à nobis dicenda infra disp. 15. vbi videntur ad rem poterunt.

31 Ex his facillimè sese dat solutio ad argumentum factum, & ad eius confirmationem. Etenim omnia mala, quæ sunt in Mundo, siue sint mala moralia culpæ oriunda à vitio arbitrij creati, siue sint mala physica pœna, alterius veditconuenientia naturalis, cum sint positua, quoad posituum physicum, quòd important, sufficientem bonitatem transcendentalem habent, vt à principio primo bono possint oriri; cum verò sint priuatiua, seu negatiua, nullo egent principio sui, nedum primo; quia sunt merè nihil iuxta doctrinam vniuersalem de negationibus datam à nobis in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. Pro nullis igitur malis eorum, quæ sunt in Mundo mixta cum bonis, vltimum principium primum malum aditui debet. Quin potius, esse illud omnino impossibile, etsi omnino sit necessarium principium primum bonum, inde sit manifestum: quia non posset illud non esse ens, eoque titulo iuxta suppositiones factas substantialiter bonum, & simul, vt ponitur, substantialiter malum; atque adeò non bonum, substantialiter. Quòd est chymæricum.

32 Ex dictis sufficienter manent confutati Cerdonista, & Marcionista, quatenus etiam duos Deos alterum bonum, & alterum malum quoquomodo ponebant. Quatenus verò alterum vindicem scelerum veteri Testamento, & alterum misericordem nouo applicabant, aperte opponebantur sacre Scripturæ vnicum tantum Deum pro vtroque Testamento adstruenti. Ait enim Paulus ad Hebræ 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nonisimè diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Quibus clarissimè significat, eundem omnino veteris, ac nouæ Legis esse Deum. Id quòd testatur est quoque Christus Dominus Ioan. 8. cum dixit Iudæis. *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Sæpissimè que aliàs in sacra Scripturā aut supponitur, aut exprimitur idem ipsum. Sed quid in ijs insanis tam sine fundamento dictis resellendis moramur?

33 Denique pro Trinitatis solū potest nobis opponi difficultas mysterij, in quo Fidei potissimum subixi credimus cum Trinitate personarum

vnitatem essentia; atque ita Deum vnicum esse, omnino; & metis in personis trius sit. De quo mysterio latè agunt Theologi in tract. de Trinitate.

Propositio 2.

Deum omnino vnum, siue vnicum, prorsus esse, multis rationibus naturalibus demonstratur.

Sit prima, quæ desumi potest ex prædicato omnimoda infinitudinis, quam Deus habet euidenter oriundam ex prædicato, quòd Deus etiam habet, entis à se demonstrato à nobis supra disp. 1. Eo enim ipso, quòd aliquod ens habet esse à se citra omnem causam sui, necunde habet, à quo taxetur magnitudo eius; ipsiusque proinde infinitudo non potest non esse omnimoda in omni genere. Vt autem sit talis, necesse est, quòd illud aut formaliter, aut eminenter contineat in se omnem omnino excogitabilem perfectionem. Formaliter quidem omnem excogitabilem perfectionem identificatam sibi. Eminenter verò omnem excogitabilem perfectionem distinctam à se. Hanc autem eminenter in se continere non potest, nisi sit principium factiuum eius. Vnde sit, vt ens à se titulo talis non possit non esse foas, siue fontale principium omnium omnino aliorum entium distinctiorum à se. Ex quibus omnibus euidenter concluditur, non posse non ens à se, atque adeò Deum vnicum prorsus esse. Si enim entia à se essent plura, quoduis eorum titulo talis omnem entitativam perfectionem aliorum contineret in se eminenter, causaque subinde esset factiua eorum iuxta dicta. Atque ita & essent entia à se, vt supponitur, & non essent entia à se, sed ab alio. Quòd est aperta contradictio. Quare, qui admittit plures Deos, nullum admittere re ipsa necesse est. Quia in nullo plurium potest esse infinitudo diuinitatis propria, essentialiterque proinde diuinitati debita. Quo circa dixit Tertull. lib. 1. contra Marcion. cap. 3. *Deus, si non vnus est, non est: quia dignus credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, vt esse debeat.* Et Athan. Orat. contra Idola. *Multitudo Numinum nullitas Numinum.*

Secunda ratio desumi potest ex plenitudine bonitatis, seu perfectionis, quam Deus titulo etiam entis à se necessario debet habere tum ab omni penitus imperfectione immunem, tum omnem perfectionem simpliciter simplicem, quæ melior sit ipsa, quam non ipsa, comprehendentem, prout demonstrabitur inferius disp. 16. Hoc enim iure Deus (vt fert commune, receptumque ab omnibus axioma) nequit non esse tale ens, quo maius aliud, siue melius cogitari non possit. Et nullus eorum esset talis, si forent plures Dij. Proindeque neque essent Dij contra ipsam suppositionem. Etenim, quòd aliqua res in tota vniuersitate rerum sit excellentissima omnium, perfectio est simpliciter simplex, quæ in tali re melior est ipsa, quam non ipsa, vt satis ex se apparet. Ergo Deus iuxta dicta necessario debet esse res excellentissima omnium in tota vniuersitate rerum. Ait plures res eiusmodi esse non possunt, quia vnaqueque earum esset perfectior, & simul minus perfecta, quam quælibet alia; quòd planè repugnat. Ergo in tota rerum vniuersitate non possunt esse plures Dij. Vel aliter, Si Deus non esset ens excellentissimum omnium, ens melius ipso cogitari posset, nempe ens excellentissimum omnium.

vt ex se patet. At ens melius Deo cogitari non potest, vt statuimus. Igitur Deus est ens excellentissimum omnium. Sed repugnat esse pluralia, quorum quoduis sit excellentissimum omnium; vt monstratum est. Ergo repugnat esse plures Deos. Similiter, habere dominium cæterorum omnium entium, & sub nullius eorum dominio esse, manifestè est perfectio simpliciter simplex, atque adeò conueniens Deo iuxta dicta. Sed repugnat, quòd sint plura entia, quorum quoduis dominium habeat cæterorum omnium, & sub nullius eorum dominio sit. Vt est notissimum: quia vnumquodque talium simul esset, & non esset sub aliorum dominio. Ergo repugnat esse plures Deos. Rursus similiter, præesse cæteris omnibus entibus, & nulli subesse, perfectio est simpliciter simplex, atque adeò conueniens Deo. Sed repugnat esse plura entia, quorum vnumquodque præsit cæteris omnibus, & nulli subsit, vt constat ex dictis in simili. Ergo repugnat esse plures Deos. Præterea, esse vnicum cæterorum omnium entium principium primum, & fontem totius esse, totiusque perfectionis, & bonitatis; esse ens incompatible cum alio quopiam habente similem dignitatem, maiestatem, iurisdictionem, dominiumque in rerum vniuersitate, euidenter sunt perfectiones simpliciter simplices, quæ iuxta dicta Deo deesse non possunt. Compertum est autem, eas illi conuenire non posse, nisi vnicus sit. Ergo est vnicus. Denique, habere cum alio quopiam in rerum vniuersitate diuinum imperium, potestatem, iurisdictionem, dominium, diuitias intrinsecas, & extrinsecas, & cætera huiusmodi imperfectiones sunt manifestæ. Igitur non possunt illæ conuenire Deo iuxta etiam dicta. At conuenirent illi planè, nisi vnicus esset. Igitur, ne illi conuenire dicantur, vnicus esse omnino dicendus est.

26 Tertia ratio. Non possunt esse plures Dij in multitudine finita; non in infinita. Ergo in nulla. Consequentiā est bona. Probo antecedens quoad primam partem. Quia cum nulla sit excogitabilis ratio, cur Dij sint plures in tanto potius, vel tanto numero, quam in maiore, vel in minore, in nullo vtiq; esse plures censendi sunt. Deinde quoad secundam. Quia, præterquam quòd nemo somniauit multitudinem Deorum esse infinitam; eo quòd vel ex ipsis terminis est satis euidenter, talem multitudinem esse planè impossibilem; omnia argumenta, quibus exploditur quavis pluralitas Deorum, longè euidentius è medio tollunt pluralitatem infinitam eorum, vt discurrendo per singula quisque comperiet. Quòd si in vnico vero Deo necessariò sunt tres personæ, nec plures nec pauciores. Huius optima ratio redditur. Nimirum: quia, cum verus, & vnicus Deus sit necessariò intellectiuis, & volitiuis, duas omnino operationes ad intra alteram per intellectum, & alteram per voluntatem, nec plures, nec pauciores necessariò debet habere; & consequenter tres omnino personas, vnā improductam, & duas productas, nec plures, nec pauciores in vnitatis essentia ipsius communis, prout latius exponitur à Theologis in tract. de Trinitate.

27 Quarta ratio. Si darentur plures Dij, aut essent inter se inæquales quoad perfectionem, aut æquales. Sed neutrum est possibile. Ergo non dantur. Cætera patent. Probo minorem. Et primùm, quòd non possent esse inæquales. Quia, cum æquè haberent esse à se, vt supponitur, (nam aliàs Dij non essent), necunde alicuius eorum,

taxari, aut minui posset perfectio; vt minor illæ quoad perfectionem euaderet, quam cæteri; vt constat. Quòd autem nec possent esse æquales ob titulum, quem omnes haberent essendi à se, inde ostenditur; quia ob eundem titulum esset aggregatum omnium æquale singulis. Aliundeque non posset non esse maius: quia omne totum maius est sua parte: præsertim quando pars ne eminenter quidem continet quantitatem aliarum partium; vt eueniret in proposito. Sicque aggregatum talium Deorum & esset vniciue eorum, æquale quoad perfectionem ob eundem titulum, quem haberent essendi à se omnem inæqualitatem in ijs, quæ sunt à se, recusantem propter rationem dictam; & esset maius illo ob titulum totius, & partis. Atque adeò æquale illi simul, & inæquale, quod est chymæricum.

28 Quinta ratio. Si darentur plures Dij, aut essent inter se inæquales quoad potentiam effectiuam aliorum entium, aut æquales. Sed neutrum est possibile. Ergo non dantur. Cætera patent. Probo minorem. Et primùm, quòd non possent esse inæquales quoad talem potentiam. Quia, cum æquè haberent esse à se, vt supponitur, necunde posset vltus eorum minus potens, quam alij euadere; vt est notissimum. Quòd autem nec possent esse æquales quoad talem potentiam, inde probatur: quia eo ipso, quòd essent æquales, nullus esset omnipotens, sed omnes imbecilles, & impotentes ad operandum, prout vellent. Quod planè est à Deitate alienum. Proindeque, Dij non essent; vt ponebatur. Etenim vnusquisque eorum titulo Deitatis non posset non esse, agens plenè liberum ad ponendum in rerum naturā quamlibet creaturam possibilem, ad impediendumque ne poneretur, prout sibi placeret. Fieretque, vt vnusquisque eorum titulo propriæ Deitatis plenè liber, & potens esset ad præstandum quidlibet, prout sibi placeret; simulque titulo consortij Deitatis alienæ ad nihil plenè liber, & potens esset. Quod est contradictio. Pone enim id, quod in eo casu necessariò esset possibile, quòd Deus A efficaciter vellet, existere creaturam, & quòd Deus B efficaciter nollet, eam existere, aut efficaciter vellet, existere aliam illi essentialiter oppositam. Certè tunc ex vna parte alterius Dei voluntas deberet necessariò frustrari; quia ambo voluntates simul non possent impleri; ex aliā verò parte non esset, cur altera potius, quam altera frustraretur: cum essent quoad efficaciam profus æquales. Sicque vel vtraque, vel neutra frustranda foret, aut amba simul vno titulo frustrari deberent, & alio non frustrari. Ambæque tum æquè validæ essent, tum æquè imbecilles. Medijque illis Dij eas habentes sic rixarentur, vt vno titulo ambo victores, & altero ambo etiam victi remanerent. Quæ omnia plena contradictionibus sunt; vt patet. Præterquam quòd rixæ, & contentiones, quales inter plures Deos liberos necessariò essent, possibile, aliunde ab imperfectione, & malitiā, quam secum ferunt, non possunt non esse impossibiles veræ Deitati. Hoc fermè modo contra pluralitatem Deorum iam dudum argumentatus est Xenophanes lib. 1. Mythologiæ cap. 7. inquiens. Si plures sint Dij, necesse est, eos esse vel pari, vel impari potentia. Si sint quidem impares; quo pacto debiliores sint Dij, ipse viderit. Si omnes pares existunt, & nolens alium volentem impedit; res iam neque fieri, neque non fieri poterit: quod non potest sine risu intelligi. Multa igitur odia, & pugna multa, & assidue inter Deos intercedent:

quoniam sempiterna intercedent cause. Quod etiam spectat, quod antea dixerat Trimegistus 2. p. Pimian, serm. 1. Impossibile est, plures esse factores. Neque enim ordo vnus seruaretur in multis; nam, qui inter illos imbecillior esset, potentiori inuideret; ex quo seditio oriretur. Consonat Athan. in orat. contra Idola dicens de Dijs duobus, Aequè in ambobus esset potestas, & imbecillitas. Par quidem potestas; quod alter alterius voluntatem vinceret eo ipso, quod altero inuito esse posset. Par item imbecillitas; quod nolentibus ipsis, ea, quæ nollent, euentrent: siquidem vnus prater alterius voluntatem existeret.

29 Sexta ratio affinis præcedenti desumitur ex præstantissimâ gubernatione, qua vniuersitas rerum naturaliter administrari debet; defactoque citra omne dubium administratur; vt & experientia monstrat, & ratio suadet; quia natura temper intendit quod melius est, vt bene notauit Arist. lib. 1. de generat. animal. cap. 4. Præstantissima autem gubernatio Monarchica est ab vnico supremo Principe descendens. Ab vnico ergo Deo tanquam ab vnico supremo Principe debet vniuersitas rerum gubernari, atque gubernatur de facto. Vnicus ergo est Deus. Quod autem optima omnium gubernatio Monarchica sit, concors Sapientium sententia est, vt apud Platonem, & Aristotelem, aliosque in suis Politicis videre licet. Quare Arist. ipse lib. 12. Math. sine hoc argumento probat vnitatem Dei dicens. *Entia nolunt malè gubernari. Non est bona pluralitas principatum. Vnus ergo Princeps.* Et in lib. de Mundo ad Alexandum ait. *Quod in nauis est gubernator, in curia auriga, in choro præceptor, in ciuitate lex, in exercitu imperator, hoc in Mundo Deus.* Et Lactant. lib. de ira Dei cap. 11. *Non possunt, inquit, in hoc Mundo plures esse rectores. Neque in vna domo multi domini, Neque in natura vna multi gubernatores. Neque in armento, aut grege duces multi. Sicut neque anima plures in vno corpore.* In his namque omnibus, vt vnitatis ordinem, sic pluralitas confusione, ac dissensionem parit. Quo circa dixit Cyprian. in Prologo lib. de operib. Christi Cardinal. *Non potuerunt multa, & diuersa rerum esse principia; quia nisi ad vnum cuncta respicerent, discorsata, & infinitate cuncta turbata voluerentur in chaos; & repugnarent, & colliderentur in se discordes materia; nisi omnibus factoris auctoritas imperaret; & vnus Monarchia potestatis causas, & efficientias ordinarer.* Et Damasc. lib. 1. de fide cap. 5. *Quo pacto ab huiusmodi multis gubernabitur Mundus, & non dissoluetur, ac corrumpetur, attendit in his ipsis gubernantibus pugna? Differentia enim contrarietatem inducit.*

30 Septima ratio pro vnitatem Dei sumi potest ex prædicato entis perfectissimè primi, quod Deus citra dubium debet habere oriundum item à prædicato entis à se. Ratione cuius non solum repugnat Deo; esse posteriorem, sed etiam non esse priorem quolibet alio ente in omnibus seriebus prioris, & posterioris secundum naturam, de quibus egimus in Pharo Scient. disp. 1. nimirum, in serie dignitatis, seu perfectionis, in serie originis, seu causalitatis, in serie durationis, & in serie inconnexions non mutæ. Ad perfectissimam quippe primitatem Dei spectat, non solum non esse posteriorem naturâ suâ aliquo alio ente, sed etiam esse omni alio priorem, atque adeo simpliciter primum in quavis dictarum serierum. Ex eo autem, quod in quavis earum sit Deus suâ naturâ primus, necessariò inferitur, quod sit vnicus. Nam, esse Deum primum simpliciter in serie dignitatis, est esse ens excellentissimum, &

perfectissimum, siue optimum omnium. Cum, quo stare nequit, quod aliquod aliud ens sit Deus; quia planè repugnat, esse Deum id, quod est minus bonum, seu minus perfectum, quam aliud ens. Et esse Deum simpliciter primum in serie originis, seu causalitatis, est ipsum causam sui non habere, & cætera omnia esse ab ipso tanquam à causâ. Cum quo similiter nequit stare, quod sint plures Di, vt constat. Esse verò Deum simpliciter primum in serie durationis, est ita extitisse eum necessariò ab æterno, vt cætera omnia entia post ipsum inciperent, aut saltem potuerint incipere in tempore. Cum quo item nequit componi pluralitas Deorum, siue entium à se; quia de conceptu entis à se est, non posse incipere in tempore; vt constat ex demonstrationibus factis disp. 9. quæst. 1. Denique, esse Deum simpliciter primum in serie inconnexions non mutæ, est ipsum cum nullo alio ente prout existente esse connexum, & cætera omnia entia cum ipso prout existente connexa esse. Cum quo etiam pluralitas entium à se consistere nequit. Quia ex pluribus entibus à se non est, cur vnus cum alio potius, quam hoc cum illo, connexum esset. Quare, vt cætera entia cum Deo sint connexa non mutæ, quo euadat Deus in istâ serie simpliciter primus, cætera entia ab alio, hoc est à Deo ipso tanquam à causâ debent existere. Quo pluralitati entium à se, atque adeo Deorum, locus præcluditur. Concluditur tandem, ex eo, quod Deus in omni serie prioris, & posterioris secundum naturam sit ens perfectissimè, atque adeo simpliciter primum, necessariò inferri, esse ipsum vnicum prorsus Deum.

Octaua ratio sumenda est ex prædicato finis perfectissimè vltimi, quod Deus titulo talis non minus citra omne dubium debet habere, quam prædicatum principij perfectissimè primi. Sicut enim ad perfectionem principij primi spectat, non solum, quod non sit ipsum ab alio principio, sed etiam, quod sint ab ipso cætera cuncta; quo pluralitati entium à se, atque adeo Deorum, locus manet præclusus, prout constat ex iam dictis. Ita pariter ad perfectionem finis vltimi spectat, non solum, quod non sit ipsum propter alium, sed etiam quod cætera cuncta sint propter ipsum. Quo etiam præcluditur locus pluralitati Deorum. Quia non potest non esse vnicum id, quod ita propter nullum aliud est, vt cuncta alia sint propter aliud. Hæc enim duo non posse conuenire pluribus entibus, compertum est.

Nona ratio. Necessitas in essendo sequitur perfectionem essentie: quia vnumquodque, quod melius, siue perfectius est, non potest non habere eò maius essendi meritum. Ob idque necessitas, quam Deus habet ad essendo, infinitè maior est omni aliâ necessitate: quia perfectio essentie Dei omni aliâ perfectione infinitè est maior, prout constat ex doctrinâ traditâ supra disp. 3. quæst. 1. Illud autem verissimum principium stare non potest, si plures essent Di. Ergo non sunt plures, sed prorsus vnicus. Probo maiorem, quæ sola indiget probatione. Quia, si essent plures Di, aggregatum eorum & esset ens magis necessarium in essendo; vt pote magis perfectum, quam singuli seorsim. Et non esset eiusmodi; quia nullum eorum potest in essendo esse magis necessarium, quam sua pars; vt ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disp. 11. quæst. 5. est euident. Quæ duo contradictoria sunt. Porro casu, quod darentur plures Di, non posse non aggregatum

eorum esse magis perfectum, quam singulos; tamen si aggregatum ex Deo vero, & creaturis non sit magis perfectum, quam Deus solus; est manifestum. Quia nullus eorum Deorum contineret in se eminenter perfectionem aliorum; cum eorum causa non esset; ut Deus continet in se omnium creaturarum perfectionem, utpote causa prima earum.

33 Decima ratio. Conceptus entis ab alio de suo euidenter est potens existere in vnico tantum indiuiduo. Defactoque extitisset, si Deus vnica tantum creaturam produxisset; ut plane potuit. Ergo potiore iure conceptus entis à se de suo euidenter est potens existere in vnico tantum indiuiduo. Satis enim clarè exterminis ipsis apparet, non maiorem connexionem habere cum pluralitate indiuiduorum conceptum entis à se de suo, quam habet conceptus entis ab alio. Ex eo autem, quod conceptus entis à se sit potens existere in vnico tantum indiuiduo, euidenter etiam inferitur, illum necessariò existere de facto in vnico tantum indiuiduo; atque adeò Deum, cui talis conceptus necessariò, & existentialiter conuenit, vnicum tantum esse. Nam conceptus entis à se aliàs item habet de suo, necessariò existere de facto, qua ratione est potens existere; ut constat ex doctrinà demonstratà de necessitate Dei, atque adeò entis à se supra disp. 3. q. 1.

34 Vndecima ratio. Etiam est de conceptu entis à se, atque adeò Dei citra omne dubium, quòd sit sibi plenè sufficiens iuxta doctrinam statutam disp. 4. quæst. 2. & quòd ad suam plenam, perfectamque beatitudinem nullius alterius boni, præterquam sui ipsius, indigeat possessione. Sed, si essent plures Dij, nullus eorum esset sibi plenè sufficiens, cum possessioneque sui solius summè beatus. Ergo, si essent plures Dij, & essent Dij, ut supponitur, & non essent; quia nullus haberet dictam Dei proprietatem. Quod est chimericum. Cætera constant. Probo maiorem. Quia, si essent plures Dij, summa bonitas, in qua consistit plena, & perfectà beatitudo obiectiua, per illos omnes esset omnimodis dispersa: quia, ut aliàs diximus, nullus contineret eminenter bonitates aliorum, utpote quorum non esset causa. Nullusque subinde ad se perfectè, & plenè beatum esset sufficiens; sed aliorum bonitatum possessione, præterquam suæ, necessariò indigeret.

35 Duodecima ratio. Quemadmodum omne ens finitum necessariò debet esse ens ab alio tanquam à causà, à qua limitetur, & finiatur; ita quoque omne ens infinitum, quod minus sit alio quouis ente infinito, necessariò debet esse ens ab alio tanquam à causà, à qua in suà infinitudine coarctetur, ne tantum sit, quantum est aliud ens infinitum. Omnis siquidem limitatio, seu coarctatio cuiusuis entis aliunde, quam à causà sui, provenire non potest; ut latius dicemus inferiùs disp. 14. Igitur impossibile est, quòd sint plures Dij. Probo consequentiam. Quia, si essent plures; cum nullus contineret in se aut formaliter, aut eminenter perfectiones aliorum, ut saepe dictum est; maiorem saltem infinitudinem haberent singuli, quam haberet aggregatum omnium. Singulique proinde essent entia ab alio tanquam à causa coarctante perfectionem, infinitudinemque singulorum iuxta antecedens statutum. Aliundeque, uti supponitur, essent entia à se. Quæ sunt contradictoria.

36 Decima tertia ratio. Vel conceptus entis à se

se identificat sibi necessariò aut formaliter, aut eminenter omnem perfectionem excogitabilem; vel non; sed aliquam dumtaxat maiorem omni. Si primum. Vnicum tantum erit necessariò ens à se; atque adeò vnicus tantum erit Deus iuxta argumentum, quod formauimus primo loco: quia omnis alia perfectio distincta ab ipso, utpote contenta in ipso eminenter, non poterit non esse ab ipso tanquam à causà. Si secundum, Conceptus entis à se cum quavis perfectione minore omni, saltem si infinita fuerit, coniungi poterit; quia non est cur potius eam hac, quam cum alià quavis vel minore, vel maiore sit coniungendus: fietque, ut sint plures entia à se, atque adeò plures Dij inæquales quoad perfectionem; & consequenter alij alijs maiores. Quod est impossibile. Quia euidens proprietas Dei est, quòd non sit alius maior ipso.

37 Decima quarta denique ratio, etsi sit negatiua, moraliter saltem conuincit, esse vnicum tantum Deum. Quia nimirum, cum sint argumenta ex vniuersitate rerum deprompta, quæ euidenter demonstrant existentiã diuinitatis, ut vidimus disp. 1. quæst. 7. ne minimum quidem indicium est in totà naturà pluralitatis Deorum; potius non indicia modò, sed clara argumenta sunt, quæ ipsius diuinitatis, aliàs ex Mundi existentia, gubernationeque demonstratæ, ostendant vnitatem; ut constat ex dictis. Quinimo ipsa existentia Mundi, & gubernatio ordinatissima eius, quas experimur, semperque homines ab eius initio experti sunt, non tantum diuinitatem, sed vnitatem etiam Auctoris, ac Gubernatoris vnus adeò clare ostendunt, & manifestant, ut inexcusabiles fuerint ij, qui suis carnalibus passionibus irretiti, suisque vitijs obtenebrati, & excæcati ab vnitatem vnus verè Dei ad pluralitatem falorum Deorum, inanumque simulachrorum per summam insaniam traducti sunt, ut satis apertè docet Paulus ad Roman. 1. dum ait. *Reuelatur enim ira Dei de Cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitiã detinent: quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creaturâ Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt; aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluerunt, & quadrupedum, & serpentum, &c. Quid ad rem aptius? His enim verbis satis clarè supponit Apostolus iuxta notationem factam supra n. 15. sub finem, esse Deum vnicum: ut sicque ab hominibus ex creaturis cognoscibilem; tamen multi ob insipientiam suam à suis vitijs oriundam circa hanc naturalem veritatem citra omnem excusationem decepti sint.*

38 Omitto quasdam alias rationes, quæ ab alijs aliter formari solent ad nostram propositionem probandam. Nam vel in aliquas ex præcedentibus recidunt, vel parum efficaces videntur. Inferoque ex propositis.

Confectarium.

Deum omnino vnum, siue vnicum, 39
pror-

prorsus esse, ratione naturali euidenter demonstrabile est.

Ita tenent pene omnes Theologi. Alenf. Albert. S. Th. Scot. S. Bon. Henr. Egid. Richar. Duran. Heruz. Aureol. Mayr. Tolet. Marsil. Hispal. & alij. Quos referunt, & sequuntur Gillius lib. 2. de Deo tract. 3. c. 7. Fasol. 1. p. q. 1. ar. 3. & ibi Caiet. Zumel. Molina. Vaz. alijque Thomistæ vnanimiter, Soar. disp. 29. Meraph. sect. 2. & 3. Smifing. tract. 3. de Deo vno, disp. 1. q. 1. & cæteri Scotistæ. Recup. lib. 5. de Deo. q. 4. Pasqualig. tom. 1. de sacra doctrinâ disp. 14. sect. 1. Quiros tom. 1. de Deo in comm. art. 3. S. Thom. citati. Et cæteri communiter contra Ocham, Gabr. Adam. Aliac. Bassol. & Maior. sentientes oppositum apud Gilli. Fasol. & Recupit. vbi nuper, scilicet vnitatem Dei non esse euidenter demonstrabilem ratione naturali.

40 Constatque imprimis confectarium ex illis Scripturæ locis, in quibus satis clare significatur, Dei existentiam ex existentia creaturarum euidenter demonstrabilem esse; prout vidimus supra disp. 1. q. 6. proposit. 4. Esse enim illis in locis sermonem non de Deo vtcunque, sed de Deo quatenus vnico, ipsorum contextus, & verba ibi recitata satis offendunt consentaneè ad notationem vniuersalem traditam supra in hac q. num. 15. sub finem.

41 Deinde constat Confectarium. Quia aut omnes, aut pleræque saltem rationes, quas pro vnitatem Dei congesimus, demonstratiuæ sunt haud dubie, vt quisquis probè eas intellexerit, & percullerit, haud dubie confitebitur. Et quidem, aggregatum earum tantam euidentiam saltem moralem inducere de vnitatem diuinâ, vt nullus intellectus illis instructus (adhuc seclusâ fide) possit prudenter ei dissentire, inuicibile est.

42 Sed obijci tamen potest pro Aduersarijs primò. Vnitas Dei est obiectum fidei. Ergo nequit esse obiectum scientiæ. Quia fides, & scientia componi nequeunt circa idem obiectum. Concesso antecedenti. Nego consequentiam. Et probationem. Aliqua enim scientia, & fides bene circa idem obiectum componi possunt; prout supra disp. 1. q. 9. ostentum est.

43 Secundo obijci potest. In pluralitatem Deorum plerique ex nationibus ethnicis confenserunt. Ergo vnitas Dei sub euidentiam naturalem non potest cadere. Quia nequit esse naturaliter euidentis id, quod contra plurimorum consensum est. Respondeo, etsi in plerisque nationibus ethnicis in pluralitatem Deorum confenserit imperita plebs; Sapientes tamen, & peritos semper Dei vnitatem cum euidentia cognouisse, iuxta dicta num. 17. Quod satis est, vt illa respectu eorum, atque adeo etiam absolute dicatur esse euidenter demonstrabilis ratione naturali. Præterquamquod; ne ethnicorum quidem plebs pluralitatem Deorum, de qua impræsentiarum sermo est, scilicet entium à se, sed aliorum ementorum numinum est venerata, saltem vt plurimum; prout supra num. 10. notatum est.

44 Tertiò obijci potest. Vnitas Dei neque est demonstrabilis à priori: quia nulla datur causa eius. Neque est demonstrabilis à posteriori: quia pluralitas effectuum, qui dantur, non potius vnicam, quam plures causas sui notificat. Ergo nullo modo est demonstrabilis. Respondeo, ex pluralitate effectuum, ex modoque productionis, ac gubernationis eorum à posteriori demonstrari, non solum causam primam eorum, sed etiam

ipsum vnitatem. Semel autem demonstrato per effectus in causâ primâ prædicato entis à se, ex hoc prædicato euidentius, & à priori (non quidem physicâ, sed metaphysicâ prioritate) demonstrari tum immediate, tum medijs alijs prædicatis pariter demonstratis ex illo ipsius causæ primæ vnitatem; prout in demonstrationibus supra factis cernere est.

QVAESTIO III.

Vtrum vnitas numerica conueniat Deo.

Suppono primò ex dictis q. 1. Deum vnitatem transcendentali propriè esse vnum in natura; sicut & cætera entia individua, quatenus est ens indistinctum in se in plura talia omnino, qualis ipse est. Ita ex communi Theologorum docet Fasol. 1. p. q. 11. art. 3. dubit. 2. quidquid apud ipsum dicat iandunus, *vnus de Deo, & alijs entibus non dici, nisi æquiuocè*. Vtrum autem Deus in hoc, quòd est, transcendentaliter esse vnum, conueniat cum alijs entibus vniocè, an tantum analogicè, quæstio est communis huic prædicato, & alijs, quæ simul de Deo, & de creaturis verè dicuntur. Circa quam, quid sit sentiendum, constat ex vniuersali doctrinâ traditâ à nobis latè in Pharo Scient. disp. 17. q. 8. & 21. & tactâ supra disp. 11. q. 5. quæ ad rem recognoscenda est.

Suppono secundò ex dictis etiam q. 1. vnitatem numericam, quæ principium numeri dici solet, supra vnitatem transcendentalem solum addere respectum mensuræ ad mensuratum, & partem ad totum; quatenus numerus vnitatem, seu potius vno est mensurabilis, ex vnitatisque, siue vnus compositus est.

His positis. S. Bonau. Egid. Henr. Ricard. Scot. Aureol. & Bassol. apud Fasol. vbi supra dubit. 3. negant vnitatem numericam conuenire Deo. Id quod etiam sentiunt aliqui Patres. Nam Basil. epist. 141. quæ est Apologia ad Cæsarianos, circa principium ait. *Nos vnum Deum non numero, sed naturâ confitemur*. Rufin. in expositione Symboli super illa verba, *in vnum Deum*, inter opera Hieronymi, docet, *Deum non vnum numero dici, sed vniuersitate, id est, qui propter eam vnus dicitur, quòd alius non sit*. Ambros. lib. 8. in Lucam. ad illud cap. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*, ait, *Deus vnus est, non vnus è numero: ita & Dei Filius quasi vnus exceptus est, non quasi vnus ex multis: & vniogenitus est, non vnus ex genitis*. Angelomus in lib. 1. Reg. cap. 1. *Vnus*, inquit, appellatur Deus, non de numero. Et Glossa ordin. in illud lib. 1. Reg. cap. 1. *Fuit vir vnus*, Loquens de Deo ait, *Qui bene vnus, non numero, sed quia nunquam mutatur, nec à se aliter efficitur Deus*.

Sunt tamen & alij graues Theologi, qui Deo concedunt vnitatem numericam, vt S. Th. Alenf. Mayr. Durand. Argent. Capreol. Arimin. & Marsil. apud eundem Fasol. ibid. n. 13. quos ipse sequitur.

Cæterum controuersia hæc facillimè sedatur componiturque distinctione adhibita. Si enim vnitas transcendentis Dei cadat supra prædicatum Deitatis, in quo Deus cum nullo alio ente possibili conuenit; vnitas numerica vt sic dicenda non est: nec Deus ab illâ dicendus est vnus nume-

ro propriè loquendo. Quia Deus ut sic non est pars numeri; cum nullus sit numerus Deorum. Et hoc solum sensu negant, esse Deum unum numero Doctores, & Patres primæ sententiæ. Si verò unitas transcendentalis Dei cadat supra aliud prædicatum eorum, in quibus Deus convenit cum alijs entibus, ut supra prædicatum entis, aut substantiæ, aut viventis, &c. bene, & propriè poterit ea dici ut sic unitas numerica, Denique ut sic vocari unum ens numero, aut una substantia numero, aut unum vivens numero, &c. Quia Deus ut sic reuera est pars alicuius numeri tum entium, tum substantiarum, tum viventium, &c. Et hoc sibi voluit Doctores secundæ sententiæ, dum Deo concedunt unitatem numericam. In quo amplius non oportet morari.

QVÆSTIO IV.

Verum unitas sit attributum Dei positivum, & ad negativum.

Sermo esse potest in hac q. aut de unitate transcendentali, aut de unitate solitudinis iuxta distinctionem unitatis factam quæst. 1. Si sit de primâ: Qui dicunt, unum transcendentalè supra ens, seu potius supra subiectum, quod unum dicitur, formaliter addere negationem; consequenter debent asserere unitatem transcendentalem Dei esse attributum negativum. Qui verò dicunt, addere quid positivum; consequenter inter attributa Dei positiva debent eiusmodi unitatem connumerare. Utroque retuli in Pharo Scient. disp. 17. q. 1. ubi ex professo de conceptu formali unitatis transcendentalis egi. Ex dictisque ibi brevissimè quæstionem proponitam, quoad dictam transcendentalem unitatem attinet, enodabo. Quod verò attinet ad unitatem solitudinis, brevissimè itidem subiungam, quod sentio. Quippe in Auctoribus de ea nihil reperio expressum.

Propositio 1.

Unitas Dei transcendentalis sumpta formaliter attributum est negativum.

Quia illud attributum sumptum formaliter dicitur esse negativum, quod in eo conceptu obiectivo, quem nos de eo formamus, siue quem habet, prout à nobis concipitur, aliquam dicit negationem, ut constat ex generali doctrinâ statuta supra disp. 2. q. 1. & 3. Sed unitas Dei transcendentalis in eo, quem habet, prout concipitur à nobis, conceptu obiectivo aliquam dicit negationem; nempe negationem distinctionis, qua Deus prout vnus unitate transcendentali in se est distinctus in plures tales omnino, qualis est ipse, iuxta doctrinam etiam q. 1. statutam ex dictis latius loco citato Phari Scient. Ergo unitas Dei transcendentalis sumpta formaliter attributum est negativum.

Nec refert, an conceptu unitatis Dei transcendentalis saltem in concreto, aut etiam in abstracto sumpta aliquam formalitatem Dei positivam includi. Nam, ut ea attributum negativum dicatur, fat est, quod insuper in se etiam inclusam præferat, ut verè præferat, negationem. Alioquin contra communem sententiam Patrum, & Theologorum nulla ex divinis attributis nega-

tiva dicenda essent: quia nulla sunt, quæ saltem in concreto, aut etiam in abstracto sumpta aliquid positivum Dei non includant in conceptu suo. Recognoscantur dicta ad rem supra disp. 2. quæst. 3.

Propositio 2.

Negatio, quam unitas Dei transcendentalis sumpta formaliter dicit in suo conceptu, aut est negatio quædam æquivalenter quidem vera, sed formaliter ficta, aut est negatio rationis non ficta, sed supposititia.

Debet namque esse, ut constat ex dictis, negatio distinctionis. Cumque distinctio negata aut positiva, aut negativa esse possit; erit utique negatio prioris generis, si positiva distinctionis negatio, huc exclusio sit; posterioris verò generis, si sit negatio siue exclusio distinctionis negativæ, prout etiam q. 1. traditum est. Latiusque ostensum, & explicatum in Pharo Scient. disp. 17. q. 1. citatâ. Cuius doctrinâ ad præsens propositum recognoscenda est.

Propositio 3.

Unitas solitudinis, à qua Deus euadit vnicus, siue solus in sua specie Deitatis, attributum negativum est sumpta formaliter.

Quia dicit in conceptu suo negationem aliorum Deorum, ut constat etiam ex dictis quæst. 1. Quod satis est, ut sit attributum negativum iuxta dicta circa proposit. 1. Negatio autem aliorum Deorum excludens ipsos ab statu essentiali vera negatio, seu veritas negativa est. Non item negatio excludens ipsos ab statu possibilitatis. Nam hæc nostro dumtaxat modo concipiendi est negatio, re tamen ipsâ veritas positiva, prout in eadem q. 1. ex uniuersaliori doctrinâ Phari Scient. statutum est.

Quomodo autem unitas Dei tum transcendentalis, tum solitudinis, non obstante negatione, quam præferat in suo conceptu, perfectio Dei nihilominus, eaque simpliciter simplex dicenda sit, ex uniuersali doctrinâ de perfectionibus diuini tradenda infra disp. 16. constabit.

QVÆSTIO V.

Verum Deus sit maximè vnus.

Unitatem Dei esse omnium maximam, ipsamque Deum propter eam maximè vnus, seu summè vnus esse, communis videtur esse consensus Theologorum, & Patrum. Ex Patribus enim Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 7. ait. *Tam simplex Deus, quam vnus est, est autem vnus; & quomodo aliud nihil, si dici potest, vnissimus est.* Et paulò post. *Hinc de eo Boetius. Hoc vere vnus, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud, præter id, quod est. Compara huic vni omne, quod vnum dici potest, & vnus non erit. Et numeratis reliquis vnus addit. Verum hæc omnia quid ad illud summam, atque, ut ita dicam, vnice vnus? Hinc*

uni quoduis aliorum si assimiles, erit quoquo modo vnum; si comparēs, nullo. Igitur inter omnia, que rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt. Et Ricard. Vict. lib. 2. de Trinit. cap. 17. Vbi autem: Summa simplicitas, ibi vera, & summa vnitas. Quidquid ergo in summo bono est, verè, & summè vnum est. Et cap. 19. In illa verè, & summè felici diuinitate est summa, & substantialis vnitas. Multi que ex Patribus propterea Deum vocant, ipsum vnum, vel ipsam vnitatem. Ita Ansel. in Prosol. cap. 18, Marius Victor. lib. aduersus Arium post medium, Origen. lib. 1. Periarchon cap. 1. Ambros. in simbolo Apostolorum cap. 1. & Antonius Abbas epist. 6. ad fratres Arsenoitas in tom. 3. Biblioth. Patrum. Quæ etiam phrasî vbi sunt antiqui Sapientes, vt Trismegistus, Empedocles, Parmenides, Melissus, Xenophanes, Damascius, & Philo Iudeus. Vt videre est apud Eragubinum lib. 3. de Perenni philosophia cap. 3. 6. & 7. Qui cap. 5. sub initium ait. Priscos appellasse Deum perfectissimam, primam, præcipuam, & in omni vnitate tenentem principatum vnitatum, & ipsam vnitatem. Ex Theologis autem in eadem sententiâ sunt. Alens. Albert. S. Th. D. Bonau. Richard. Egid. Henr. Caiet. apud Gillium lib. 2. de Deo tract. 3. cap. 9. & Fafol. 1. p. q. 11. art. 4. Vbi S. Th. & omnes eius expostores. Ratio autem S. Th. est. Quia, cum vnum sit ens indiuisum, id erit maximè vnum, quod fuerit maximè ens & maximè indiuisum. Sed Deus est maximè ens; quia non habet esse determinatum, id est limitatum adueniens essentiali; eum sit ens per essentialitatem: & est maximè indiuisus; quia neque diuiditur actu, neque potentia vllò modo; cum sit omnibus modis simplex. Ergo Deus est maximè vnus. Quæ quidem ratio varias difficultates patitur, quas varij variè expedire satagunt; vt videri potest apud Recupic. lib. 5. de Deo q. 13.

57 Ego consentaneè ad doctrinam de simplicitate Dei traditam in simili supra disp. 11. q. 9. arbitror primò vnitatem transcendentalem sumptam formaliter ex genere eorum conceptuum esse, qui non suscipiunt magis, & minus; consistit enim, vt vidimus q. 1. in exclusione omnium distinctionum subiecti, quod dicitur vnum, in plura talia, quale ipsum est, omniumque subinde pluralitatum talium; & nulla est excogitabilis maior exclusio alium distinctionum, pluralitatumque quàm omnium, minor autem, quàm omnium, non est vnitas. Ex quo patet, nullam eiusmodi vnitatem maiorem aliâ posse esse; nullumque ab eiusmodi vnitate vnum quatenus tale posse esse, magis vnum, quàm aliud.

58 Secundo arbitror, vnitatem etiam solitudinis ex eodem genere conceptuum esse, qui non suscipiunt magis, & minus. Quia, vt etiam vidimus q. 1. consistit in exclusione omnium aliorum eiusdem speciei vel atomæ, vel subalteræ cum subiecto, quod ab ea dicitur vnum, seu potius vnicum; & nulla est excogitabilis exclusio talium maior, quàm omnium; minor autem, quàm omnium, non erit vnitas huiusmodi, siue vnicitas. Ex quo patet, nullam huiusmodi vnitatem maiorem aliâ posse esse; nullumque subiectum ab huiusmodi vnitate magis vnicum, seu magis solum in sua specie posse esse, quàm aliud.

59 Vnde arbitror tertio, formaliter, & rigorosè, & propriè loquendo, Deum magis vnum, quàm quoduis aliud ens aut vnitate transcendentali, aut vnitate solitudinis dici non posse; & consequen-

ter nec maximè vnum; nec summè vnum; vt potest cuius vnitas aut transcendentalis, aut solitudinis sumpta formaliter prout talis maior esse non potest vnitate aut transcendentali, aut solitudinis sumpta similiter cuiuslibet alterius entis; & consequenter nec potest esse maxima omnium, nec summa omnium.

Nihilominus arbitror quarto, eatenus vnum subiectum posse, & solere dici magis vnum, quàm aliud vnitate transcendentali, quatenus pluribus titulis, sub pluribus ve considerationibus habet eiusmodi vnitatem; & consequenter quatenus pauciores habet in se pluralitates oppositas talibus vnitatibus. Quo iure eò dicitur ens magis vnum, quo pauciores compositiones habuerit. Et eo minus vnum, quo plures. Sic homo magis vnus venit dicendus, quàm quouis vnus numerus hominum: quia non solum est indistinctus in plures tales numeros hominum, vt ille est; sed etiam in plures tales homines; paucioresque subinde pluralitates habet, quàm ille numerus, cum solas habeat pluralitates suarum partium, ille autem numerus insuper pluralitatem hominum. Sic etiam corpus hominis magis vnum est, quàm ipse homo; quia non solum est indistinctum in plures tales homines, sed etiam in plura talia corpora hominis; paucioresque propterea pluralitates habet, quàm homo; cum solas habeat pluralitates membrorum, & partium integralium; homo autem insuper essentialium, animæ scilicet, & ipsius corporis. Pariterque de similibus philosophandum est. Vnde concluditur, illud ens dicendum venire in isto sensu maximè vnum, vel summè vnum, quod nullam partium pluralitatem habuerit, sed prorsus simplex fuerit. Quo iure Deus maximè, & summè vnus vocari potest; tamen non ipse solus, sed alia insuper entia sint in isto summo vnitatis gradu, scilicet ea, quæ sunt omnino simplicia.

Quinto arbitror, vnitate etiam solitudinis illud subiectum posse, & solere dici magis vnum, seu magis vnicum, quàm aliud, quod in pluribus statibus, quàm illud, est expers consortio aliorum eiusdem speciei. Quod pacto Deus magis est vnicus, quàm quoduis aliud ens possibile, atque adeo maximè omnium, seu summè vnicus. Quia Deus non tantum in statu existentie, sed etiam in statu possibilitatis est vnicus, & solus in sua specie Deitatis. Cum tamen quodlibet aliud ens possibile in solo statu existentie possit esse vnicum, siue solum in sua specie; vt defacto est Sol, & hic Mundus: non vero item in statu possibilitatis; eo quod nullum est ens possibile, cuius speciei non sint alia plura, imo alia infinita possibilis, vt ostendemus q. 6.

Sextò denique arbitror, aliter præterea, loquendo minus formaliter, posse, & solere Deum dici maximè vnum, aut summè vnum, vt sensus sit, Deum habere vnitatem cum maximâ, aut summâ perfectione. Quo pacto dici etiam solet Deus esse maximum, aut summum ens, maximumque, aut summum existens, & eius essentia, siue natura, maxima, aut summa essentia, siue natura. Tamen conceptus entis, existentis, & essentia, siue nature ex genere eorum sunt, qui sumpti formaliter non suscipiunt magis, & minus; & consequenter quorum nullus dici potest maximus, aut summus omnium sui generis, siue maximè, aut summè talis. Sensusque proinde est, Deum esse summum ens quoad perfectionem essendi, esse summum existens quoad perfectionem existendi.

stendi, & eius essentiam, siue naturam esse summam quoad perfectionem essentiae, siue naturæ. Id est, Deum habere summam perfectionem essendi, & summam perfectionem existendi, eiusque essentiam, siue naturam habere summam perfectionem essentiae, siue naturæ. Pariterque censendum est de similibus loquutionibus. Quarum omnium ratio conspicua est. Quia, cum perfectio ex vna parte sit ex genere eorum conceptuum, qui suscipiunt magis, & minus, proindeque quantitate metaphysicam habent iuxta doctrinam vniuersalem traditam supra disp. 10. q. 2. ex alia verò parte sit prædicatum transcendens omnia attributa intrinseca Dei, & reddens vnumquodque eorum non solum infinitè, sed summè perfectum in suo genere, prout fuisit explicabitur infra disp. 16. Congruentissimè factum est, ut quoduis talium attributorum, etiam si sit ex genere eorum conceptuum, qui non suscipiunt magis, & minus, summum nihilominus, siue maximum appetatur, scilicet quoad perfectionem sibi propriam, quæ in suo genere summa formaliter, siue maxima est.

63 Quæ omnia cum ita sint, iam palam est, quibus ex titulis poterint iure optimo Patres, atque Theologi Deum maximè vnum, seu summè vnum appellare, aut etiam eius unitatem summam, & maximam; tametsi ea præcisè, & formaliter sumpta nec summa, nec maxima dici possit rigorosè loquendo; eo quòd ex genere est eorum conceptuum, qui nullam quantitatem metaphysicam habent; proptereaque dicuntur non suscipere magis, & minus. Potuerunt quippe Theologi, & Patres huiusmodi appellationibus vti tribus ex titulis, siue in tribus sensibus explicatis, vtpote in quibus omnibus, ut vidimus, verissimè potest Deus dici maximè vnus, seu summè vnus. Cum hoc tamen discrimine, quòd Deus comparatus ad creaturas in primo trium dictorum sensuum solum negatiuè est summè vnus, quatenus nulla creatura est magis vna quam ipse; tametsi multa in eodem sint gradu summæ unitatis, vtpote omnino simplices, nullamque omnino in se pluralitatem continent. In duobus verò posterioribus positiuè est summè vnus. Quia nulla omnino est creatura, quæ in omni statu vnica sit; aut quæ cum summâ perfectione sit vna; sicuti ipse est.

64 Quod autem Deus sit in personis Trinus, nihil omnino derogat unitati naturæ, siue essentiae, siue substantiæ, atque adeò Deitatis eius, de qua solum nobis sermo est: quandoquidem tota natura Dei, seu tota Deitas cum sua, quam habet, summâ unitate in singulis tribus personis integrè, & indiuisimè est per identitatem; vt latius exponitur à Theologis in tract. de Trinitate.

65 Quod hic nonnulli dubitant est, an unitas naturæ diuinæ, siue Deitatis tanta sit, aut maior, aut minor, quam unitas vniuscuiusque personæ sigillatim sumptæ, quo sensu illæ comparationes istas subire possunt. Videtur enim esse minor naturæ unitas; eo quòd, cum sit communis natura tribus personis, earum videtur quodammodo pluralitatem participare; cum tamen vna quæque persona per se sumpta nihil penitus de pluralitate aliarum, quibus communis non est, participet. Sed dicendum est cum Gillio, Fasolo, Recupito vbi supra, & alijs communiter, tantam omnino esse unitatem naturæ, quanta est unitas vniuscuiusque personæ sigillatim sumptæ. Quia, vt nuper est dictum, nihil derogat unitati naturæ diui-

næ, quòd ea tribus personis communis sit eo quòd quam unitatem habet in se, eandem integrè omnino, & indiuisimè retinet in earum singulis. Atque adeò, sicut in se considerata ex nullo capite, potest minorem unitatem habere, quam vnaquæque persona, ita neque considerata in personis ipsis. Vbiunque ergo consideretur natura diuina, adeò est summè vna in omnibus tribus sensibus supradictis, vt nulla sit excogitabilis in aliquo eorum unitas maior, quam est unitas eius. Cumque unitas vniuscuiusque personæ, vtpote unitas æquè diuina, ac unitas naturæ, ex nullo item capite minor, quam hæc possit euadere; conficitur, unitatem naturæ, & unitatem vniuscuiusque personæ comparatas inter se æquales esse in tribus sensibus prædictis. Atque ita quamlibet earum summam esse negatiuè comparatione alterius, id est minorem, quam illam non esse; sed in eodem summo gradu magnitudinis esse cum ipsa.

66 Sed obijci potest contra hanc doctrinam, in vnaquaque personâ diuinâ natura præcisè considerata virtualiter est distincta à personalitate, vt noscum plerisque Theologis statuimus in Pharo Scient. disp. 13. q. 6. Igitur in vnaquaque personâ diuinâ est pluralitas virtualis, quæ non est in naturâ ipsâ sumpta præcisè. Atque ideo unitas vniuscuiusque personæ tanta non est, quanta unitas naturæ. Respondeo, in vnaquaque personâ diuinâ distingui quidem virtualiter naturam consideratam præcisè à personalitate, non tamen in ordine ad se, sed in ordine ad sufferenda sine repugnantia prædicata aliàs ex se contradictoria, vt abundè loco citato explicatum est. Quo fit, vt unitas vniuscuiusque personæ, quæ in ordine ad ipsam venit consideranda, non virtualiter quidem minuat à tali virtuali distinctione; & consequenter ne virtualiter quidem ratione illius euadat minor, quam unitas naturæ.

67 Noto ad extremum, sententiam, & loquutionem communem Theologorum, & Patrum statutam in principio quæstionis paulò aliter exponi à Gillio, Fasolo, Recupito, & alijs supra commemoratis. Quid verò ab illis minus rectè sit dictum, facile poterit vniuscuiusque ex dictis à nobis colligere. Neque enim expedit, vt nos in eis resellendis speciatim modò immoremur.

QVÆSTIO VI.

Virum esse vnum, siue vnicum sit proprium Dei.

68 SUppono primò, vt prorsus certum, unitatem, tum transcendentalem, tum solitudinis, quæ ratione conuenit Deo à se, & per essentiam, nullatenus posse vlli creaturæ conuenire; atque adeò, qua ratione conuenit Deo à se, & per essentiam, esse propriam Dei. Quia non potest quidpiam conuenire vlli creaturæ aliter, quam per participationem, & ab alio, vt est notissimum.

69 Suppono secundo etiam vt certum, præcendendo à modo conueniendi per essentiam, aut per participationem, unitatem transcendentalem, quæ est passio entis vniuersalissimè sumpti non esse propriam Dei, sed Deo & creaturis communem; quemadmodum & ipsum prædicatum entis vniuersalissimè sumpti Deo, & creaturis commune est. Quia, vt Deus tali unitate est vnus, quate-

nus est indistinctus in plura talia, qualis est ipse; ita quævis creatura tali unitate est vna, quatenus est indistincta in plura talia, qualis est ipsa. Vtrum autem conceptus vnus, siue unitatis transcendentalis vniuersè sumptus sit Deo, & creaturis communis analogicè, vel vniuocè, ex vniuersali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disp. 17. q. 2. petendum est.

70 Suppono tertio etiam vt certum, præscindendo pariter à modo conueniendi per essentiam, aut per participationem, unitatem item solitudinis prout in statu existentiâ Deo & alicui creaturæ posse esse communem, defactoque esse. Quia, vt Deus in statu existentiâ tali unitate est vnus: quia ipse existit, & nullus alius Deus præter ipsum existit; ita Sol in statu existentiâ tali unitate est vnus: quia ipse existit, & nullus alius Sol præter ipsum existit. Vtrum autem in istâ unitate conueniant Deus, & creatura analogicè, vel vniuocè, ex dictis etiam loco citato Phari diiudicandum est.

71 Suppono quarto etiam vt certum ex demonstratis q. 2. Deum non solum in statu existentiâ, sed in super in statu possibilitatis habere unitatem solitudinis, ab eaque vnicum esse. Quia non solum non est existens, sed neque est possibilis vllus alius Deus præter ipsum.

72 Difficultas superest, an sit possibilis aliqua creatura, quæ non solum in statu existentiâ, si existerit, sed etiam in statu possibilitatis ita sit vnica, vt nulla alia sit possibilis eiusdem speciei cum illâ. Affirmant multi Thomistæ de omni creaturâ ex parte materiâ, censentes multiplicationem numericam ita à materiâ dependere, vt inter creaturas, quæ materiâ carent, neutiquam sint possibiles plures eiusdem speciei, & solum numericè differentes. Atque ita omnes Angelos specie necessariò differre. Nullumq; subinde esse, qui non sit vnus in specie suâ, etiam in statu possibilitatis, censent Henricus in 2. dist. 3. q. 12. art. 2. Sonein. lib. 12. Metaph. text. 49. Flandria in lib. 5. Metaph. q. 9. art. 8. & q. 19. art. 4. Abulens. in cap. 23. Exod. q. 62. & in cap. 21. Numer. q. 19. & Paradoxo q. cap. 3. Caier. 1. p. q. 50. art. 4. & ibi Nazari. Ioan. à S. Thoma, Marcus Serra, Carmelitani Salmant. Granad. 1. p. controu. 7. disp. 4. & alij. Pro qua sententiâ videtur stare S. Th. 1. p. q. 50. art. 4. & 3. p. q. 77. art. 2. & lib. 2. cont. Gent. cap. 93. & alij in locis: quatenus impossibile dicit esse, quòd in eadem specie sint plures Angeli solum numericè differentes. Sunt tamen multi etiam Thomistæ, qui de impossibilitate naturali interpretantur S. Thom. opinantes, etiâ non posse esse plures Angeli numericè tantum differentes intra eandem infimam speciem naturaliter, ac de potentia ordinariâ Dei; bene tamen posse supernaturaliter, ac de potentia Dei absolutâ. Sic Hann. Ferrar. Zamel, Ripa, quos refert, & sequitur Arajo 1. p. q. 5. art. 4. concl. 2. & 3. citans pro eadem sententiâ Suarez. sed non bene: quia explicitè tenet oppositum lib. 4. de Angelis cap. 15. Pro eâ tamen stant ex nostris Bubalus 1. p. q. 5. art. 4. difficul. 3. & Franc. de Lugo lib. 3. de Angelis disp. 2. cap. 2.

73 Communis tamen cæterorum Theologorum sententiâ absolutè pronunciat, Angelos, atque adeo & quæuis alias creaturas quantumuis independentes, & absolutas à materiâ solo numero sub eadem atomâ specie posse multiplicari. Ita tenent Mol. 1. p. q. 50. art. 4. Valenti disp. 4. quæst. 1. punct. 3. Vaz. disp. 181. cap. 3. Soar. lib. 5. de An-

gelis cap. 15. & in Metaph. disp. 5. sect. 2. Arrubal. 1. p. disp. 150. Tanner. disp. 5. quæst. 1. dub. 5. Franc. Amic. tom. 2. disp. 3. sect. 4. Pet. Hurt. disp. 12. Metaph. sect. 3. Arriaga disp. 1. Metaph. sect. 3. Carlet. disp. 2. Metaph. sect. 1. & alij Recentiores cum Scot. Alen. Albert. S. Bonau. Ricard. Gabriel. Henr. Durand. Carthus. Mayr. Bassol. Rubion. Argent. Marsil. Bacchon. Palat. Capreol. & alij ex Antiquioribus ab ipsis relatis. Quorum aliqui seueris notis inuicem sententiam oppositam, vt videre est apud Amic. loco citato. Porro eo ipso, quòd omnes isti Auctores censent, in quavis omnino specie creaturarum esse possibiles plures creaturas numericè solum differentes, non possunt non consequenter censere impossibile, quòd aliqua creatura in statu possibilitatis ita vnica sit, vt nulla alia sit possibilis eiusdem speciei cum illâ. Hoc namque secundum, & illud primum aut recidunt prorsus in idem, aut mutuo inter se connexa sunt, vt est manifestum.

Cæterum prænotare oportet ex ijs, quæ diximus in Pharo Scient. disp. 17. quæst. 12. & 14. bifariam posse plura entia inter se differre specificè. Primò simpliciter, & absolutè; siue, vt quidam dicunt, physicè, seu specie physica; qualiter differunt, quæ inter se sunt notabiliter dissimilia, vt homo, & equus. Secundò secundum quid, siue logicè, seu specie logica; qualiter differunt, quæ inter se aut parum dissimilia sunt, vt homines mares, & feminæ, vel homines pituitosi, & biliosi; aut licet sint prorsus similia, sunt tamen inæqualia, vt calores intensi, & remissi; quantitates pedales, & bipedales, animæ citra dissimilitudinem omnem magis perfectæ, & minus perfectæ metaphysicè, &c. Ad inæqualitatem autem reducitur differentia prædicatorum aliâ similia ex distinctis eorum terminis, siue connotatis oriundâ; quæ scilicet differunt calefactiones oriundâ à distinctis caloribus præ oriundis ab eodem; vniones distinctarum partium aquæ præ vnionibus eandem, & cætera huiusmodi extrema, quæ ob talem differentiam non dissimilia, sed inæqualia censenda veniunt.

Hinc indiuidua nullam aliam differentiam præter mutuam distinctionem habentia; quia neque sunt dissimilia, neque inæqualia vllò ex modis dictis, purè, seu merè numericè differre dicuntur. Quæ verò dissimilia sunt notabiliter, simpliciter, & absolutè dicuntur differre specificè, siue differre specie physica. Cum tamen, quæ præter mutuam distinctionem aliqualem differentiam aut parum dissimilitudinis, aut alieius inæqualitatis inter se habent, etiâ simpliciter, & absolutè dicuntur esse eiusdem speciei, siue esse eiusdem speciei physica, non purè numericè, sed secundum quid specificè, seu specie logica differre dicenda veniunt.

Itaque creaturæ differentes purè numericè eiusdem omnino speciei sunt, tam logica, quam physica. Et vice versâ. Creaturæ autem differentes simpliciter specificè diuersæ speciei sunt simpliciter, scilicet diuersæ speciei physica. Et e converso. Creaturæ denique differentes non purè numericè dicuntur, quæ eiusdem sunt speciei physica, diuersæ tamen logica. Quo pacto de illis omnibus in loquentibus distinctionis causâ loquentur.

Propositio I.

77 Impossibile est, quod aliqua creatura metaphysicè in se finita ita sit vnica in statu possibilitatis, vt nulla alia sit possibilis eiusdem omnino speciei cum illa; ab illaque subinde differens purè numericè.

Loquor de creaturâ metaphysicè in se finita: quia ex metaphysicè in se infinitis fortasse est possibilis aliqua creatura ita vnica, vt nulla sit alia possibilis purè numericè ab illa differens iuxta dicenda inferius. Et probò propositionem primò. Quia posito, quod sit possibilis quævis creatura metaphysicè in se finita, (de qua iam semper impræsentiâ loquar), necesse est, quod sint possibilis alie omnino illi similes, & æquales. Ergo impossibile est, quod aliqua eiusmodi creatura in statu possibilitatis ita sit vnica, vt nulla alia sit possibilis eiusdem omnino speciei cum illa. Consequentia est euidens. Quia creaturæ alie omnino similes, & æquales creaturæ datæ possibilis eo ipso sunt necessariò eiusdem omnino speciei cum illa, vt constat ex dictis. Probo ergo antecedens. Quia, vt demonstraui in Pharo Scient. disp. 1. 1. q. 2. proposit. 2. & q. 5. proposit. 4. ad hoc, vt aliqua essentia sit impossibilis, necessarium est, quod ea alicui conceptui possibili, sine quo existere non possit, opposita sit. Hoc autem conuenire non potest essentijs aliarum creaturarum omnino similibus, & æqualium creaturæ datæ possibilis. Ergo necesse est, quod tales creaturæ non sint impossibiles, sed possibilis. Consequentia iterum est euidens. Et maior supponitur demonstrata. Probo ergo minorem. Quia, si essentia creaturarum omnino similibus, & æqualium creaturæ datæ possibilis alicui conceptui possibili, sine quo existere non possent, opposita essent; & essent omnino similes, & æquales creaturæ datæ possibilis, vt supponitur; & simul non essent: quia haberent prædicatum oppositionis cum tali conceptu, quod non haberet creatura datæ possibilis. Quæ duo contradictoria sunt.

78 Confirmatur, & declaratur. Quia essentia opposita conceptui possibili, sine quo existere non potest, qualis est essentia impossibilis iuxta demonstrationem factam loco citato, eo ipso est dissimilis, aut saltem inæqualis creaturæ possibilis carenti tali oppositione, vt satis ex se est notum. Ergo, vt sit illi omnino similis, & æqualis, tali oppositione carere debet. At eo ipso, quod illa careat, non est impossibilis, sed possibilis iuxta citatam demonstrationem. Ergo essentia omnino similis, & æqualis creaturæ possibilis eo ipso non potest non esse possibilis. Repugnat ergo, quod aliqua creatura possibilis ex earum genere, de quibus agimus, sit vnica in sua specie intra possibilitatis statum: quandoquidem omnis alia similis, & æqualis illi, atque adeò eiusdem speciei cum illa non potest non eo ipso esse etiam possibilis.

79 Rursus confirmatur, & declaratur. Quia, vt quævis creatura possibilis immunis est ab oppositione cum alio conceptu possibili, sine quo non possit existere, & ideo possibilis est: ita sunt conceptibiles citra omne dubium alie illi omnino similes, & æquales, atque adeò immunes similiter à tali oppositione; quo titulo non poterunt non esse itidem possibilis. Nullaque proinde creatura possibilis earum, de quibus agimus erit vni-

ca in sua specie intra possibilitatis statum.

Sed dicit aliquis. Quantumuis similes, & æquales Deo nostro possibili concipiuntur alij Dij, vt citra dubium concipi possunt, æquè, ac concipi possunt alie creaturæ omnino similes, & æquales cuius creaturæ datæ possibilis; quantumuis; proinde tales Dij ex suo conceptu obiectiuo omnino sint similes, & æquales Deo nostro possibili; æquè, ac tales creaturæ ex suo conceptu obiectiuo sunt omnino similes, & æquales creaturæ datæ possibilis; nihilominus tales Dij à sua differentiâ numericâ euadunt chymæ impossibiles; Deusque subinde noster in sua specie intra statum possibilitatis vnicus est. Igitur & tales creaturæ à sua differentiâ numericâ poterunt quoque euadere chymæ impossibiles; creaturæque subinde datæ possibilis vnica pariter in specie sua intra possibilitatis statum poterit esse. Concesso antecedente; nego consequentiam. Disparitas est. Quia alius quibus Deus ab oppositione cum Deo nostro possibili compatiente secum omnimodam similitudinem, & æqualitatem obiectiuam ambarum euadit chymæ impossibilis: eo quod Deus noster possibilis necessarius est in existendo; atque ita alius quibus Deus nec cum illo ob mutuam oppositionem, nec sine illo ob ipsius necessitatem potest existere. Quod est, eum esse impossibilem. At verò alia quævis creatura omnino similis, & æqualis creaturæ datæ possibilis, ab oppositione cum hac compatiente secum omnimodam similitudinem, & æqualitatem obiectiuam ambarum nequit euadere chymæ impossibilis; eo quod creatura datæ possibilis ex conceptu creaturæ nequit non esse contingens in existendo: atque ita alia quævis creatura, est ob oppositionem mutuam (salu quod eam habeant) nequeat existere cum illa, poterit tamen sine illa existere, illa non existente. Quod satis est, vt ea maneat possibilis.

81 Ex quibus patet primò, dato, quod creaturæ possibilis alia ei prorsus similis, & æqualis esset opposita, neququam hanc à tali oppositione fore impossibilem; vt impossibile est alius Deus similis prorsus, & æqualis ex suo obiectiuo conceptu Deo nostro possibili ab oppositione, quam cum hoc habet. Præterquam quod due creaturæ prorsus inter se similes, & æquales ex nullo prædicato possunt habere oppositas esse, vt Deus noster possibilis, & alius ei prorsus similis, & æqualis ex prædicato entium à se habent oppositos esse; prout exponemus postmodum.

82 Secundò patet, & si alius Deus chymæcus possit ex suo conceptu obiectiuo esse omnino similis, & æqualis Deo nostro possibili, nullam tamen essentiam chymæricam posse esse omnino similem, & æqualem alicui creaturæ possibilis, & consequenter omnem essentiam omnino similem, & æqualem creaturæ datæ possibilis eo ipso esse possibilem. Etenim, vt ex doctrinâ demonstratâ loco citato Phari constat, adhuc, vt aliqua essentia sit impossibilis, aut ita debet esse opposita creaturæ datæ possibilis, vt etiam sit cum ipsa connexa quo ad existentiam, aut alteri tertio conceptui possibili, sine quo non possit existere, debet esse opposita. In vtroque autem casu repugnat, vt essentia impossibilis sit omnino similis, & æqualis creaturæ datæ possibilis. Nam si essentia impossibilis ideo sit talis, quia creaturæ datæ possibilis simul opposita, & connexa est quoad existentiam; cum nequeant ambæ inter se esse mutuo connexa, sicut sunt mutuo opposita; quia essentia ambæ impossibiles contra supposi-

tionem, ut patet ex se, & ex dictis loco saepe citato; conficitur, essentiam impossibilem prædicatum habere connexionis, quo caret creatura data possibilis, & consequenter eas inter se vel dissimiles, vel saltem inæquales reipsa esse. Si verò essentia impossibilis ideo sit talis; quia est opposita tertio conceptui, sine quo existere non potest; (vel quia est etiam cum eo connexa; vel quia ille aliàs est necessarius in existendo, quales dumtaxat sunt Deus noster, & veræ negationes chymærarum impossibilem); tunc talis essentia impossibilis prædicatum habebit oppositionis, aut etiam connexionis cum tali tertio conceptu, quod non habet (nec habere potest titulo suæ possibilitatis) creatura data possibilis; & consequenter ex inter se vel dissimiles, vel saltem inæquales erunt. Unde tandem concluditur, bene stare, quòd plurimum Deorum inter se omnino similia, & æqualia ex suis conceptibus obiectiuis vnici sit verus, & possibilis, ceteri autem ficti, & impossibiles; cum tamen plurimum creaturarum inter se omnino similia, & æqualia, si vna est possibilis, non possint non & ceteræ omnes possibiles esse.

83 Posse autem non solum à nobis, sed etiam à cognoscentibus per proprias species concipi alios Deos omnino similes, & æquales Deo notro possibili, ab ipsoque numericè tantum differentes, talesque proinde eos omnes esse reuera ex suo conceptu obiectiuo intra statum quidditatum iuxta doctrinam generalem traditam in Pharo Scient. disp. 10. & 11. haud dubium mihi est. Oppositio enim, quam inter se habent in ordine ad existendum oriundam à prædicato entis à se non reddit eos dissimiles, neque inæquales; cum sit mutua consistensque reipsa in eorum essentia omnino similibus, & æqualibus. Sed neque quòd Deus noster possibilis reuera sit necessariò existens, atque adeò potens existere, & alij Dij chymærici reuera non sint existentes, nec potentes existere, in causâ est, quòd non sint omnes similes inter se, & æquales omnino ex suis conceptibus obiectiuis intra statum quidditatum: quia ex vna parte intra eum statum præcisè tales omnino concipiuntur, suntque proinde ex conceptibus suis quoad omnia prædicata intrinseca, etiam potentia, & necessitatis existendi, & existentiæ; ex alia verò parte differentia status quidditativi, quem solum habent Dij chymærici, & status existentiæ, quem insuper habet Deus noster possibilis, nullam dissimilitudinem, aut inæqualitatem inter eorum conceptus obiectiuos inducit: quandoquidem vnum & idem ens, quod sibi neque dissimile, neque inæquale esse potest, ut constat, modò in statu tantum quidditativo consideratur, aut etiam est, modò insuper existentia. Nec obest dictæ similitudini, & æqualitati obiectiuæ Deorum, quòd Deus chymæricus præ Deo nostro verò absolute sit impotens existere, atque ideo impossibilis: nam id non habet à suo intrinseco conceptu præcisè, in quo est similis, & æqualis ipsi Deo verò; sed semicextrinsecè ab existentia necessaria, & sibi opposita ipsius veri Dei alterius Dei ex conceptu intrinseco suo similis omnino sibi, & æqualis consortium penitus recusantis. Aliud est de quavis chymæra comparatâ cum creaturâ quavis possibili: nam, si est illa impossibilis, quòd tali creaturâ opposita simul est, & connexa, non potest non ab eiusmodi connexionione intrinsecâ sibi, & non mutua euadere tali creaturâ dissimilis, aut saltem inæqualis, vt

constat. Si verò est illa impossibilis, quòd tertio alteri conceptui, sine quo nequit existere, opposita est; hoc ipso, quòd præ creaturâ dictâ à tali tertio impossibilitatem quoquomodo sortitur, nequit non habere essentiam intrinsecam dissimilem, aut saltem inæqualem ipsi creaturæ, vt est notissimum; alioquin ab eodem tertio non posset non & ipsa creatura impossibilitatem sortiri.

Iam propositio nostra probatur secundò. Quia nullum est excogitabile prædicatum in illâ essentia creatâ metaphysicè in se finita, ex quo nascatur, quòd illa in plura indiuidua numericè tantum differentia nequeat multiplicari. Tamen id ex prædicato entis à se proprio essentia diuinæ veniat citra omne dubium oriundum. Hoc enim ipso, quòd aliquod ens est à se, non potest non esse vnicum in specie suâ, ita, vt nullum aliud ens à se compatiatur secum villo modo aut in statu existentia, aut in statu possibilitatis, vt multis demonstratum est supra q. 2. proposit. 2. Ens verò ab alio in se finitum necunde huiusmodi singularitatem, seu potius vnicitatem habere potest proculdubio hoc ipso, quòd est ens ab alio, & finitum in se. De infinito enim est alia ratio, vt dicemus inferius.

At dicunt Thomistæ supra n. 72. commemorati. Hoc ipso, quòd aliqua essentia est independens à materiâ, & nullum ordinem ad illam habet, qualis est essentia Angelorum, aliorumque huiusmodi entium, nequaquam eam posse multiplicari tantum numericè; vnicumque proinde indiuiduum eius esse possibile, non plura.

Sed contra primò. Quia ordo ad materiam impertinens est, adhuc, vt essentia illum habens possit multiplicari tantum numericè; locus non habens. Quid enim confert talis ordo, vt essentia illum habenti alia essentia similis dari possit; non verò item nou habenti? Profecè nihil. Ex dictis enim circa præcedens argumentum constat aperte, cuiusuis omnino essentia data alias omnino similes, & æquales excogitari posse, & concipi, etiam à cognoscentibus per proprias species; talesque eas proinde esse ex suo conceptu obiectiuo, intra statum quidditatum. Nec posse non esse eas possibiles, quando essentia data est possibilis, & non est essentia entis à se.

Contra secundò. Quia essentia ipsa materia in pluribus indiuiduis numericè tantum differentibus multiplicatur absque villo ordine ad aliam materiam. Quicquid ergo quavis alia essentia absque villo ordine ad materiam multiplicari poterit?

Contra tertio. Quia certum est, plures formas tum substantiales, tum accidentales numericè tantum differentes in eadem numero materia successiue saltem recipi posse, defactoque recipi. Ergo illa non à materiâ, quæ vnica est; sed à se ipsis multiplicatur, siue sunt multæ tantum numericè. Ergo & quavis alia essentia poterunt à se ipsis numericè tantum multiplicari, siue esse multæ tantum numericè. Et quidem, cum qualis res esse multas solum numericè, aliud non sit, quàm eas esse inter se distinctas, & similes, aut etiam æquales; esseque tales à se ipsis essentialiter habere, neque ab aliquo à se distincto possint habere, vt est notissimum; conficitur, nullas res posse multiplicari, siue esse multas tantum numericè, siue indiuiduari à materiâ tanquam ab aliquo à se distincto; impertinensque proinde esse, quòd dicant ordinem ad illam, adhuc, vt tantum numericè differre possint inter se,

Con.

89 Contra quartò. Quia in vnoquoque Ange-
lo plura accidentia dantur solo numero differen-
tia saltem successu temporis absque vilo ordine,
ad materiam, quam Angelus non habet; vt
plures præsentia locales, & plures durationes
superaddita iuxta doctrinam vniuersalem
statutam disp. 5. & 8. plures intellectiones,
& plures volitiones eiusdem speciei, &c. Ergo
independenter à materiâ sunt possibilis
plura indiuidua numericè tantum differentia.
Dicent, substantiam Angeli subiectum receptiuum
esse, atque adeò causam materialem, siue mate-
riam eiusmodi accidentium: sicque illa proinde
iam à materiâ, siue respectiue ad materiam indi-
uiduari. Sed non bene. Quia essentia materiæ, re-
latè ad quam sunt alia entia multiplicanda tantum
numericè talis necessariò esse debet, vt & ipsa in
plura indiuidua solo numero differentia multipli-
cari valeat: nam iuxta vulgare axioma; *Propter quod
vnumquodque tale, & illud magis.* Sed essentia
Angeli iuxta Aduersarios in plura indiuidua solo
numero differentia multiplicari non valet. Ergo
est substantia Angeli dicatur causa materialis,
seu potius causa passiva suorum accidentium,
non tamen est materia respectu eorum talis, vt in
ordine ad illam possint ea solùm numericè multi-
plicari. Præterquam quòd non quoduis subie-
ctum, sed materiam primam dumtaxat signatam
quantitate, atque adeò corpoream, volunt com-
muniter Thomistæ, terminum esse, relatè ad quem
cætera entia purè indiuiduantur. Qualis non est
substantia Angeli. Adde, plura accidentia omni-
no similia, & æqualia eiusdem Angeli, vt non
possunt ab eo, vt pote vno, multiplicationem for-
tiri, sed eam à se ipsis necessariò habent; ita nec
posse fortiri ab illo, sed à se ipsis necessariò habe-
re multiplicationem merè numericam.

90 Tertio probatur propositio. Quia eo ipso,
quòd aliqua causa est productiua vnius effectus in
se finiti, nequit non esse pariter productiua alte-
rius omnino similis illi, & æqualis; eo quòd vir-
tus causæ ad vtrumvis talium effectuum non po-
test non eodem omnino modo venire comparan-
da, vt satis ex se notum videtur. Id quod in om-
nibus causis creatis ab experientia constat. Ob
idque Philosophi communiter ad Dei determina-
tionem recurrunt, vt causa creata hunc effectum
potius, quam alium omnino illi similem, & æqua-
lem, atque adeò sibi possibilem de facto produ-
cat. Ergo potiore iure eo ipso, quòd omnipoten-
tia diuina est productiua vnius cuiuslibet effe-
ctus in se finiti, nequit non esse pariter productiua
alterius omnino similis illi, & æqualis. Ergo eo
ipso, quòd quæuis creatura in se finita est produ-
cibilis ab omnipotentia diuina, atque adeò possi-
bilis, nequit non & quæuis alia omnino similis
illi, & æqualis esse pariter producibilis ab omni-
potentia diuina, atque adeò possibilis.

91 Quarto probatur. Quia ad infinitudinem
diuinæ omnipotentia spectat iuxta commune pla-
citur Theolorum, vt producta quæuis creaturâ
finitæ perfectionis, aliam perfectiorem illâ pro-
ducere possit. Ergo potiore iure spectabit ad in-
finitudinem eiusdem omnipotentia diuinæ, vt,
producta quæuis creaturâ finitæ perfectionis, aliam
æqualem illi quoad perfectionem valeat produ-
cere, eamque vel illi similem, vel dissimilem.
Vt etiam ad infinitudinem diuinæ omnipotentia
spectat haud dubiè, vt, producta quæuis finitâ
multitudine creaturarum, aliam valeat multitu-
dinem producere vel maiorem illâ, vel ipsi æqua-

lem. Idque, siue tales creaturæ similes, siue
dissimiles, siue æquales, siue inæquales sint inter se
quæuis ratione. Posito igitur, quòd quæuis crea-
tura in se finita metaphysicè ab omnipotentia Dei
producibilis, atque adeò possibilis sit, nequit
non esse quoque talis quælibet alia similis, & æqua-
lis illi.

Loquutus sum autem semper in præsentis pro- 91
positione de creaturis metaphysicè in se finitis.
Quia inter creaturas metaphysicè in se infinitas
existimo esse possibilem vnam tum in vnoquoque
genere, tum absolute, quæ cæterarum omnium
maxima sit; eo quòd quoad quantitatem metaphy-
sicam æquiualeat est tanta, quanta est collectio
cæterarum omnium possibilium aut in tali gene-
re, aut absolute; prout infra disp. 13. q. 9. fusiùs
probabo. Quæ quidem creatura maxima omnium
eo ipso erit vnica in sua specie logica, etiam intra
statum possibilis, quatenus nulla erit alia pos-
sibilis æqualis illi; tamen vnica non sit in sua spe-
cie physica, eo quòd plures alia illi similes possi-
biles erunt. Bene enim stat extrema inæqualia
similia esse, vt sæpe aliàs diximus; patetque in
duobus circulis inæqualibus, & similibus.

Inferet hinc fortasse aliquis. Ergo, quemad- 93
modum est possibilis creatura metaphysicè infinita,
quæ in sua specie logica vnica sit, vt pote
inæqualis cæteris omnibus possibilibus aut intra
suum genus, aut absolute. Ita quoque possibilis
erit creatura metaphysicè infinita, aut etiam fini-
ta, quæ in sua specie physica vnica sit, vt pote
dissimilis cæteris omnibus possibilibus aut intra
suum genus, aut absolute. Sed neganda tamen
illatio est propter discrimen ad rem oriundum ex
diuersis naturis æqualitatis, & similitudinis, inæ-
qualitatisque, & dissimilitudinis rerum. Nam
ex vnâ parte nihil est, quod veter, esse possi-
bilem creaturam quoad aliquam quantitatem me-
taphysicam (puta quoad perfectionem) æqua-
lem toti aggregato cæterarum omnium pos-
sibilium aut intra suum genus, aut absolute,
vt constabit ex dicendis q. illa 9. citata disp.
13. Ex alia verò parte talis creatura non potest
non esse quoad talem quantitatem maior, atque
ita inæqualis cæteris singulis contentis in tali
aggregato, diuersæque subinde speciei logicæ ab
omnibus illis. Cùm sit necesse, vt id, quòd toti
æquale est, singulis partibus totius, quibus totum
ipsum est inæquale, inæquale sit. Quoniam verò
quòd toti est simile, non debet esse dissimile, sed
potius etiam simile partibus eius, quando omnes
hæ sunt similes inter se; vt constat ex doctrinâ
monstratâ in Pharo Scient. disp. 16. quæst. 3. Toti
autem coalescenti ex partibus inter se dissimilibus
non potest aliud quidpiam simile esse, nisi ex tot
partibus pariter inter se dissimilibus compositum
sit; vt tum ex se, tum ex dictis de natura dissimi-
litudinis in eâ disp. 16. satis videtur notum. Con-
sequitur, dato, quòd sit possibilis creatura similis
toti aggregato omnium possibilium similibus in-
ter se, non inde fieri debere eam esse dissimilem,
sed potius debere esse similem singulis illis; (sicuti
ex eo, quòd sit possibilis creatura æqualis aggre-
gato omnium possibilium, sequitur, debere eam
esse inæqualem singulis illis). Aggregato autem
omnium aliarum creaturarum possibilium clau-
denti similes, & dissimiles nulla creatura singula-
ris similis possibilis est, vt singulis illis esset dissi-
milis, vt est aggregatum ipsum: quia nulla crea-
tura singularis possibilis est pariter ex totidem alijs,
ac tale aggregatum, composita, prout opus erat,
vt

vt ei esset similis iuxta dicta. Vnde tandem concluditur, nullam esse creaturam possibilem adhuc ex infinitis in se metaphysicè, quæ omnibus alijs possibilibus dissimilis, atque adeo vnica in sua specie physica sit. Id quod haud dubiè probant pariter argumenta, quæ facta sunt pro statuta propositione. Tametsi sit possibilis creatura ex metaphysicè infinitis, quæ ob suam peculiarem naturam omnibus alijs possibilibus inæqualis, atque adeo vnica in sua sit specie logica.

94 Sequitur iam, vt argumenta diluamus, quæ contra doctrinam statutam circa præsentem propositionem obijci possunt, aut etiam solent. Primumque sit. Deus est omnino vnicus in sua specie tum logica, tum physica. Ergo & creatura aliqua poterit talis esse. Nego consequentiam. Quia Deitas à prædicato entis à se habet esse immultiplicabilem in plura individua, vt supra quæst. 2. monstratum est. Quod tamen prædicatum ab omni creaturâ longissimè abest.

95 Secundò obijcitur. Supposito, quòd durationes sint modi superadditi rebus durantibus, vnicuique rei pro vnoquoque instanti vnica duratio tantum possibilis est: nam cæteræ eiusdem rationis, vt pote superflue essentialiter, nequeunt non esse impossibiles essentialiter; quemadmodum naturaliter impossibile est, quod naturaliter superfluum est. Duratio ergo vniuscuiusque rei pro vno quoque instanti vnica est in sua specie, etiam intra possibilitatis statum. Tantumdemque ob eandem rationem venit dicendum de vocatione vniuscuiusque rei pro vnoquoque spatio locali, & de actione vniuscuiusque agentis pro vnoquoque effectu efficiendo, de cæterisque modis huiusmodi. Respondeo vno verbo. Præter vnâ durationem, vocationem, actionem, aut quemuis alium modum huiusmodi cæteros eiusdem rationis, etsi necessarij non sint, superfluos tamen essentialiter nequaquam esse; atque adeo neque impossibiles eo titulo. Potest quippe Deus quemuis eorum æquali cum vtilitate eligere ad idem præstandum.

96 Tertiò obijcitur. Quilibet actus liber voluntatis diuinæ est vnicus in sua specie. Ergo possibilis est creatura, quæ sit vnica in sua specie. Respondeo, antecedens esse falsum, stando in sententiâ complente actus liberos Dei per connotata extrinseca. Quia iuxta talem sententiam, eandem connotatorum multiplicationem numericam fortiuntur actus liberi Dei. Stando verò in sententiâ ponente omnino intrinsecos Deo actus ipsius liberos; etsi antecedens verum sit; eo quòd quilibet eorum, vt pote identificatus cum Deo, debet identificare sibi omnem perfectionem possibilem suæ speciei, prout in tract. de Volunt. tradetur fusius; consequentiam tamen nullam esse. Tum quia creaturæ necunde tale debitum competit: tum quia ex antecedente proposito, si quid benè inferendum esset, non aliqua tantum, sed omnis creatura possibilis vnica in specie sua inferenda esset. Quod tamen citra omne dubium absurdum est. Mitto alia leuiora, quæ opponi

possent. Et facile ex dictis ab vno quoque poterunt solui.

Propositio 2.

Nulla est creatura possibilis in se finita metaphysicè, cum qua non sint posibles alia infinitè intra eandem speciem logicam, atque adeo purè numericè distinctæ ab illa, & inter se.

Quia, dato quouis numero finito eiusmodi creaturarum purè numericè distinctarum, quæcunque alia ultra talem numerum excogitentur illis omnino similes, & æquales, non possunt non pariter esse posibles, vt probat primum argumentum factum pro primâ propositione. Ergo, quæ intra eandem speciem logicam sunt posibles, infinitæ sunt quoad multitudinem. Consequentia patet. Nam si essent finitæ, alia vltra earum finitum numerum excogitata, quantumuis illis similes, & æquales, non essent posibles contra doctrinam stabilitam per argumentum dictum. Quòd autem vltra quemuis numerum creaturarum in se finitarum alia excogitabiles sint, siue excogitandæ super sint illis omnino similes, & æquales; tametsi vltra totam collectionem infinitam omnium earum nulla alia super sit excogitabilis, atque adeo neque possibilis, ex dicendis latius inferius disp. 13. quæst. 3. conspicuum fiet.

Id quod etiam modò ostendendum venit per secundam probationem propositionis. Quia nimirum ad infinitudinem omnipotentia diuinæ spectat, quod creaturæ ab illa factibiles inter se omnino similes, & æquales, atque adeo purè numericè differentes non sint finitæ, sed infinitæ quoad multitudinem; imò non qualicunque infinitudine, sed ipsi diuinæ omnipotentia proportionatè infinitæ sint iuxta dicenda loco citato.

Propositio 3.

Nulla est creatura possibilis, etiam ex infinitis in se metaphysicè, cum qua non sint posibles alia infinitæ intra eandem speciem physicam: quidquid de earum sit speciebus logicis.

Quia, vt nulla est creatura possibilis, etiam ex infinitis in se metaphysicè, quæ intra statum possibilitatis non habeat alias sibi similes; tametsi sint aliqua, aut aliquæ non habentes alias sibi æquales iuxta dicta n. 93. Ita nullus est talium creaturarum inter se similium finitus numerus, vltra quem non sint alia similes haud dubiè etiam posibles. Quod est, creaturas posibles, etiam infinitæ in se metaphysicè, intra quamuis speciem physicam quoad multitudinem esse infinitas. Id quod item citra dubium spectat ad infinitudinem omnipotentia Dei, prout amplius constabit ex dicendis disp. 13. q. 3. 8. & 9.